Digitized by Google

BERNARDI
SANNIG
SCHOLA CONTROVER-SISTICA.

Digitized by Google


SCHOLA
CONTROVERS.
AUTHORE
P. BERNARDO
SANNIG.
Filioque
procedit
Super hanc
meam

Digitized by Google

SCHOLA CONTROVERSISTICA

SEU

CONTROVERSIÆ UNIVERSÆ

Adversùs Hæreticos omnes veteres, & novos

AUTHORE

F. BERNARDO SANNIG
ORD. MINOR. S. FRANCISCI REFORM.
SS. Theologiæ Lectore Jubilato, & olim SS. Canonum Profeſſore in Conventu S. Mariæ ad Nives; Scriptore Religionis, totius Ordinis Patre, Ex-Commiſſario Generali Cismontano, & iterato Miniſtro Provinciali Provinciæ Bohemiæ.

PROLOGUS ET TOMUS PRIMUS.

CONTINENS

LIBRUM PRIMUM.
LIBRUM SECUNDUM.
LIBRUM TERTIUM.

NEO-PRAGÆ,
Typis Joannis Nicolai Hampelii, 1688. 12.

Digitized by Google



Digitized by Google



REVERENDISSIMO PERILLUSTRI,
AC
AMPLISSIMO
DOMINO, DOMINO

GREGORIO KLEIN,

CANONICORUM REGULARIUM
Sacri & Candidiſſimi Ordinis Præmonſtratenſium
in Moravia ad Thayam, Celeberrimi Monaſte-
rij Lucenſis

ABBATI;

WRATISLAVIÆ AD S. VINCENTIUM

VISITATORI

DIGNISSIMO;
NEC NON
CÆSAREÆ REGIÆQUE MAJE-
STATIS CONSILIARIO, &c.

DOMINO PATRONO MEO OBSER-
VANDISSIMO, COLENDISSIMOQUE.

Google

OPus hoc meum Controverſiarum abſque ulla Controverſia animi, fiducialiter ingreditur Sacram Tuam Canoniam Lucenſem *Reverendiſſime Præſul*, benignum utique patrocinium ibidem nacturum, atque ſub gratioſis auſpiciis Tuis, & Venerabiliſſimo *Nomine* in lucem publicam egreſſurum; ut ab eodem ampliora ſuæ æſtimationis ſumat incrementa; utpote quod colendiſſimum *Nomen* inſigne variaque litteratura honorabile reddit; quod omnigenus ornatus virtutum, cultiſſimorumque comitatus morum celebre effecit; quod denique publica Religioſiſſimæ vitæ fama, ac meritorum memoria perennis æſtimatiſſimum præconizat; ut proinde jure optimo celeberrimum hoc Tuum Lucenſe Monaſterium in tanto Anteſignano, ac Præſule ſuo, omnium ſuorum priorum digniſſimorum triginta novem Moderatorum vivam Excellentiæ Phyſicæ, & moralis Idæam, nec non omnis Regularis perfectionis compendium ſuſpiciat, venereturque. Floruit equidem ſemper Sacra iſta & Canonica Domus, ſtatimque à primis ſuis Ducalibus incunabilis (annô reparatæ ſalutis 1190. à pjiſſimo Ottone Duce Bohemiæ, & Marchionæ Moraviæ ſtabilitis) præclaris ſemper Præſulibus nobilitata fuit; utpote compluribus Ordinis hujus Canonici Vicariis Generalibus, & Viſitatoribus, qui armati regulari zelo Patris ſui Phinees regularem diſciplinam, atque ſanctiſſimas Inſtitutiones magni Patriarchæ Divi Norberti feliciter propagârunt apud

Digitized by Google

apud ſuos; at Tu hos omnes multis antecellis paraſangis, utpote qui inſtar Magni Gregorii abſque intercapedine Sacri & Canonici Monaſterii Tui Religioſum Syſtema ſapientiſſimè, zelantiſſimeque conſervas, ampliùs provehis, imò uſque ad Regularis Obſervantiæ apicem Tuâ vigilantiâ deducis, elevas, ſtabilisque; ita ut hodie compluribus Religioſiſſimis, & pjiſſimis viris abundet; quemadmodum aliis quoque temporibus ſemper Religioſis, in regulari perfectione, & litteraturâ eminentibus numerosè eluxit. Verùm non tantùm exactæ Religioſæ vitæ facies in hoc Sacro Luca per pjiſſimos Tuos conatus delineata perſeverat; ſed & temporalium Poſſeſſionum ejuſdem exacta ſimetria Tuâ prudentiâ, ac ſedulâ œconomiâ ordinatur, perpetuaturque: Unde tametſi eædem poſſeſſiones ſæpius injuriâ Superiorum ſæculorum in miſerum fuiſſent præcipitatæ ſtatum; adeò, ùt annò 1245. ab armis Auſtriacis magna ex parte extiterint ruinatæ; & rurſus anno 1335. inteſtinis Moraviæ motibus plurimùm fuerint conquaſſatæ; & iterum annô 1443. à Cziskianis rebellionis cohortibus in gravem ruinam dejectæ; & rurſus annô 1570. à Sectariis Lutheranæ perfidiæ, quaſi ad finale excidium deductæ (ut enormia earundem Poſſeſſionum, hôc Sæculô à Svecico, & Rebellionis Boëmicæ exercitibus illata detrimenta taceam) omnia tamen hæc ſolertiâ œconomicâ, activitate, ac ſtudiô *Tuæ Reverendiſsimæ, Perilluſtris, & Ampliſsimæ Dominationis* ita redintegritata fuêre, ac univerſa bona temporalia ad ejuſmodi frugiferam hodie reducta formam, ut Cornucopia præſeferant,

& ube-

& uberem Tuis rerum omnium reddant abundantiam. Hæc, & complura alia meritorum Tuorum monumenta, ſunt illi magnetiſmi ac impulſus urgentes, ſingularis mei affectus, quô feror in tantum *Præſulem*, quæ me jam pridem veneratorem jugem Tuæ Digniſſimæ & Obſervandiſſimæ *Perſonæ* effecerunt; hæc ſunt, quæ me concito motu excitârunt, ut hoc Opus Controverſiſticum colendiſſimo Tuo *Nomini* inſcriberem, dedicarémque; quod dum cum omni Religioſa ſubmiſſione inpræſentiarum facio, Ampliſſimis Tuis favoribus me, Religionemque meam Franciſcanam enixè recommendans, perſevero

TUÆ REVERDISSIMÆ, PERILLUSTRIS AC AMPLISSIMÆ DOMINATIONIS.

Datum Znoymæ in Conventu Fratrum Minorum Reformat. Ord. S. Franciſci Anno 1687. die 1. Novembris.

Humillimus Servus

FR. BERNARDUS SANNIG FRANCISCANUS.

BENEVOLO LECTORI
AUTHOR.

TAmetſi Eccleſia Catholica Apoſtolica Romana (in qua ſola viget vera, & ad ſalutem unicè conducens Fides teſte Divo Auguſtino *lib. 4. de Symb. ad Catech. cap. 13.*) ſit illa Atlantica *columna, & firmamentum veritatis.* 1. ad Timoth. 3. cujus doctrinæ ſoliditatem, ſtabilitatem, & ſubſiſtentiam impoſſibile eſt dejicere, aut expugnare, dicente S. Martiali, illuſtri primi Sæculi Patre *ad Burdeg. cap. 11. firma Eccleſia Dei & Chriſti nec cadere, nec diſrumpi poterit unquam.* Et Alexandrô Alexandrinô *ad Alexand. Epiſc. Conſtant. Eccleſiam unam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam agnoſcimus, quæ nunquam expugnari poteſt; etiamſi totus mundus eam oppugnare inſtituat.* Attamen quôvis ſæculô poſt ejuſdem conſtitutionem præſumptuoſi quidam, & temerarii Goliathi (volo dicere faſtuoſi Hæreſiarchæ) blaſphemum contra eandem ſtrinxerunt enſem ſuarum Hæreticarum opinionum, eamque perverſis ſuis impugnârunt

Google

dogmatibus; ſed irrito conatu; *ipſa enim* (inquit Divus Auguſtinus *lib. de Symb. ad Catech.*) *Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica contra omnes Hæreſes pugnans pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam Sarmenta inutilia de vita præciſa; ipſa autem manet in radice ſua; portæ Inferorum non vincent eam.* Ejuſmodi vertiginoſi Eccleſiæ DEI; & Fidei infeſtatores erant Simoniaci, Cerinthiani, Ebionitæ, Marcioniſtæ, Valentiniani, Cataphryges, Sabelliani, Novatiani, Ariani, Manichæi, Donatiſtæ, Pelagiani, Iconomachi, Waldenſes, Albanenſes, Beguardi, ac Beguini, Wiclephiſtæ, Huſſitæ, Picarditæ, Lutherani, Calviniſtæ, Anabaptiſtæ, Zwingliani, ac infiniti alii, diverſis ſæculis conſurgentes Errones; quorum omnium originem, vitam, atque dogmata perverſa in hoc Opere Controverſiſtico, ſtylò planò, ſuccinctò, & fideli exhibeo; hæreſesque eorundem partim appropriatis S. Scripturæ teſtimoniis oppugno; partim genuinis SS. Conciliorum definitionibus reprimo; partim ſelectioribus Sanctorum Patrum præſertim antiquiorum ex primis quinque ſæculis convello; partim tandem rationibus Theologicis contra eaſdem erroneas doctrinas, quôvis ſæculô natas digladior: ut ita Studioſus Lector adversùs quamcunque hæreſim, ab ortu Eccleſiæ DEI excogitatam, in hoc Opere Promptuarium quoddam, & armamentarium argumentorum habeat, pro ejuſdem debellatione: & ut ratiocinationes efficaciores, quas ſparſim Sancti Patres in diffuſis ſuis libris fabricârunt, ac recentiores Controverſiſtæ in ſuis vaſtis tomis amplè digeſſerunt contra

Hæreticos,ſuo tempore conſurgentes, in iſto meo Synoptico Controverſiarum Monumento laconicè collectas reperiat: ut demum ſelectas Fidei Catholicæ probationes, & genuinas Catholicas Hæreticarum objectionum reſponſiones, quæ ab iisdem Controverſiſtis omiſſæ ſunt, in eodem Opere ſuppletas deprehendat. Utere itaque amice Lector hàc, & quibuſvis aliis meis Theologicis, Canonicis, & Philoſophicis lucubrationibus, nuper editis, & abſque Thenonino dente, quô plerumque Authorum nova Opera raduntur, eam lege; atque Authori ad aliarum materiarum Chronologicarum, & Sacræ Scripturæ tractatus edendos accincto bene precare. Circa tamen Theologicos meos duos tomos olim editos, tertium videlicet, & quartum te admonitum velim; quòd prodierint ſuperioribus annis nonnulla Decreta Sanctiſſimi Domini noſtri Innocentij XI. Propoſitiones quaſdam prohibentia, quibuſdam ex his in præfatis duobus Tomis, videlicet tertio, & quarto reperies conformes nonnullas meas aſſertiones, eò quòd tempore impreſſionis horum duorum Tomorum, pridem antè editorum, id eſt annô 1675. & 1676. præfatæ Præpoſitiones, necdum eſſent prohibitæ à Sede Apoſtolica; ſed pro tunc tanquam probabiles apud Authores complures reputarentur: quarum prima eſt Tom. 3. diſt. 11. q. 1. n. 8. *Quòd ſimplex Sacerdos in tribus caſibus obtineat ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine jurisdictionem, ſine alia conceſſione primò ſuper peccata venalia* &c. Hæc autem adverſatur Decreto Apoſtolico edito annô 1679. die 12. Febr. Secunda eſt Tom. 3. diſt. 13. q. 5. n. 6. *Quòd Regulares ad ſonum Horologij*

recitantes unum Ave, *lucrentur* 100. *dierum Indulgentias*: hæc verò adverſatur Decreto Apoſtolico, edito annô 1678. die 7. Martij. Tertia eſt tom. 4. diſt. 5. q. 5. n. 2. (*hujuſmodi tamen præceptum*) ſcilicet de dilectione proximi (*non obligat ad actum internum dilectionis proximi*) *ſed adimpletur ſufficienter externo aliquo actu*: Hæc autem adverſatur Decreto edito 1679. die 4. Martij. Has, & quaſcunque alias propoſitiones, ſi quæ forſitan reperientur inſperſæ illis duobus Tomis meis moralibus, olim ante Decreta Innocentii XI. editis, cum omni humilitate, obedientia, ac promptitudine, motu proprio, conformiter ad præfata Decreta revoco, & pro non aſſertis, ac expunctis volo; uti & doctrinam moralem de furtis, quæ in valde gravi neceſſitate permiſſa dixi tom. 4. diſt. 10. q. 11. Si ea forſitan comprehenduntur ſub propoſitione 36. prohibita ab eodem Sanctiſſimo Domino Noſtro, quæ de gravi loquitur neceſſitate: in ſumma omnia, & ſingula aſſerta mea eiſdem, ac aliis quibuſvis Decretis Pontificiis adverſantia, quæ menti meæ non occurrunt, ſpeciali tamen retractatione indigerent, ea fideli corde, ore, & calamo retracto, ac hæc, uti & quaſvis lucubrationes meas, Eccleſiæ Romanæ (quæ Veritatis eſt Magiſtra infallibilis) obedientiſsimè ſubjicio, ſubſternoque emendandas. Datum Znoymæ in Moravia in Conventu Fratrum Minorum Reformatorum. Anno 1687. die 1. Novembris.

F. Bernardus Sannig.

FACULTAS
REVERENDISSIMI PATRIS MINISTRI GENERALIS.

FRater PETRUS MARINUS SORMANUS à Mediolano, Lector Jubilatus, Ex Guardianus Jeroſolymitanus, Sanctiſſimæ Inquiſitionis Conſultor, ac totius Ordinis Minorum S. P. N. FRANCISCI Miniſter Generalis, & Servus. Dilecto nobis plurimùm in Chriſto Patri Fratri BERNARDO SANNIG noſtræ Reformatæ Provinciæ Bohemiæ Lectori Jubilato, iterato Miniſtro Provinciali, ac Patri Ordinis ſalutem in Domino.

Cùm juxta Apoſtolicas, noſtríque Ordinis Conſtitutiones reviſum, & approbatum fuerit quoddam Opus à te compoſitum, cujus titulus eſt, SCHOLA CONTROVERSISTICA, Tenore præſentium ad ſalutaris Obedientiæ meritum facultatem tibi impartimur, quatenus ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſis, & valeas. Vale. Datis Romæ die 29. Martij 1687.

Fr. PETRUS MARINUS
Miniſter Generalis.

Reg. tit. Prov. (L.S.)

De Mandato ſuæ Reverendiſſimæ Paternitatis

Fr. FRANCISCUS à BASSANO
Secretarius Generalis.

CENSURA ET APPROBATIO

RR. PP. Fr. Thomæ Alberti Tranquillo SS. Theologiæ Præſentati & Regentis &c. Et Fratris Antonini Pfrenger SS. Theologiæ Præſentati & Baccalaurei, Studij Generalis Vetero-Pragæ ad S. Ægidium Fratrum Ordinis Prædicatorum.

EXpectatiſſimum Opus, omnibúſque Studioſis, & veritatis Catholicæ Alumnis, ſummo affectu deſideratum: quod in commune bonum & utilitatem, maximo cum ſtudio elaboravit graviſſimus & Sapientiſſimus Admod. Rev. ac Eximius Pater Fr. BERNARDUS SANNIG, Ord. Min. S. Franciſci Reform. SS. Theologiæ Lector Jubilatus, & olim SS. Canonum Profeſſor in Celeberrimo Conventu S. Mariæ ad Nives, Scriptor Religionis, totius Ordinis Pater, Ex Commiſſarius Generalis, & iteratus Miniſter Provincialis Provinciæ Bohemiæ digniſſimus: nobíſque diſcutiendum, & examinandum commiſit. Et cùm tanti Operis nos dignatus ſit deſignare Cenſores, maximum nobis honorem conciliâſſe & indul- (*Seneca Epiſt. 45.*) gentiam tribuiſſe, cum Seneca confitemur: *Cæterum, quòd libros meos tibi mittam, indulgentiæ iſtud eſt, non Judicij, etſi modò Judicij eſt, Indulgentia tibi impoſuit.* Indulgentiam certè maximam è magnæ Portiunculæ Theſauro nobis impoſuit, qui per iſtud egregium Opus, non ùt Judices, ſed ùt Encomiaſtas nos percurrere conceſſit: quod ſummo cumulati gaudio & honore, ſedulâ evolventes diligentiâ, maximâ perlegentes voluptate, ſumma cum lætitia luſtrantes, laudatorem potiùs, quàm Cenſorem exigere didicimus, non ſemel exclamare coacti, quod magnus ille Philoſophus libros Quinti Sextij laudans, exaratum re- (*Seneca Epiſt. 64.*) liquit: *Cùm legeris Sextium, dices: vivit, viget, liber eſt, ſupra hominem eſt. Quorundam ſcripta clarum habent tantùm nomen; cætera exanguia ſunt. Inſtituunt, diſputant, non faciunt animum, quia non habent.* Hoc namque præclariſſimum Scholæ Controverſiſticæ Opus Nomen & omen Scholæ Veritatis juſtè occupat; clariſſimum eſt, ut vel hoc ſolum admirandum ſit, Authoris ingenium, potuiſſe tantam claritatem, cum tanta brevitate conciliâſſe; inſtituit ſubtiliter, dum Doctoris Subtilis ponderoſis fundamentis contra omnium errorum Sectas ſubtiliſſimè diſputat, & hæreticorum tela feliciter elidit; Animum habet, vitam veræ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ Fidei omnibus mentibus ſingulari dexteritate inſpirans. Verbô; eſt volumen illud, quod per aëra volitare conſpexit Zacharias: (*Zach. c. 5. v. 2.*) *Ecce video volumen volans, longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum.* Et meritò volitare cernitur volumen hoc, ita enim velociſſimis pennis evehitur, ut dum in materia Fidei alia Controverſiſtica Opera gradiuntur aut repunt, ipſum volet, *volumen volans.* Ea enim eſt diſcursûs elevatio ac ſublimitas in ipſo contenta, ut non aliter quàm Aquilæ volantis & de ceſſando hæreſum diluvio medullam Cedri Arcæ Eccleſiaſticæ deferentis, typo indigitetur: Cauſam (*Lib. 2. Bibliothec. verbo*) verò latitudinis & longitudinis reddit Sixtus Senenſis: *Quòd volumen hoc exiit è veſtibulo templi, cujus eadem erat longitudo & lati-*

& latitudo. Sic ergo ſui Originis unde ſcaturginem duxit, volumen illud velocibus pennis in ſublime elatum, in omnibus ſpeciem præferebat, ut vel menſuram illius præterire Sanctiſſimus Vates nefas judicaret. Hoc in volumine iſto, *Schola Controverſiſtica* intitulato, jam jam velociſſimis famæ pennis per Orbem *volitando*, cernimus adimpletum: ſiquidem ex intimis Articulorum Fidei penetralibus extractum, & ex viſceribus Arcanorum Eccleſiæ Catholicæ deductum, ità illius Sanctiſſimæ mentis & Doctrinæ attemperatur, ut nec vel unguem leviſſimum ab ipſius tramite diſcedat, ſed præter doctrinam Apoſtolicam, quam in omnibus hic Doctiſſimus Pater fideliter propinat, plurima in hoc volumine reperimus utriuſque Sacræ Paginæ altè diſcuſſa, præclarè ac dilucidè cuncta diſpoſita. Clariſſimo inſuper ac ſubtiliſſimo exaratum ſtylo, locupletiſſimum invenimus eruditionis Theſaurum, ampliſſimam veridicæ JESU CHRISTI doctrinæ Meſſem, multa ex Authoribus magnâ lectione deprompta, multa etiam de novo magno cum acumine inventa. Ubique ſanctam, ubique floridam SS. PP. Theologiam eructat, & quam in ſuo fonte Author copioſiſſimè ebibit, ſitientibus fructuoſæ doctrinæ potum ſaluberrimum propinat. Quantâ pollet in examinandis graviſſimis quæſtionibus curâ, de Exiſtentia, Situitate, Unitate, Veritate, Poteſtate, Auctoritate, & Infallibilitate Sanctæ Matris Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ! Quantâ in proponendis rationibus propriis formalitate! Quantâ in evellendis Acatholicorum objectionibus ſolertiâ! Quantâ in enervandis Hæreticorum telis ſubtilitate! Quanto Catholicæ ac veritatis Chriſtianæ Zelo (quem ſibi à natura congenitum, nedum acquiſitum oſtendit) omnia examinat, omnia diſcutit, & contra quoſque fidei adverſarios viriliter dimicat, ac indefeſsè digladiatur: *Zelum legis habes* (ipſi cum Hildiberto jure optimo acclamare poſſumus) *quem tibi Cathedra non contulit* (cui Præſidentem magnæ ſcientiarum Altrices Roma & Praga ſemper demirabatur) *ſed apud te invenit.* Quare tanto Seraphici Ordinis Scriptori corde gratulamur, regratiamúrque, quòd inter magnas ſui muneris & Officij curas hanc novam ſibi adſcribere non recuſavit, ut opus hoc diu à Propugnatoribus Catholicæ Fidei deſideratum, jam jam concupiſcentibus animis ſalubriter præparatum exhibeat: *Talis præterea paſtoralibus excubijs congruebat, cui nihil deeſſet ad plenitudinem Juſtitiæ, nihil ad integritatem Doctrinæ.* O utinam faxit DEUS hujus Catholicæ Clipeo utilitate, hujus Controverſiſticæ Scholæ doctrinâ totus perfruatur Orbis: in qua omnis veritatis amator, Romanæ Eccleſiæ chara proles, abundè reperiet, unde ſaluti ſuæ conſulere, alios in doctrina ſana imbuere, & contradicentes arguere queat, imò proſus debellare: *Niſi quis enim hoſtem, à quo impugnatur, expugnet, nunquam bonis ſuis poterit uti ſecurus.* Igitur qui Apoſtolico Eccleſiæ Romanæ Scholæ, ſaluberrimo ac ſuaviſſimo veritatis liquore refici deſiderat, hanc Controverſiſticam ingrediatur Scholam, hujus efficiatur diſcipulus, in qua non diſcutiuntur Poëtarum figmenta, non Rhetorum argutiæ, non Philoſophorum dogmata, ſed hæc fide aligera, ut verbis D.

Volumen volans.

Hildib. Epiſt. 45.

Heldib. Epiſt. 22.

S. Zenno in Gen. Serm. 1.

 Petri

Petri Chryſologi utar : *petit cœlum, penetrat alta, ſcrutatur ſu-*
S. Petr. Chryſoſt. Serm. 19. *prema, movet Cœlum, pulſat Cœlum, ambit fidei ſubire verticem,*
audet Cœlum ſua penetrare virtute. Comede fili hominis DEI,
bone ovium Paſtor, volumen iſtud, non amaricabitur venter,
aut labia tua, imò velut Melliflui Bernardi intuenda Eccleſia dul-
ceſcent ſermones tui, aut ardentis Aurelij, ignita efficientur e-
loquia tua, quibus certò certiùs à Dominico Ovili fugabuntur
Plin. in hiſt. animal. lupi rapaces, *lupos enim ignibus & flammis exterreri* : Author
eſt Plinius. Hoc denique hujus Apoſtolici viri Opus nunquam
ſatis laudandum manibus evolve, jugíque labore percurre, ubi-
que argumentorum & ſubtilitatum pondere refertum, in quo
feliciter conjunctum quilibet inveniet, quod in diverſis libris
Seneca Epiſt. 46. diſperſum, & involutum fortè nunquam conſequeretur : *Non*
refert quàm multos libros, ſed quàm bonos habeas (dixit diſertiſ-
ſimè Seneca) *Lectio certa prodeſt, varia delectat, qui, quo deſti-*
navit, pervenire vult, unam ſequatur viam, non per multas vage-
tur: non ire iſtud, ſed errare eſt. Hunc ergo ſolum librum evol-
vat, qui in recta veræ Fidei ſemita proficere, non errare deſi-
derat: aut piè contempletur hic exaratum in terra pro defen-
ſione Sponſæ Eccleſiæ, & veneretur cum Apocalyptica Aquila
Apoc. c. 5. num. 6. deportari in cœlo manibus immaculati Agni : *vidi* (inquit) *in*
medio throni, & quatuor animalium, Agnum ſtantem tanquam oc-
ciſum, & venit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum.
En literarij ſudores, dexteram occupant Majeſtatis. Hæc alibi
ſtellis ornata cernitur : *& habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem :*
Fortè, quia aſtrorum micatus transformantur in librum, qui ſi
vera docet, tot fulget ſtellis, quot veritates exprimit. De DEO
ad Agnum regnantem in folio migrat volumen iſtud, manibus
omnipotentiſſimis decoratũ : quia (ut verbis utamur Hugonis)
liber iſte, eſt Scriptum Sacrum, quô Eccleſia regitur, mentéſ-
que fidelium DEI agnitione replentur. In eo igitur quod cor-
rectioni obnoxium ſit, vel Orthodoxæ doctrinæ minùs con-
ſentaneum, nec apicem minutiſſimum conſpeximus ; imò o-
mnia ſana, omnia tuta, quæ inoffenſo pede quiſque decurrere
valeat : Grandis & rectus eſt ; hoc te volo tenere ; ſic ire. Pro-
deat ergo in lucem, prodeat in utilitatem Eccleſiæ Catholicæ,
ut omnes ipſius Doctrinæ lucem fœnerentur : quandoquidem
lucidatum, lucem quàm maximam omnibus daturum, non am-
bigimus. Prodeat hæc Schola Controverſiſtica in Doctrinæ
altitudine collocata, & in medio hujus mundi Theatro collo-
cetur, ut omnibus pateat, quam omnium protectioni ac muni-
mini, prodeſſe teſtamur. Ideoque publicæ utilitati plurimùm
proficuum arbitramur, ut non ſolùm quàm citiſſimè prælo ex-
cutiatur, ſed quòd iterum, atque iterum typis mandetur, ut
per omnium circumferatur manus, omniúmque celebretur
linguis. Hoc noſtrum Judicium eſt in Conventu noſtro S. Ægi-
dij Vetero-Pragæ FF. Ordinis Prædicatorum. Die 14. Maij
Anno 1687.

Fr. THOMAS ALBERTUS TRANQUILLO.

Fr. ANTONINUS PFRENGER.

CEN-

CENSURA
Theologorum Ordinis Minorum Reformat.

ATtentè legimus & accuratè perſpeximus Opus Controverſiſticum, quod poſt totam Philoſophiam, Theologiam Speculativam, & Moralem, ac Univerſum Jus Canonicum, ad debitam Studij Scholaſtici habendam perfectionem, feliciter tandem prodit Authore Adm. Reverendo Patre BERNARDO SANNIG, Ord. Min. S. P. N. FRANCISCI Reform. Lectore Jubilato, Reformatæ Ciſmontanæ Familiæ Ex-Commiſſario Generali, Provinciæ Bohemiæ iterato Miniſtro Provinciali, Superiore Obſervandiſſimo. Cui Jure optimo titulus *Schola Controverſiſtica*; in hac enim adeò quis eruditur, & luce Catholicæ Doctrinæ illuminatur, ut à primitivâ Chriſti Eccleſia ad hæc uſque noviſſima tempora ſingulis Sæculis intricatas, & caliginoſas Hæreſum exortas tenebras eruditè, atque clarè reſolvendo ſciat diſpellere. Quare cùm nihil contineat, quod non redoleat Orthodoxæ Fidei normam; nihil quod Hæreticam pravitatem nervoſè non convincat; digniſſimum judicamus, ut errantibus, & ignorantibus Catholicæ veritatis lucem afferat, atque ad majorem Reipublicæ Chriſtianæ utilitatem, maximam verò Sectariorum confuſionem, Typis mandetur. Datum Pragæ in Conventu Noſtro S. MARIÆ ad Nives Die 5. Februarij Anno 1687.

Fr. Bernardinus Ungar Provinciæ Bohemiæ Diffinitor, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, et SS. Canonum in Generali Studio Pragenſi Profeſſor.

Fr. Sebaſtianus Schambogen, Provinciæ Bohemiæ Diffinitor, SS. Theologiæ Lector Jubilatus, Ejuſdemque Facultatis ad Nives actualis Profeſſor.

Fr. Antonius Hartmann, SS. Theologiæ Lector Jubilatus; Ejuſdemque Facultatis ad Nives Profeſſor actualis.

APPROBATIO ORDINARII.

HIſce facultatem impertior ut Schola Controverſiſtica à P. Bernardo Sannig Ord. Min. S. Franciſci Reform. compoſita, & à Theologis debitè reviſa.

Pragæ 10. Maij 1687.

Imprimatur

Wenceslaus Bilek à Bilenberg
Officialis.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Super Impreſſione Librorum Auctorum Ord. S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ.

PRivilegiò Cæſareæ Majeſtatis cautum eſt; nè quis per univerſum Imperium Libros à Patribus Ordinis S. Franciſci Regularis, & Strictioris Obſervantiæ editos, aut edendos imprimat, recudat, aut alibi recuſos, intrà Sacri Imperij, Regnorúmque ac Dominiorum hæreditariorum Domûs Auſtriacæ fines adducat, vendat, diſtrahat, abſque conſenſu, & facultate eorundem Patrum ſub pœna confiſcationis Librorum, & mulcta viginti marcarum auri puri. Ita ſancitum & decretum eſt in Civitate Ratisbonenſi, pridie nonas Decembris. Anno 1636. Signatum.

FERDINANDUS

Infrà
Ad Mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium.
Joannes Walderode,

à latere. P. H. A. Stralendorff.

INhærendo Decreto Cæſareo FERDINANDI III. Auguſti edito ſuper Impreſſione Librorum, ab Authoribus Regularis, & Strictioris Obſervantiæ edendorum, conſenſum, & Facultatem do Domino Joanni Nicolao Hampelio Civi, & Typographo Neo-Pragenſi, faciendi primam editionem Scholæ meæ Controverſiſticæ. Datum Pragæ in Conventu S. Mariæ ad Nives die 10. Maij Anno 1687.

Fr. BERNARDUS SANNIG.

INDEX

INDEX
CAPITUM ET ARTICULORUM
TOMI I. CONTROVERSIARUM.

PROLOGUS.

ARticulus I. De Secta Paganorum, Politicorum ſeu Atheorum; & Judæorum. pagina 2.
Art. II. De Secta Saracenorum, & maximè Mahumetana. 3
Art. III. De Schiſmate Græcorum. 4
Art. IV. De erroribus Rhutenorum, Abyſſinorum, Maronitarum, Surianorum & Georgianorum. 5
Art. V. De erroribus Armenorum, Correriorum, & Barolorum. 6
Art. VI. De Simoniacis, Cerinthianis, Menandrinis, Nazareis, Ebionitis, & Nicolaitis. 7
Art. VII. De Marcioniſtis, Cerdonianis, Gnoſticis, Baſilidianis, Valentinianis, Carpocratitis, & Marcitis. 8
Art. VIII. De Cathaphrygis, Appellitis, Tatianis, Ophitis, Severianis, Pepuſianis, & aliis 2. Sæculi. ibid.
Art. IX. De Originiſtis, Sabellianis, Photinianis, Apoſtolicis, Somoſatenis, Novatianis, & Porphyrianis. 10
Art. X. De Arianis, Eunomianis, Meſſalinis, Pontinianis, Euſtachianis, & aliis Siliquis 3. Sæculi. 11
Art. XI. De Tertullianiſtis, Jovianis, Donatiſtis, & Priſcillianiſtis, Anonymis, & aliis Sæculi 4. erroribus. 12
Art. XII. De Pelagianis, Semi-Pelagianis, Neſtorianis, Eutychianis, Manichæis, Theodoriſtis, Vigilantianis, & aliis Seductoribus Sæculi 5. 13
Art. XIII. De Iconomachis, Circumcellionibus, Floriniſtis, Berengariſtis, Monothelitis, & Waldenſibus in diverſis Sæculis. 14
Art. XIV. De Albanenſibus, Templariis, Pſeudo-Apoſtolis, & Flagellantibus. 15
Art. XV. De erroribus Gilberti Porretani, Arnoldi, Abbatis Joachim, Guielmi de S. Amore, Beguardorum, ac Beguinarum, Almarici, Marſilij, Clementis, & Deſiderij. 17
Art. XVI. De Wiclephiſtis, & aliis fœcibus Sæculi 14. 18
Art. XVII. De Huſſitis, Thaboritis, Veſſalianis, & Picarditis ſeu Adamitis. 19
Art. XVIII. De Lutheranis, Confeſſioniſtis, & Proteſtantibus. 20
Art.

Digitized by Google

Art. XIX. De Zwinglianis, Sacramentariis, & Anabaptiſtis. pag. 21.
Art. XX. De Oecolampadio, Ochino, Petro Martyre, Hallero, Bucero, Boquino, Kemnitio, Hubmaro, & cæteris famoſis Hæreticis. 22
Art. XXI. De Schwenckfeldianis, Ubiquiſtis, & Calviniſtis. 24
Art. XXII. De Sabbathinis, Clanculariis, Davidiſtis, Novis Arianis ſeu Ante-Trinitariis, Novis Neſtorianis, ſeu Stancarianis, Auguſtinianis, Memnoniſtis, Muſculanis, Triheitis novis, Antemarinis novis, Libertinis, ac pluribus aliis. 25
Art. XXIII. De Anglicanæ Eccleſiæ Hæreſiarcha, & aliis Hæreticis ibidem natis. 27
Art. XXIV. De Pœnis Hæreſiarcharum à DEO inflictis. 29
Art. XXV. De principalibus cauſis, ob quas pleræque Hæreſes ortæ ſunt. 30
Art. XXVI. De ſignis diſtinctivis ac moribus communibus diverſis Hæreticorum, à Catholicis. 33
Art. XXVII. De ultimato vero Judice Controverſiarum fidei. 35
Art. XXVIII. In quibus Conciliis damnati ſint Celebriores Hæretici. 37
Art. XXIX. Quomodo cum ſingulis Hæreticis procedendum. 38
Art. XXX. De Convenientia, & Diſconvenientia veterum, ac novarum Hæreſum, & de Diviſione interna principalium Sectarum. 39
Appendix ad Prologum de Bajſtis, & Janſenitis. 40

LIBER PRIMUS.

Continens Controverſias

DE DEO, DE SS. TRINITATE IN SE.

De, Patre, De Filio DEI, & Chriſto, & de Spiritu S.

CAPUT I.

De DEO.

Art. I. De Exiſtentia veri DEI. pag. 41
Art. II. De Natura veri DEI, ejúſque veracitate, & bonitate. 44
Art. III. De Unitate DEI. 45
Art. IV. Quis ſit verus DEUS? 46
Art. V. De Identitate attributorum DEI, ejúſque ſimplicitate, ubiquitate, & inviſibilitate. 47
Art. VI. De Scientia viſionis DEI, ejúſque providentia, & Omnipotentia.

CAPUT II.

De SS. Trinitate.

Art. I. De Exiſtentia Trinitatis. 41
Art. II. De Numero, & Diſtinctione Divinarum Perſonarum. 54
Art. III. De Paritate, ac Divinitate Perſonarum, & Unitate DEItatis earum. 55

CA-

CAPUT III.

De Prima Perſona Trinitatis, Patre.

Art. Unicus. Prima Trinitatis Perſona Pater non eſt miſſa, nec incarnata, nec paſſa. pag. 57.

CAPUT IV.

De Secunda Perſona Trinitatis, Filio, & Chriſto.

Art. I. Secunda Trinitatis Perſona eſt Conſubſtantialis Primæ. 58
Art. II. Secunda Trinitatis Perſona eſt propriè Verbum. 60
Art. III. Secunda Perſona Trinitatis eſt incarnata, & eſt verus Meſſias. Ibid.
Art. IV. De Natura Divina, ſeu Divinitate Chriſti. 64
Art. V. De Natura humana, ſeu humanitate Chriſti. 65
Art. VI. De Unica Perſona Chriſti. 67
Art. VII. De Facultatibus animæ Chriſti. 69
Art. VIII. De Merito, ſatisfactione, & Redemptione Chriſti. 70
Art. IX. De Pontificatu, & Sacerdotio Chriſti. 73
Art. X. De Spe Chriſti in Cruce retenta, & ejus deſcenſu ad inferos. Ib.
Art. XI. De Chriſti timore, reſurrectione, & in Cœlos aſcenſione. 74
Art. XII. De non ubiquitate Chriſti quà hominis. 75

CAPUT V.

De Tertia Perſona Trinitatis, Spiritu Sancto.

Art. I. De Proceſſione Spiritûs S. à Pâtre, & Filio 76
Art. II. De Conſubſtantialitate Spiritûs S. cum Patre, & Filio. 79
Art. III. An Spiritus Sanctus ſit anima mundi. 80

LIBER SECUNDUS.

Continens Controverſias de Eccleſia vera DEI, & Chriſti; ejuſdem vero Capite; Conciliis: vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ veræ; eorúmque Cælibatu, & votis, ac immunitate Eccleſiæ.

CAPUT I.

De Eccleſia; & ejus Notis.

Art. I. De Quidditate, & Conſtitutione veræ Eccleſiæ DEI & Chriſti. 81
Art. II. An, & quæ Notæ ſint veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti. 82
Art. III. De Notis Unitatis, & Sanctitatis veræ Eccleſiæ DEI & Chriſti. 83
Art. IV. De Notis Catholicæ, & Apoſtolicæ, quas præfert vera Eccleſia. 84
Art. V. De Notis antiquitatis, durationis, amplitudinis, & varietatis Credentium veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti. 85
Art. VI. De aliis Notis veræ Eccleſiæ DEI, videlicet Conſpirationis in doctrinam veterum Patrum Concordiæ membrorum Eccleſiæ, & miraculorum in ea patratorum. 86
Art. VII. Nota Unitatis veræ Eccleſiæ convenit Eccleſiæ Romanæ, non item aliis Eccleſiis. 87

Art. VIII. Nota Sanctitatis veræ Eccleſiæ convenit Eccleſiæ Romanæ; non item aliis Eccleſiis. 89
Art. IX. Ly Catholicæ, quæ eſt Nota veræ Ecclesiæ convenit Eccleſiæ Romanæ, non autem aliis Eccleſiis. 92
Art. X. Ly Apoſtolicæ, quæ eſt Nota conveniens veræ Eccleſiæ, competit Eccleſiæ Romanæ, non item aliis Eccleſiis. 94
Art. XI. Notæ antiquitatis, ac durationis amplitudinis, & varietatis credentium, veræ Eccleſiæ Romanæ, non autem aliis Cœtibus Hæreticorum conveniunt. 97
Art. XII. Nota Conſpirationis in doctrinam SS. PP. & Concordiæ convenit Eccleſiæ Romanæ, non autem aliis Eccleſiis. 99
Art. XIII. Nota Miraculorum competens Eccleſiæ veræ, convenit quoque Romanæ Eccleſiæ, non verò aliis. 101

CAPUT II.

De Eccleſiæ veræ DEI, quæ eſt Romana, viſibilitate. 104

CAPUT III.

De Eccleſia vera DEI, quæ eſt Romana, indefectibilitate, & aliarum defectibilitate. 106

CAPUT IV.

An extra veram Eccleſiam Romanam poſſit quis ſalvari? 109

CAPUT V.

De Monarchia Eccleſiæ veræ. 110

CAPUT VI.

De Primatu & vero Capite Eccleſiæ veræ DEI.

Art. I. An Chriſtus ſit caput Eccleſiæ veræ? 112
Art. II. An in Eccleſia vera DEI, & Chriſti quovis tempore debeat eſſe Caput aliquod viſibile. 114
Art. III. De Primatu D. Petri ſuper Univerſam Eccleſiam. 115
Art. IV. De Primatu Romani Pontificis ſuper totam Eccleſiam militantem, & ejus ſucceſſione vera in Cathedra D. Petri. 118
Art. V. De infallibili authoritate Primatis Eccleſiæ, ſeu Romani Pontificis, in decidendis articulis Fidei. 121

CAPUT VII.

De Conciliis veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

Art. I. Solus Papa poteſt Concilia indicere; & ibi præſidere. 123
Art. II. Nullus Laicus etiam Rex, vel Imperator poteſt convocare Concilia; & eis præſidere, ubi etiam contra Primatum Regium agitur. 124
Art. III. Concilium Generale legitimum nequit errare in materia Fidei explananda. 128

CAPUT VIII.

De Miniſtris Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

Art. I. De varietate, vocatione, miſſione, electione, & Conſecratione Miniſtrorum Eccleſiæ DEI, & Chriſti. 129
Art. II. De Cœlibatu Miniſtrorum Eccleſiæ DEI, & Chriſti. 131
Art. III. De quorundam Miniſtrorum Eccleſiæ, Religioſorum ſcilicet Monaſticis votis. 133

Art. IV. De Religioſorum Eccleſiæ Mendicitate, & labore. 134
Art. V. De Vita Eremitica quorundam in Eccleſia. 136

CAPUT IX.

De Immunitate Eccleſiæ DEI, & Chriſti. 137

LIBER TERTIUS.

Continens Controverſias de Scriptura, Traditionibus, Fide, Gratia, Sacramentis in Genere, ac Sacramentalibus, Cæremoniis, ac Exorciſmis.

CAPUT I.

De Sacra Scriptura, ſeu Verbo DEI ſcripto.

Art. I. Quid ſit Scriptura? & qui ejus Canonici Libri. 140
Art. II. De vera editione, & legitima verſione S. Scripturæ. 142
Art. III. Utrùm expediat vulgo concedere lectionem liberam totius S. Scripturæ, ita ut ejus interpretationem quiſque facere poſſit? 143
Art. IV. S. Scriptura non eſt ubique clara, ſed eget illuſtratione. 144
Art. V. Judicium de S. Scriptura nuper juxta textum Hebraicum, Græcum, & mentem Hæreticorum edita. 145

CAPUT II.

De Traditionibus, ſeu Verbo DEI tradito.

Art. I. Utrùm extent in Eccleſia veræ Traditiones Divinæ, & Apoſtolicæ 146
Art. II. De Neceſſitate & obligatione obſervandi Traditiones Divinas, & Apoſtolicas. 148

CAPUT III.

De Fide.

Art. I. De Neceſſitate, & natura Fidei veræ, ac Theologicæ. 150
Art. II. Quòd Fides Theologica ad ſalutem neceſſaria non ſit aliqua fiducia voluntatis. 151.
Art. III. An Fides vera ſit multiplex, & an quiſque in ſua poſſit ſalvari. Ibidem.
Art. IV. Utrùm Fides Theologica ſtet cum peccatis, quæ non ſunt contra Fidem. 152
Art. V. An liceat aliquando negare Fidem? 153
Art. VI. An liceat ſimulare Fidem alienam, utendo Cæremonijs illius. 154
Art. VII. De Fide ſpeciali quorundam Hæreticorum. 155
Art. VIII. Variæ reſolutiones Catholicæ circa Fidem. Ibid

CAPUT IV.

De Gratia Juſtificante, & Juſtificatione.

Art. I. De Natura, nominibus, & exiſtentia Gratiæ Juſtificantis. 156
Art. II. An Juſtificatio formaliter fiat per Juſtitiam Chriſti imputatam, vel per Gratiam inhærentem â DEO creatam, & infuſam? 158
Art. III. De Fide quæ concurrit ad Juſtificationem. 160
Art. IV. Qua ratione igitur Fides, & alia conducant ad Juſtificationem? ubi & de ejus Cauſis omnibus. 162

Art.

Art. V. An in Juſtificatione tegantur tantùm, vel realiter deleantur peccata? 164
Art. VI. Num Juſtificatus poſſit habere aliquam certitudinem de ſua Juſtificatione. 165

CAPUT V.

De Gratia Actuali.

Art. I. De Exiſtentia Gratiæ actualis. 167
Art. II. An reverà aliquando hominibus detur aliqua Gratia tantùm inefficax? 168
Art. III. An Gratia actualis ſit neceſſaria ad exiſtentiam DEI, & alias veritates naturales cognoſcendas? 169
Art. IV. An Gratia actualis ſit neceſſaria ad cognoſcenda myſteria Fidei? 171
Art. V. An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad quoſcunque actus ordinis ſupernaturales ad ſalutem neceſſarios; & omnes morales bonos ordinis naturalis? 173
Art. VI. An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad obſervantiam Divinorum præceptorum, & eliciendos actus ſupernaturales, Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ. 175
Art. VII. An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad dilectionem DEI. Ib.
Art. VIII. An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad perſeverantiam juſtorum in accepta juſtificatione? 177

CAPUT VI.

De Sacramentis in genere.

Art. I. De quidditate, exiſtentia, & numero Sacramentorum novæ Legis. 178
Art. II. De cauſatione Sacramentorum novæ Legis. 181
Art. III. De forma, & Miniſtro Sacramentorum novæ Legis. 183

CAPUT VII.

De Sacramentalibus, ſeu Cæremonijs Sacramentorum. 184

CAPUT VIII.

De aliis Cæremoniis Eccleſiæ approbatis, ſignanter Benedictione aquæ; & ejus virtute.

Art. I. An licitæ, & laudabiles ſint Cæremoniæ aliæ, præter Sacramentales. 185
Art. II. De Exorciſmo ſuper Energumenos prolato. 187

CAPUT IX.

De Oratione.

Art. I. An Oratio ſit utilis, ac neceſſaria; & qualiter proſit? ibid.
Art. II. An ſinè ulla Phyſica ceſſatione continuandæ ſint Orationes, & ſolæ proſint ad ſalutem? 188.

PRO-

PROLOGUS
IN
SCHOLAM CONTROVER-SISTICAM.

PRÆFATIO.

UT magis appareat, ex quo venenoſo buſto ſuccreverint tot monſtroſa capita hæreticæ Hydræ; operæ pretium duxi ante hæreſum ſingularum confutationem, priùs ipſarum Hæreſiarchas, ac perverſa eorundem dogmata ſynopticâ hiſtoriâ perſtringere; fatales itidem exitus eorum aperire; cauſas ab eis excogitatarum hæreſum afferre; ſigna diſtinctiva, & mores communes Hæreticorum adducere; Judicem quoque verum atque ultimatum Controverſiarum, & dubiorum circa Fidem aſſignare, qui de ipſa veritate inter Catholicos, & Errorum Magiſtros dijudicare valeat; condemnationem item celebriorum hæreſum, factam à generalibus Conciliis allegare; item modum cum ſingulis agendi ſuggerere; ac demum hæreſum veterum, novarúmque convenientiam, & disconvenientiam; nec non diviſionem principalium Sectarum in ſe, in ſcenam evocare. Quare ſit

ARTICULUS I.

De Secta Paganorum; Politicorum ſeu Atheorum; & Judæorum.

1. NOta primò: Prima omnium Secta, quæ veræ Religioni & Eccleſiæ DEI poſt conſtitutionem mundi adverſari cæpit, fuit cætus *Paganorum*, Gentilium, ſeu idololatrarum, qui excuſſô verô cultu unius DEI, quem ab Adamo didicerant, creaturas varias pro Numine adorare cæperunt. Cæpit autem ſecta iſta Anno 1997. ab orbe condito, authore Nino, qui Patri ſuo, famoſiſſimo Duci *Nemrod*, aliàs *Belo*, & à Gentilibus *Saturno*, ab Hebræis verò *Baal* dicto, erexit ſtatuam adorandam: hujusmodi Idololatræ in S. Litteris leguntur fuiſſe Molochitæ, Baalitæ, Aſtarotitæ, Phitoniſſæ, &c. Et in profanis hiſtoriis Gentilium, infinitæ claſſes talium Sectariorum, diverſiſſima Idola, & res creatas inſenſatas, & ſenſatas, ut Jovem, Junonem, Martem &c. colentes, regiſtrantur. Tales etiam fuerunt *Caiani* qui Cain pro DEO venerabantur: & *Sethiani*, qui Seth colebant cultu latriæ; & *Angelici* qui Angelos adorabant: & *Ophitæ*, qui ſerpentem: & *Heliognoſtici*, qui Solem: & *Muſoritæ*, qui mures adorabant, teſte Philaſtro, & Auguſtino. Horum errores erant ſequentes. *Primò* credebant idolis ineſſe quandam Divinitatem. *Secundò* Deos ſuos fictitios falsè conſtituebant Præſides variorum effectuum; puta Martem præſidem belli, Venerem præſidem amoris, Jovem præſidem Monarchiarum, regnorum, caput Deorum &c. *Tertiò* adſtruebant pluralitatem Deorum falſorum. *Quartò* prohibitum cultum varium idolis impendebant. *Quintò* attribuebant iisdem immortalitatem. *Sextò* pariter plurima obſcæna, aut impoſſibilia opera, &c.

2. Nota ſecundò: Secta *Politicorum* ignoto authore jam olim in Lege veteri viguiſſe legitur; unde de tali Sectario dixit Pſalmiſta pſalm. 52. *Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt DEUS.* Hi negant prorſus omne Numen, & nullum colunt DEUM. Appellantur *Politici*, quia abſtinent exteriùs à malis, non ob metum pœnarum ab aliquo DEO infligendarum; ſed ob quandam *politicam* externam, ut vel laudentur; vel ipſis bene ſit; vel nè Rempublicam turbent. Hi alio nomine vocantur *Athei*. Hujus farinæ fuit olim Diagoras Mileſius, quem ob hujusmodi ſacrilegam aſſertionem Athenienſes ejecère Athenis; ut ſcribet Cicero *lib. 1. de natur. Deor.* Et Bion Boriſthenites; ac ejus Magiſter Theodorus Cyreneus; & noviſſimè Machiavellus; cujus viperina progenies etiam hodie hinc inde, etſi occultè, vivit. Horum dogmata perverſa principalia ſunt hæc. 1. Nullum Numen exiſtit. 2. Nulla extat S. Scriptura, continens DEI Verbum. 3. Nulli dantur Angeli. 4. Animæ ſunt mortales. 5. Nulla opera bona proſunt ad aliquam gloriam æternam, quæ non datur, &c.

3. Nota tertiò: Quamvis Synagoga Judæorum ante Chriſti Paſſionem fuerit vera DEI Eccleſia; ex ea tamen plures prodirunt errones: & poſt Paſſionem Chriſti Synagoga præfata non pertinet ampliùs ad Eccleſiam DEI veram; ſed eam profitentes conſtituunt ſectam falſam in pluribus articulis ſequentibus. 1. eſt; in Divinis non debet credi ulla Trinitas perſonarum. 2. Meſſias necdum venit. 3. Meſſias venturus non erit verus DEUS. 4. Chriſtus non fuit verus Meſſias in Lege promiſſus. 5. Non licet Sabbathô curare infirmos. 6. Meliùs eſt facere oblationes templo, quàm parentibus in neceſſitate ſuccurrere. 7. Fœminæ reſurgent in ſexu virili. 8. Licitæ ſunt defactò Uſuræ, acceptæ à gentibus. Præfati errores ſunt plerumque communes omnibus Judæis, tam Phariſæis, quàm Eſſæis, qui formant duas ſectas vitâ, & habitu diſtinctas: unde

4. Nota quartò: extant inter Judæos variæ Sectę; & adhuc alia dogmata particularia certarum, duntaxat Sectarum Hæbraicarum quas alii appellant hæreticos, puta Phariſæorum, Eſſæorum, Serpenticolorum, Baptiſtinorum, Samaritanorum, & Sadducæorum. *Phariſæi*, ſic dicuntur ab Hæbræo *pharas*, quod eſt *dividere*; quia ipſi erant diviſi, & ſeparati habitu, & moribus ab aliis ſectariis Judæorum. Horum errores ſunt communes Judæorum, ut *notab.* 3. dictum eſt. *Eſſæi* ſunt illi ſectarii Hæbræorum, qui ab uxore, vino, & carne abſtinent: & in hoc à Phariſæis tantùm diſtinguuntur: habent autem communes cum illis errores. *Serpenticoli* ſic dicuntur à cultu *ſerpentis ænei*, DEI juſſu in deſerto erecti, quem hi coluerunt pro DEO, qui ſit cauſa cognitionis boni, & mali. *Baptiſtini* ſic dicti ab errore de *S. Joanne Baptiſta* credito; nam hi crediderunt dictum ſanctum fuiſſe verum Meſſiam. *Samaritani* ſic dicti â *Samarico* Rege; hi docuerunt 1. ſolos 4. primos libros Moyſis eſſe verè Canonicos. 2. Adventum Meſſiæ non poſſe comprobari ullis S. Scripturæ textibus. 3. Mortuos nunquam reſurrecturos. 4. Extremum

tremum Judicium nullum eſſe futurum. 5. Animam unà cum corpore mori. *Sadducæi* ſic vocati à *Sadoc* quodam famoſo Judæo: dogmatizârunt. 1. Nullam futuram reſurrectionem. 2. Nullos dari Angelos. 3. Alteram vitam non eſſe meliorem præſenti. 4. In hac vita quemlibet ſe conſolari debere voluptatibus. 5. In hac ſola vita mercedem bonorum operum eſſe ſperandam. 6. Solos Sadducæos debitè intelligere, & interpretari poſſe S. Litteras.

5. Nota quintò: Judæorum pariter Rabbini poſt Chriſti Paſſionem duos tomos plenos aliis erroribus, & fabulis ediderunt; quorum unum vocant *Thalmud Hieroſolymitanum*; alterum *Thalmud Babylonicum*. Thalmud autem interpretatur *diſciplinatio*; quaſi Legis DEI interpretatio. In his libris nefandis inter cætera docent Rabbini 1. quòd DEUS poſt deſtructionem templi Hieroſolymitani, & captivitatem per Romanos factam, doleat rugiens ùt leo. 2. quòd DEUS primis tribus horis diei ſtudeat in Lege; tribus ſecundis totum mundum judicet; in tribus tertiis paſcat mundum; & in tribus ultimis ludat cum Leviathan. Plurima alia fabuloſa figmenta ad ſenſum, & carnem accommodata, in iisdem continentur; quorum relatio foret hic nimìs prolixa; & refutatio ampliſſima.

ARTICULUS II.

De ſecta Saracenorum, & maximè Mahometana.

1. Nota primò: *Saraceni* ſic ſe volunt dicti à *Sara* Domina, & uxore Abrahæ; cum tamen ab *Agar* ancilla *Agareni* dici deberent; utpote à qua, & Iſmaele deſcenderunt. Hi ſemper fuêre idololatræ, uti teſtatur S. Hier. *in vita S. Hilarionis*; ac proinde errores eorum fuerunt iidem, qui idololatrarum aliorum, & Paganorum. Ex his prodiit *Mahomet* famoſiſſimæ, ſed perverſiſſimæ Sectæ Mahometanæ author, quam Turcæ, Arabes, Perſæ, Tartari, & Africani plurimi hodie ſectantur. Naſcitur autem Mechæ in Arabia patre Abdalda Saraceno, & matre Emia Judæa. Educatur pariter Mechæ poſt mortem parentum, & inſtruitur à quodam Judæo in magicis, atque aſtronomicis artibus, ac in mercatura. Deinde tanquam expertus mercator præficitur director Camelorum, qui in Ægyptum, Syriam, & Paleſtinam negociationis causâ mittebantur: & hac occaſione ſæpiſſimè cum Chriſtianis, & Judæis in Paleſtina converſatur, notitiámque acquirit circa eorum leges, & ſancita. Demum proficiſcitur in bellum ſub Heraclio Imperatore; ubi tractu temporis ſe fecit caput rebellionis illius, quam Arabes contra dictum Imperatorem, ob nimiam tributorum exactionem, Mahomete Duce ſuſcitârunt. Tunc temporis novellum hunc Ducem invaſit ambitionis altioris, & honoris ſpiritus, ita ut legiſlatorem novæ Religionis ſeſe conſtituerit, atque ad ſolidandum magis ſuum ducatum ſuper Arabes, eis præſcripſerit novam Legem, Religionem, ſeu ſectam, hodie Mahometanam appellatam, quam fabricante quodam Sergio Apoſtatâ, priùs Monachô, ex Conſtantinopolitano Monaſterio ejectô ob hæreſim Arianam; & adjuvante etiam quodam perfido Judæo, compoſuit, atque in quendam librum, quem *Alcoranum* appellavit, retulit; quæ continet plura, ex Lege Veteri, & Nova Evangelica, ac Hæreticis primorum ſæculorum decerpta: quibus addidit ſua erronea dogmata, & fabulas. Hunc Alcoranum finxit Mahomet eſſe digitô DEI ſcriptum primitùs, & ſibi tanquam magno Prophetæ à DEO miſſo traditum per Gabrielem Archangelum. In confirmationem ejus falſa etiam quædam miracula, ſeu potius mira, arte diabolica fecit. Chriſtum tamen aſſerebat etiam eſſe verum Prophetam, natum ex Virgine MARIA, ſinè copula carnali; amicum, & ſpiritum DEI, Verbum DEI; non verò DEUM; ſed quid creatum; & ejus umbram tantùm fuiſſe actam in crucem. Erroribus autem ſuis brevi Arabiam totam, aliáſque finitimas regiones, à ſe bello ſubactas intoxicavit, maximè cùm in Oriente tunc vigerent hæreſes variæ Eutychianorum, Iconomachorum, Monothelitarum, Manichæorum, Neſtorianorum. Beſtialiter vixit annis circiter 63. & demum Anno Domini 630. mortuus eſt morte ſubitanea Mechæ; cadaver ejus in templo Mechano ab eodem priùs conſtructo primitùs ſepultum fuit; poſtea verò Medinam Arabiæ tranſlatum, ubi maximâ Turcarum veneratione colitur in hodiernum uſque diem, ita ut ſex millia lampadarum referantur ardere ad ejuſdem tumulum; ô deplorandus, ſuperſtitioſus, & impius cultus!

2. Nota ſecundò: Errores principales Sectæ Mahometanæ in Alcorano contenti ſunt ſequentes. 1. Tametſi detur verus DEUS, Creator cœli & terræ; nulla tamen extat Perſonarum Divinarum Trinitas. 2. Circumciſio

cumciſio defactò eſt adhibenda; ſed aſſecuto uſu rationis primùm; A carne porcina abſtinendum eſt. 3. Baptiſmus quoque eſt applicandus; ſed per modum puræ cæremoniæ; unde Turcæ quaſi quotidie adhibent baptizationes, ſeu lotiones cæremoniales. 4. Non Chriſtus; ſed ſolus DEUS judicabit in noviſſimo Judicio. 5. In ſua Religione poteſt quiſque ſalvari; modò credat DEUM. 6. Obſervatores Legis Mahometanæ in Paradiſo omne genus voluptatum carnalium aſſequentur, maximè mulierum elegantium copiam, alimentorum raritatem, &c. 7. DEUS non habet ullam providentiam; ſed caſu omnia fiunt. 8. Angeli ſunt creati ex flamma ignis. 9. Sacramenta Chriſtianorum non ſunt à DEO inſtituta, nec ab eodem approbata. 10. Chriſtiani non habent verum textum Evangelii. 11. Evangelium à DEO traditum Chriſto, corruptum fuit per Apoſtolos poſt Chriſti aſcenſum in cœlum; ſed emandatum per Alcoranum. 12. De fide diſputare cum Chriſtianis nefas eſt. 13. Fides non authoritatibus, & argumentis; ſed gladiô defendi, & propagari debet. 14. Eſt in poteſtate mariti dimittere ad libitum uxorem, & aliam ducere. 15. Deficiente fœmina, concubitus cum maſculis licitus eſt. 16. Quivis vir plures uxores habere poteſt; & ancillas tot, quot alere poteſt. 17. Nullæ imagines in templis, vel domibus tolerandæ ſunt. 18. Aſtro Chubar cultus eſt impendendus. 19. Mahometi in die judicii tradentur claves Paradiſi. 20. Occiſores hoſtium, vel occiſi ab hoſtibus potientur magnis voluptatibus Paradiſi. 21. DEUS, & Angeli orant pro Mahomete. Plura alia figmenta continentur in Alcorano.

ARTICULUS III.

De Schiſmate Græcorum.

1. NOta primò: Græci ſunt populi incolentes Græciam, inſuláſque adjacentes. Hi pluries ab unione, & obedientia Eccleſiæ Latinæ, ac Romani Pontificis defecerunt ſuſcitantes ſchiſma. Omnium primi ſchismatis, quod contigit An. 867. author fuit quidam Photius, qui dejectô S. Ignatiô M. laicum intruſit ad ſedem Conſtantinopolitanam, & Patriarchatum, favore, ac protectione Imper. Michaëlis, qui in vita peſſima fuit ſimilis Neroni, & Sardanapalo, teſte Baron. *ad An. 865.* Hoc ſchiſma etiam negavit hæreticè articulum de proceſſione Spiritûs S, à Patre, & Filio; & de eo Photius arguit hæreſis Eccleſiam Latinam. Tumultus varios exinde ortos recenſet Baron. *ad an. cit.* Utì & Græcæ Eccleſiæ reunionem cum Romana, quæ contingit An. 886. ſub Leone Imperat. qui Photium depoſitum ab Epiſcopatu truſit in monaſterium.

2. Nota ſecundò: Secundum ſchiſma Græcorum incepit An. 1024. Michaël Epiſcopus Conſtantinopolitanus, qui cùm à Joanne XX. Papa non obtinuiſſet prædicatum, quod petiit, ſcilicet ut Eccleſia Conſtantinopolitana diceretur *univerſalis* in Oriente, ſicut Romana vocatur univerſalis in toto orbe, unà cum Archi-Epiſcopo Bulgarorum à communione Eccleſiæ Romanæ receſſit. Quibus demum etiam adhæsêre An. 1054. Patriarchæ Antiochenus, Alexandrinus, & Hieroſolymitanus, ac alii Epiſcopi plurimi Orientis. Durante hoc ſchismate irrepsêre quoque hæreſes in Græca Eccleſia; quæ proinde auſa fuit damnare Latinam de azymo, qui adhibetur pro legitima confectione SS. Euchariſtiæ: & de articulo proceſſionis Spiritûs S. à Patre, & Filio.

3. Nota tertiò: Varia quoque alia ſchiſmata, & defectiones Græcorum ab unione, & obedientia Eccleſiæ Romanæ referuntur à Baron. & aliis Eccleſiaſticis ſcriptoribus; utì & reuniones eorundem, factæ per varia Concilia, & ſanctos DD. ſic per Conc. Barenſe circa annum 1097. à ſchismate communi reſipuerunt iidem Græci, confutati maximè doctrinâ S. Anſelmi. Et iterum An. 1215. in Conc. Lateranenſi redierunt ad eandem. Et rurſus An. 1274. in Conc. Lugdunenſi operâ FF. Minor. ſcilicet F. Hieronymi Eſculani, & F. Bonagratiæ Dalmatæ. Et in Conc. Florentino. Et Cardinalis Oſius *lib. de comm. ſub utraque ſpecie* ait, *Græci toties doctrinis variis & peregrinis abducti ſunt à Fide, ut decies & quater ad Eccleſiæ gremium redierint; & toties ſe abdicaverint.* Quare cùm ſolemniter toties juratam fidem, & communionem Eccleſiæ veræ Romanæ non ſervârint, demum juſtô DEI judiciô ſub durum jugum Turcarum devenit univerſa Græcia, ac finitima regna, in Græcæ Eccleſiæ ſchiſmate plerumque participantia. Et ab illo tempore lapſi ſunt Græci in complures alios errores; puta. 1. Spiritus S. procedit à ſolo Patre, & non à Filio. 2. Errat Latina Eccleſia non celebrando in fermentato. 3. Summus Pontifex non habet ullum Primatum ſupra Patriarchas, vel alios Epiſcopos Eccleſiæ. 4. Rom. Pontifex nihil poteſt decidere, aut definire in materia fidei, inconſultis Patriarchis. 5. Latina Eccleſia non adhibet veram formam baptiſmi à Chriſto

ſto

Digitized by Google

ſto datam. 6. Simplex fornicatio non eſt peccatum. 7. Ara, in qua celebrat Latinus Sacerdos, eô ipsô polluitur. 8. Benefacit Patriarcha Conſtantinopolitanus quotannis excomunicando Romanum Pontificem. 9. Nullum datur Purgatorium. 10. Animæ defunctorum non juvantur Miſſis, orationibus, aut eleëmoſynis. 11. Eædem animæ nec gloriâ fruuntur, nec pœnis æternis puniuntur ante diem Judicii. 12. Eædem ſedent ſub altari Domini uſque ad dictum diem. 13. Panis conſecratus in die Cœnæ Domini eſt majoris efficaciæ, quàm conſecratus aliis diebus. 14. Quatuor Minores Ordines non ſunt veri Ordines. 15. Secundæ nuptiæ non ſunt licitæ; nec verum Matrimonium. 16. Uſuræ nullâ lege ſunt prohibitæ. 17. Sacramentum Extremæ Unctionis non conducit ad alleviandum ægrum. 18. Confirmatio non eſt verum Sacramentum. 19. Eſt mera ſuperſtitio conſecrare Chriſma; utì & benedicere oleum infirmorum. 20. Conjugatis permittitur pro arbitrio conjugi renunciando ſolvere Matrimonium; atque adeò repudium non eſt condemnandum. 21. Erranr Latini Sacerdotes, miſcendo aquam vino in ſacrificio Miſſæ. 22. Simonia nulla lege obligante prohibetur; unde Patriarchæ poſſunt vendere Prælationes. 23. Reliquiæ panis conſecrati tranſeunt in reliquias corporis B. V. MARIÆ. 23. Errant Latini tempore Quadrageſimæ celebrando; exceptis diebus Sabbathinis & Dominicis. 25. Græci Confeſſarii poſſunt licitè abſolvere uſurarios, fures, & raptores, pretiô pro abſolutione acceptô, ſinè obligatione reſtituendi damnum ex parte pœnitentis. Græci Confeſſarii prudenter injungunt ſuis pœnitentibus, ut non obediant Eccleſiæ Romanæ; & etiam, ut occidant Latinos. 26. Imperator, & quivis Rex, & Princeps poteſt licitè in ſua ditione Patriarchas, Epiſcopos, & Sacerdotes punire, percutere, & deponere ex officiis, prout ipſis viſum fuerit. 27. Poteſt quis licitè decipere ſuum inimicum, eíque grave damnum inferre. 18. Peccant mortaliter comedentes carnes ſuffocatorum, aut aliàs in veteri lege prohibitas. 29. Peccant pariter mortaliter radentes ſuas barbas.

ARTICULUS IV.

De erroribus Rhutenorum; Abyſſinorum; Maronitarum; Surianorum; Jacobitarum; & Georgianorum.

1\. Nota primò: *Rhuteni* ſic dicti à Rhutena Provincia propriè ſunt illi populi, qui Provinciam *Ruſſiæ* ſeptemplicem incolunt: quoad errores verò Rhutenicos nomine *Rhutenorum* veniunt tum incolæ Ruſſiæ rubræ tam ſubjecti Regi Poloniæ, quàm non ſubjecti; tum Coſachi, Moldaui, Valachi Podolienſes, Ukrainenſes, Volhynienſes, & Moſcovitæ, quorum plerique participanr hodie in ſchismate cum Græcis; ſunt tamen plurimi inter eos etiam veri Catholici; maximè in Ruſſia Polonica, & alibi. Ex his nationibus ſchismaticis plures ſæpius redierunt ad communionem Eccleſiæ Latinæ; etiam noviſſimè ſub Clemente VIII. An. 1594. ſcatent tamen hodie regiones earum variis erroribus, præter ſchiſma. Et 1. tenent plurimi, Eccleſiam Romanam eſſe falſam, & excommunicatam. 2. S. Petrum nunquam fuiſſe Romæ Epiſcopum. 3. SS. Patres Latinos nullius eſſe authoritatis. 4. Papæ eſſe maledicendum, uti & omnibus illi obedientibus. 5. Papam non poſſe excommunicare. 6. Extremam Unctionem, & Confirmationem non eſſe Sacramenta. 7. Nullum extare Purgatorium. 8. SS. Euchariſtiam eſſe neceſſariò in fermentato pane cônficiendam. 9. Papæ non eſſe obediendum, &c.

2\. Nota ſecundò: *Abyſſini* ſic dicti à regione *Abyſſina*, ſunt illi populi, qui vaſtiſſimam regionem Æthiopiæ ſuperioris incolunt. Hi olim à S. Thoma Apoſtolo converſi fuerunt; ſed circa An. 500. Neſtoriana hæreſi infecti, & ab illo tempore nunquam expurgari; quin imò aliis quoque nocivis erroribus involuti. Hi docent 1. cibos in veteri Teſtamento prohibitos non eſſe comedendos. 2. Tam pueri, quàm puellæ ſunt circumcidendæ. 3. Non dies Dominica; ſed Sabbathum eſt celebrandum. 4. Infantes non oleô, ſed igne ſunt baptizandi. 5. Baptiſmus conferendus eſt quarto die poſt factam Circumciſionem; imò in Epiphania annuè quivis eſt rebaptizandus. 6. Omnibus Baptizatis illico Euchariſtia eſt miniſtranda &c.

3\. Nota tertiò: *Maronitæ* ſic dicti à *Marone*. ſunt populi habitantes circa Libanum; olim Fide Catholicâ fuerunt imbuti: ſed poſtea à quodam Marone hæreſis Monothelicæ profeſſore, Macarii Epiſcopi Antiocheni diſcipulo, perverſi ſunt ad hæreſim Monothelitarum. Unde docent cum iisdem hæreticis, unam duntaxat voluntatem & operationem in Chriſto. Huic articulo addidêre complures alios errores. Sed in Concilio Lateranenſi An. 1215. rurſus inſtructi fuêre in genuina fide Catholica; & uſque modò eandem

dem tenent, non obſtante continua Græcorum perſecutione.

4. Nota quartò: *Suriani* ſic vocati vel ab urbe *Sur* in Syria, vel ab ipſa *Syria*, ſunt populi incolentes Syriam. Hi laborant communiter iisdem erroribus cum Græcis, de quibus *prior art.*

5. Nota quintò: *Jacobitæ* ſic appellati ſunt à quodam *Jacobo* Syro, diſcipulo Dioſcori, & Eutichetis hæreticorum, & Hæreſiarchâ eorum. Hi inhabitant Nubiam, quæ eſt contermina Ægypto, & magnam partem Æthiopiæ uſque ad Indiam: converſi olim fuerunt à S. Matthæo Apoſtolo; ſed poſtea à dicto Jacobo hæreſi Eutychiâ correpti: Docent 1. Chriſtum habere unam tantùm naturam Divinam, in qua humana ſit commutata. 2. Chriſtianorum infantes utriusque ſexûs octavo die debent circumcidi. 3. Etiam baptizandi ſunt ferrô candenti, & eô adurendi, ac ſignandi in frontibus, genis, & brachio dextro. 4. Soli DEO, non homini confitenda ſunt peccata; & factâ tali confeſſione fumus excitandus, quô peccata confeſſa abeunt in nihilum.

6. Nota ſextò: *Georgiani* ſic dicuntur, eò quòd S. Georgium habeant pro maximo Patrono. Sunt populi habitantes regionem illam, quæ protendit à Trapezunte uſque ad montes Caſpios. Sunt bellicoſiſſimi, & formidabiles Turcis, Perſis, & Medis vicinis. Horum errores coincidunt cum erroribus Græcorum ex una parte; & ex altera cum erroribus Armenorum.

ARTICULUS V.

De erroribus Armenorum, Correriorum, & Barolorum.

1. NOta primò: *Armeni* vocantur ita ab *Armenia*, quam incolunt Provinciam in Aſia, jacentem inter Taurum, & Cauſaſum montes. Hi poſt ſuam converſionem ad fidem Chriſtianam lapſi ſunt in varias hæreſes circa An. 685. Et 1. Romanus Pontifex non pollet majori authoritate, quàm Patriarcha Armeniæ, vel alius. 2. Spiritus S. non procedit à Filio. 3. Eccleſia erravit condemnando Dioſcorum tanquam hæreticum, negantem in Chriſto duas naturas, & duas voluntates. 4. DEUS in S. Scriptura ſæpe eſt mentitus. 5. Chriſtus non habuit ullos defectus naturæ humanæ; nec fuit circumciſus. 6. Omnes fœminæ reſurgent in ſexu virili. 7. Licitum eſt repudiare uxorem pro libitu, & aliam ducere; imò plures. 8. Poteſtas conferendi Epiſcopatum reſidet in ſolo Patriarcha Armeniæ. 9. Nulla eſt certa forma abſolvendi à peccatis; & omnes Sacerdotes habent eandem cum S. Petro poteſtatem abſolvendi. 10. Romanus Pontifex poſt à ſe approbatum Concilium Calcedonenſe nullam habet poteſtatem ampliùs in rebus Eccleſiaſticis, 11. Anima filii generatur ex anima Patris, ſicut Angelus propagatur ab alio Angelo. 12. Animæ defunctorum nec gloriâ fruuntur, nec pœnis affliguntur inferni, ante diem Judicii. 13. Chriſtus deſtruxit poſt ſuam mortem infernum: unde modò malorum animæ patiuntur in Oceano ſulphuris. 14. Ad juſtificationem peccatoris ſufficit ſola Chriſti Paſſio. 15. Sacramenta nullam cauſant gratiam. 16. Nemo poteſt ſolis viribus liberi arbitrii peccare; ſed ad hoc requiritur Diaboli concurſus. 17. Sacerdos manducans carnes ſuillas, eo ipsô à DEO eſt derelictus, & à Diabolo poſſeſſus. 18. Relapſus nequit ſacramentaliter abſolvi. 19. Qui tertium celebrant matrimonium, tanquam maledicti ſunt expellendi ab Eccleſia. 20. Quædam delicta adeò gravia ſunt, ut nullô modô à DEO poſſint remitti. 21. Euchariſtiæ Sacramentum non cauſat alium effectum, quàm augmentum corporalis ſanitatis. 22. Presbyteri Eccleſiæ Latinæ errant admiſcendo aquam calici in Miſſa. 23. Confeſſio auricularis non eſt neceſſaria, & multo minùs ſpecifica expoſitio omnium peccatorum. 24. Nativitas Domini debet celebrari in Vigilia Epiphaniæ. 25. Peccatum originale à nullo contrahitur; unde ob illius deletionem infans recens natus non eſt baptizandus. 26. Non extat ullum Purgatorium. 27. Etiam pro Sanctis defunctis, & B. V. orandum eſt, ut bonam habeant reſurrectionem, in die finalis Judicii, 28. Actus matrimonialis, etiam ex fine procreandæ prolis exercitus, ſemper eſt peccaminoſus. 29. Si primi parentes perſeveraſſent in ſtatu innocentiæ, non habuiſſent ullam copulam carnalem; ſed homines generarentur ſinè coitu, procedentes ſicut lumen de lumine. 30. Natura humana Chriſti tranſiit in Divinam. 31. Animæ damnatorum ante Chriſti mortem, deſtructô per ejus mortem infernô diſperſæ volant per aërem ſinè ullis pœnis. 32. Sola Eccleſia Armenorum eſt Catholica; Romana verò eſt ſynagoga Diaboli. 33. Infantes latino ritu baptizati rebaptizandi ſunt. 34. Sacerdotibus Armenorum ſinè periculo pœnæ, aut culpæ licet cognoſcere ſuas uxores

res ſodomiticè. 35. Ad eſſentiam Baptiſmi præter materiam, & formam, requiritur etiam unctio olei, & ſumptio Euchariſtiæ octavo die. 36. Corpus, & Sanguis Chriſti non ſunt realiter præſentia ſub ſpeciebus Euchariſticis. 37. Sacerdos fornicarius nec licitè, nec validè adminiſtrat Sacramenta; bene tamen lapſus in Judaismum, vel Paganismum; dummodo doleat de lapſu. Et plures alios errores refert Baron. ad An. 865.

2. Nota ſecundò: *Correrii* ſic vocitantur à loco hujus nominis, quem incoluerunt: eorum author ignoratur. Laborant autem ſequentibus erroribus. 1. Corpus Adæ fuit plasmatum à Diabolo, & illi infuſus Angelus. 2. Animæ juſtorum morantur ſimul cum anima Chriſti in aëre uſque ad diem Judicii. 3. DEUS non eſt trinus in perſonis. 4. Vetus Teſtamentum non pertinet ad Canonicos libros Scripturæ ſacræ. 5. B. V. MARIA fuit Angelus, & non fœmina. 6. Corpus Chriſti non fuit glorioſum, imò in extremo judicio apparebit tanquam cadaver putridum.

3. Nota tertiò: *Baroli* pariter à tali loco appellati ſunt: eorum errores ſunt hi. 1. Corpus Chriſti fuit tantùm aëreum. 2. B. Virgo Maria fuit Angelus. 3. Omnes animæ ſunt creatæ à DEO ante creationem Mundi, & tunc peccârunt; ac proinde in pœnam ut pœnitentiam agant, infunduntur nunc huic, nunc illi corpori.

ARTICULUS VI.

De Simoniacis, Cerinthianis, Menandrinis, Nazareis, Ebionitis, & Nicolaitis.

1. NOta primò: *Simoniaci* ſic vocantur. à *Simone* Mago, omnium hæreticorum anteſignano poſt Chriſtum natum, qui exorſus eſt hanc ſectam an: Domini 34. Deinde à S. Petro Apoſtolo ex aëre fuit dejectus, & eliſâ cervice mortuus. Hi docuerunt ſequentes errores: 1. licitum eſt dona DEI, & Eccleſiaſticas functiones pecuniâ emere, & vendere. 2. DEUS non creavit mundum viſibilem. 3. Simon fuit ille ſpiritus, qui in linguis igneis venit ſuper Apoſtolos. 4. Simon egit in monte Sinai vices æterni Patris dando legem veterem. 5. Uſus fœminarum indifferens, etiam propriæ Matris, vel ſororis, non eſt prohibitus à DEO. 6. Nunquam fiet reſurrectio carnis &c. Quam propoſitionem etiam docuerunt Hymenæus, & Alexander, de quibus facit mentionem Apoſtolus *1. ad Timoth. 1.*

2. Nota ſecundò: *Cerinthiani* originem, & appellationem habent à quodam *Cerintho* Hæreſiarcha, qui vixit tempore Apoſtolorum circa An. 60. homine ſceleratiſſimo. Docuerunt autem ſequentia. 1. Mundus non eſt creatus à DEO; ſed ab Angelis. 2. Chriſtus fuit tantùm purus homo. 3. Etiam vetus Teſtamentum defactò ſecundùm omnia præcepta, ritus, cæremonias neceſſariò eſt ſervandum. 4. Chriſtus poſt mille annos rurſus ad mundum veniet, & tunc regnabit ſecundùm carnales voluptates ventris, & libidinis. Ob hoc dictum multi vocant illos *Chiliaſtas*, id eſt *Millenarios*. 5. Chriſtus non reſurrexit tertiâ die; ſed primò in fine Mundi reſurget.

3. Nota tertiò: *Menandrini* ſic nominantur à quodam *Menandro* diſcipulo Simonis Magi. Docent eadem dogmata, quæ Simoniaci ſuprà *not. 1.* Et addunt; 7. mundum à ſolis Angelis fuiſſe creatum.

4. Nota quartò *Nazarei* erant certi hæretici primi ſæculi, incognito authore enati. Hi aſſerebant 1. ritus Judæorum defactò à Chriſtianis debere ſervari. 2. Chriſtum non eſſe verum DEUM. 3. Conceſſum eſt Chriſtiano tempore gravis perſecutionis ore Chriſto renunciare; dummodo fidem ejus corde retineat.

5. Nota quintò: *Ebionitæ* ſic appellantur à quodam *Ebione* Cerinthi hæreſiarchæ diſcipulo: incepit ſectam ſuam An. 70. Is, & ejus ſequaces eosdem tenent errores, quos Cerinthiani, ut ſuprà *not. 2.* Et addunt 6. Chriſtum ex copula carnali viri fuiſſe genitum. 7. Non omnes D. Pauli Epiſtolas, utì jacent, eſſe Canonicas &c.

6. Nota ſextò: *Nicolaitæ* appellationem habent à quodam *Nicolao* Antiocheno, qui fuit unus ex 7. Diaconis, qui cum Stephano à SS. Apoſtolis fuerant deputati in miniſterium viduarum: incepit hæreſim An. 70. ipſe, & diſcipuli ejus docuerunt 1. licitum eſt promiſcuè uti fœminis. 2. Ritus Judæorum, & ſuperſtitiones Gentilium laudabiliter obſervantur. 3. Mundus eſt creatus à ſolis Angelis. De hac ſecta fit mentio *Apoc. 2. cap.* ibi; *hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarum.*

ARTIC.

ARTICULUS VII.

De Marcioniſtis, Cerdonianis, Gnoſticis, Baſilidianis, Valentinianis, Carpocratitis, & Marcitis.

1. NOta primò : *Marcioniſtæ* hæretici originantur à *Marcione* Pontico, Philoſopho Stoicæ ſectæ; ſed ad fidem converſo tempore Pii I. Papæ & Mart. Hic Marcio circa An. 160. immiſcuit Fidei Chriſtianæ aliquos errores Philoſophorum; & ſimiliter amplexus eſt dogmata Cerdonis mox adducenda. Is cum quodam die Romæ obviam factus fuiſſet S. Polycarpo, eundem interrogavit, cognoſcis ne me ? reſpondit dictus Sanctus, *noſco primogenitum Sathanæ.* Marcioniſtarum errores ſunt hi præter Cerdonios articulos. 1. Duo ſunt Dii, ſeu rerum principia, unum bonum, & alterum malum. 2. Solius Lucæ Evangelium, & Pauli Epiſtolæ ſunt Canonici libri S. Scripturæ. Vivi pro mortuis baptizandi ſunt, ut ſalventur. Unde aliquo homine defuncto ſtatim vivus obvius interrogabatur ab eis, num vellet baptizari locô defuncti; quem annuentem etiam ſtatim baptizabant; & hac ratione putabant animam defuncti ſalvari.

2. Nota ſecundò : *Cerdoniani* deſcendunt à quodam *Cerdone* hæretico, qui vixit 2. ſæculo poſt Chriſtum natum. Docuerunt ſequentes articulos hæreticos. 1. Duo ſunt Dii, unus bonus, alter malus. 2. Chriſtus eſt genitus ex DEO bono. 3. DEUS malus eſt author Legis, & Prophetarum. 4. Chriſtus non habet verum corpus; nec eſt paſſus, nec mortuus pro nobis, &c.

3. Nota tertiò : *Gnoſtici* ſic vocantur, eò quòd nomen ſcientificorum ſibi arrogaverant. Sunt autem quædam colluvies, collecta ex Nicolaitis, Carpocraticis, ac aliis quibuſdam hæreticis circa An. 120. Docuerunt inter cætera, quòd 1. anima rationalis ſit creata ex ſubſtantia DEI. 2. Quòd duo ſint Dii, videlicet bonus, & malus. Eorum anteſignanus ignoratur.

4. Nota quartò : *Baſilidiani* cognomentum ſortiti à quodam *Baſilide*, Simonis Magi ſectatore, qui vixit in ſecundo ſæculo poſt Chriſtum natum. Hic Simoniacorum erroribus addidit ſua particularia figmenta ſequentia. 1. Tot ſunt cœli, quot in Anno dies, id eſt 365. 2. Mundus non eſt creatus à DEO, ſed ab ultimo cœlo, id eſt trecenteſimo ſexageſimo quinto. 3. Laudabile eſt componere carmina amatoria, eadémque diſcere, & canere &c.

5. Nota quintò : *Valentiniani* appellationem trahunt à quodam Valentino, Platonicæ doctrinæ ſectatore, qui vixit pariter ſæculo 2. Horum fabulæ ſunt ſequentes. 1. Fuerunt ab exordio æternitatis triginta Ænæ, id eſt ſæcula, quorum principium fuêre *Profundum, & ſilentium*; id eſt verbum, & vita: & ex horum connubio proceſſit intellectus, & veritas. 2. Nunquam fiet generalis reſurrectio mortuorum. 3. Diabolus genitus eſt à trigeſima Æna, ab eoque deinde reliqui Diaboli procreati ſunt; à quibus fabricata eſt tota mundi machina. 4. Chriſtus miſſus à Patre tranſivit tantùm per B. V. Mariam, veluti per quandam rimam, aut fiſtulam, ita ut nullam ex ea traxerit carnem. 5. Univerſa mala, quæ fiunt, neceſſariò fiunt. 6. Corpus Chtiſti fuit tantùm aëreæ naturæ. Eoſdem errores amplexi ſunt *Senandriani*, & *Ptolomæitæ*, ſic vocati à ſuis Ducibus; & addiderunt; nullam carnalem turpitudinem à DEO prohibitam eſſe.

6. Nota ſextò : *Carpocratitæ* ſic dicuntur à quodam *Carpocrate* hæreſiarcha immundo 2. ſæculi. Hi præter alios errores, ſenſerunt. 1. Chriſtum eſſe purum hominem, ex coitu viri & fœminæ natum : quam propoſitionem etiam profeſſus eſt *Symachus* in eodem ſæculo; & propterea dixit Imperatori, Chriſtianos eſſe idololatras, eò quòd colant Chriſtum ut DEUM. 2. Tenuerunt Carpocratitæ, nullam carnalem turpitudinem eſſe à DEO prohibitam; & multos alios ſparſerunt errores.

7. Nota ſeptimò : *Marcitæ* prodierunt à quodam *Marco* Valentini diſcipulo, tempore Hygini Papæ. Senſerunt 1. Chriſtus non eſt paſſus verè. 2. Nulla erit carnis reſurrectio. 3. Tenuerunt omnia dogmata Valentini. His ſubſcripsêre etiam *Clabaraſii* : & præterea addiderunt novum delirium; ſcilicet vitam, & generationem hominum in ſeptem ſideribus conſiſtere.

ARTICULUS VIII.

De Cataphrygis, Appellitis, Tatianis, Ophitis, Severianis, Pepuſianis, & aliis 2. ſæculi.

1. NOta primò : *Cataphrygæ* hæretici originem habent à Montano in 2. ſæculo in Provincia *Phrygiæ*, à quo etiam ſic appellantur; qui, ut dogmata ſua ſuis

ſectatoribus

Sectatoribus magis perſuaderet, finxit ſe eſſe Spiritum S. Et ſuas duas meretrices Maximillam, & Priſcam eſſe Prophetiſſas. Hi errones unà cum ſuo Duce memorato docuerunt. 1. Nuptiæ à DEO ſunt prohibitæ. 2. Uſus fœminarum quarumcunque promiſcuus, etiam propriæ Matris, eſt licitus. 3. Panis pro conſecratione Corporis Chriſti debet confici ex farina, & ſanguine innocentis pueri. 4. Fide firmiter eſt tenendum, Montanum eſſe Spiritum S. & Maximillam, ac Priſcam Prophetiſſas veras. Vocantur etiam *Montaniſtæ*.

2. Nota ſecundò: *Appellitæ* ſic vocitantur à quodam *Appelle*, hæretico ſecundi ſæculi. Laborant his erroribus. 1. Chriſtus conſcendit cœlum relictâ carne ſua in terris. 2. Ejus corpus non ex carne Matris; ſed ex elementis compactum fuit. 3. Chriſtus non fuit verus DEUS. 4. Dantur duo prima principia rerum omnium, unum bonum, alterum malum. 5. Machina hujus mundi fabricata eſt à principio primo malo.

3. Nota tertiò: *Tatiani* proveniunt, & cognominantur à quodam *Tatiano*, qui huic, & *Encratitarum* Sectæ initium dedit in 2. ſæculo; aſſeruítque. 1. Protoparentes condemnati ſunt ad pœnas inferni. 2. DEO non diſplicet indifferens uſus quarumcunque fœminarum. 3. Peccatum eſt comedere carnes. 4. Nuptiæ ſunt prohibitæ. 5. Epiſtolæ D. Pauli non ſunt canonicæ. 6. Sathanas produxit vitem & vinum, &c.

4. Nota quartò: *Ophitæ* ſic dicti à græca voce *Ophis*, id eſt *coluber*; eò quòd in 2. ſæculo poſt Chriſtum docerent, Chriſtum fuiſſe illum ſerpentem, qui Protoparentes in Paradiſo ſeduxerat: quare in ejuſdem memoriam, domi ſemper nutriebant, & venerabantur vivum ſerpentem: unde & *ſerpentini* vocabantur. Aliis quoque laborârunt erroribus diverſis.

5. Nota quintò: *Severiani* appellationem trahunt à quodam *Severo*, hæretico ſimiliter ſecundi ſæculi. Errârunt autem in ſequentibus. 1. Fruſtra expectatur reſurrectio generalis mortuorum. 2. Inter Scripturas Canonicas non eſt computandum Vetus Teſtamentum. 3. Protoparentes juſtè defactò puniuntur pœnis inferni, ob peccatum in Paradiſo commiſſum. 4. Vinum bibere eſt peccatum. 5. Nam Diabolus terrâ coöperante primitùs protulit vinum, &c.

6. Nota ſextò: *Pepuſiani* ſic dicuntur à quodam oppido *Pepuſa*, patria Montani hæreſiarchæ. Hi in ſecundo ſæculo dogmatizârunt. 1. Etiam fœminis poſſe conferri Eccleſiaſticas dignitates quaſcunque. 2. Chriſtus comparuit Priſcæ, & Quintillæ in forma cujusdam fœminæ, & tunc eaſdem ordinavit in Presbyteros (ab his duabus fœminis originantur Hæretici *Quintilliani*, & *Priſcilliani*.) 3. Materia conſecrationis Corporis Chriſti præparari debet ex farina, & ſanguine pueri innocentis.

7. Nota ſeptimò: Præter enumeratas hæreticorum ſortes, complures aliæ eodem 2. ſæculo falſis dogmatibus inſectatæ fuerunt Eccleſiam DEI. Tales erant *Alogianni*, ſic dicti à ſuo errore, quo negârunt, Filium in Divinis eſſe Verbum Patris. Hi præter alia quoque dogmata falſa, etiam dixerunt, Evangelium S. Joannis, ac ejus Apocalypſim eſſe libros apogryphos. Item *Artolyritæ*, qui pro materia conſecrationis Euchariſtiæ panem, & caſeum adhibendum dixerunt; à qua oblatione etiam nomen ſortiti ſunt. Item *Teſſaradecaitæ*, ſic dicti à dogmate, quô aſſerebant lunâ 14. more Judæorum celebrandum eſſe Paſcha. Item *Perdaſanitæ* ſic appellati à quodam *Perdaſane* Valentini hæreſiarchæ ſectatore, qui voluerunt omnes homines alligatos eſſe fatalibus quibuſdam aſtris, à quorum influxu dependerent cunctæ hominum operationes. Item *Nazaræi*, ſic vocati à civitate *Nazareth*; qui dogmatizârunt. 1. Ad ſalutem requiritur præter obſervantiam præceptorum Fidei Chriſtianæ, etiam Legis Moſaycæ obſervatio. 2. Quare infantibus neceſſariò applicanda eſt Circumciſio. 3. Summè placet DEO alere capillaturam. Item *Melchiſedechiani* ſic appellati, quia credebant Sacerdotem illum veteris Legis Melchiſedech, non fuiſſe verum hominem; ſed Spiritum S. Item *Theodotiani*, à quodam *Theodotio* ſic vocati; qui putabant. 1. Chriſtum fuiſſe purum hominem; & denominativè tantùm DEUM. 2. Licitè poſſe negari Fidem Chriſti tempore perſecutionis. Item *Noëtiani*, à quodam *Noetio* ſic dicti, hi docuerunt. 1. Noëtium eſſe Moyſem, & ejus Fratrem Araonem. 2. Non Filium, ſed Patrem fuiſſe actum in crucem; unde & *Patripaſſiani* vocati ſunt. Item *Elceſei*, ſeu *Elceſaitæ* qui ſic dicti ſunt à quodam Pſeudopropheta *Elceſeo*: vocantur etiam *Samſei*. Hi tenuerunt omnes errores Ebionitarum. Et inſuper addiderunt ſequentes 1. Priſcam, & Quintillam tanquam Deas adorârunt. 2. Matrimonia omnia ſpreverunt, tanquam illicita. 3. Abjecerunt Epiſtolas S. Pauli ex numero librorum Canonicorum S. Scripturæ. 4. Licitum eſt in periculo ore negare fidem; modò retineatur in

corde. Item *Theodoſiani* ſic dicti à *Theodoſio* quodam Conſtantinopolitano. Docuerunt 1. Chriſtus eſt purus homo. 2. B. Virgo ſpernenda &c.

ARTICULUS IX.

De Originiſtis, Sabellianis, Photinianis, Apoſtolicis, Samoſatenis, Novatianis, & Porphyrianis.

1. NOta primò: *Originiſtæ* nomen trahunt ab *Origine* doctiſſimo Viro, & famoſiſſimo Doctore, qui vixit ſæculô tertiô, & ultra 6000. voluminum ſcripſit, teſte Hieronymo. Hic etſi aliàs fuerit Catholicus in aliis ſcriptis ſuis; utì patet evolventi ejuſdem volumina, maximè quæ edidit in S. Scripturam; & propterea pro Patre habeatur: *in lib.* tamen *Periarchon* ſequentes docuit errores An. 220. forſitan non cum pertinacia, more hæreticorum; utì eum excuſant plures graves DD. 1. Itaque ipſe, & poſt eum omnes Originiſtæ volunt, Angelos, & animas rationales fuiſſe à DEO creatas ante mundi conſtitutionem. 2. Animæ præfatô modô creatæ infunduntur corporibus, ubi velut in carcere detinentur. 3. Datur animarum transmigratio de uno ad aliud corpus. 4. Filius in Divinis non poteſt videri. 5. in animalibus irrationalibus, & plantis præter animam vegetativam, & ſenſitivam, reperitur adhuc alia tertia peccati capax. 6. Nec Beatitudo, nec miſeria perpetua eſt; ſed alternativè ſibi invicem ſuccedunt; unde animæ quæ nunc beantur in cœlis, poſtea punientur in gehenna.

2. Nota ſecundò: *Sabelliani* originantur à quodam *Sabellio*, diſcipulo Noëtii, qui vixit tertiô ſæculô An. 260. Et defendit omnes errores citati ſui Magiſtri; ſignanter de Paſſione Patris locô Filii. Præterea idem, & ejus ſequaces docent. 1. Non dari in Divinis Trinitatem Perſonarum. 2. Chriſtum non eſſe verum DEUM &c.

3. Nota tertiò: *Photiniani* à *Photino* quodam hæretico Epiſcopo, Pauli Samoſateni Diſcipulo nomen ſortiti ſunt; conſurrexerunt An. 260. Et omnes articulos hæreſis Samoſatenianæ, de quibus infrà *not. 5.* docuerunt, volentes in hoc morem gerere ſuo Magiſtro primitivo, ſeu avo.

4. Nota quartò: *Apoſtolici* erant quidam hæretici, qui circa An. Domini 260. teſte D. Auguſtino ſe ipſos appellârunt hoc nomine; eò quòd omnia haberent in communi more Apoſtolorum. Dogmata falſa horum Sectariorum fuêre hæc. 1 Apoſtoli nullam unquam receperunt pecuniam. 2. Apoſtoli nihil proprii unquam habuerunt; nec tale quid habere poterant. 3. Eccleſiaſticis non licet poſſidere aurum, argentum, vel bona alia.

5. Nota quintò: *Samoſateniani* fundati ſunt in nomine, & ſecta à quodam Paulo *Samoſateno*, temporibus Severi Imp. & Victoris I. Papæ An. 260. vocantur etiam *Pauliniſtæ*. Eorum errores ſunt ſequentes. 1. Chriſtus nullô modo fuit ante Mariam. 2. Idem conceptus fuit more aliorum hominum, ſcilicet per copulam carnalem. 3. Idem fuit purus homo. 4. Forma quâ utitur Eccleſia Catholica in baptizando, eſt inanis, & nullatenus à Chriſto inſtituta, &c.

6. Nota ſextò: *Novatiani* appellationem trahunt à quodam *Novatio*, impio Romano ſacerdote, qui vixit tempore Cornelii Papæ. Horum errores referuntur ſequentes. 1. Nulla erit reſurrectio generalis. 2. Sacramenta ſunt mera commenta Diaboli, ac proinde contemnenda à Chriſtianis. 3. Nullæ nuptiæ ſunt celebrandæ. 4. Nemo poteſt abſque peccato manducare carnes, caſeum, & ova. 5. A Catholicis baptizati ſunt neceſſariò rebaptizandi. 6. Ad juſtificationem nulla neceſſariò requiritur pœnitentia in adultis peccatoribus. 7. Sanctorum invocatio eſt explodenda. 8. Æquè licet homini ſe venenô, vel aliô modô occidere, ac ſuaſu Medici pullum gallinæ devorare. 9. Non eſt licitum ulli Judici punire malefactores, vel hæreticos. 10. Extra fidem Catharorum nemo ſalvatur. 11. Gratus eſt DEO promiſcuus concubitus cum quibusvis fœminis, etiam Matre, & ſorore. 12. Mali æquè, ac boni ſalvantur. 13. Panis triticeus non eſt materia conſecrationis Corporis Chriſti, quia eſt creatura Diaboli. 14. Nullum Purgatorium extat. 15. Sacramenta à Novatiano inſtituta, vera ſunt; non verò illa alia Chriſti. 16. Non minùs infantes baptizati morientes puniuntur, ac latrones, & homicidæ in peccatis defuncti.

7. Nota ſeptimò: *Porphyriani* deſcendunt à *Porphyrio* Philoſopho authore Prædicabilium; hic vixit tempore Juliani Apoſtatæ, cui ſe etiam conformavit, deficiendo à Fide Chriſti ad Paganiſmum. Ipſe & ejus aſſeclæ tenuerunt plurimos errores præcipuè autem. 1. Cultum idolorum eſſe laudabilem. 2. Diabolo ſunt facienda ſacrificia, ne noceat. 3. Diabolus creavit carnes; ac proinde

eis

eis non licet veſci. 4. Contra Chriſtum infinitas effutierunt blaſphemias, quas hîc prætereo.

ARTICULUS X.

De Arianis, Eunomianis, Aërianis, Macedonianis, Meſſalinis, Fontinianis, Euſtachianis, & aliis ſiliquis 4. ſæculi.

1. NOta primò: *Ariani* Ducem habent *Arium* Sacerdotem Alexandrinum, qui vixit temporibus Conſtantini Magni Imperatoris, & Sylveſtri Papæ; ſectam inchoavit circa An. 315. Hi varias tenuerunt hæreſes, principales ſunt iſtæ. 1. Filius eſt creatura Patris; & Spiritus S. eſt creatura Filii. 2. Filius eſt minor Patre. 3. Tres Perſonæ Trinitatis non habent eandem Eſſentiam. 4. Chriſtus aſſumpſit carnem ſinè anima rationali, &c.

2. Nota ſecundò: *Eunomiani* veniunt à quodam Eunomio Arii diſcipulo, qui vixit ſæculô. 4. Errârunt, ùt ſequitur. 1. Filius non eſt coæqualis Patri in ſubſtantia. 2. DEUS nihil ſcit ampliùs de ſua ſubſtantia. 3. Omnes Eunomiani ſunt à DEO prædeſtinati ad vitam æternam conſequendam.

3. Nota tertiò: *Aëriani* ſic appellati ſunt ab *Aërio*, aliàs ſectatore Arianiſmi, qui vixit quartô ſæculô. Is ejúſque ſequaces ſequentia ſecuti ſunt dogmata. 1. Miſſa offertur in vanum pro defunctis. 2. Eccleſia errat conſtituendo certis diebus jejunia. 3. Epiſcopatus non addit novam poteſtatem ſuper Presbyteratum. 4. Manducantes carnes peccant mortaliter.

4. Nota quartò: *Macedoniani* nomen habent à quodam *Conſtante Macedonio*, Epiſcopo Macedonenſi, qui inchoavit hæreſim ſuam An. 360. poſt Chriſtum natum. Hi varias ſeminârunt hæreſes; ſed præcipua fuit, Spiritum S. eſſe puram creaturam.

5. Nota quintò: *Meſſalini* (qui & *Enthuſiaſtæ*, hoc eſt inflati, ſeu divini dicuntur) conſurrexerunt An. 361. ducibus Saba Adelphico, Hermia, Simeone, & Dudini. Errârunt ùt ſequitur. 1. DEUS non creat ullas animas rationales. 2. Baptiſma non eſt deletivum peccati originalis. 3. Sed tale per Orationem Dominicam deletur. 4. Sumptio S. Euchariſtiæ nec quidquam prodeſt, nec obeſt.

6. Nota ſextò: *Fontiniani* 4. ſæculô hæretici cognomen acceperunt à *Fontino* Ebionita. Hi cum ſuo Authore docuerunt. 1. Chriſtum eſſe genitum ex ſeminali copula Jeſephi cum Maria. 2. Mariam fuiſſe fœminam, ſicut ſunt aliæ fœminæ. 3. Chriſtus non fuit verus DEUS. 4. Is tamen ſuis meritis ſibi promeruit cultum Divinum.

7. Nota ſeptimò: *Euſtachiani* originantur ab *Euſtachio* hæretico 4. ſæculi, qui convixit S. Sylveſtro Papæ, & fuit Epiſcopus Sebaſtæ. Is cum ſuis docuit 1. Sanctos non eſſe invocandos. 2. Nec ullum honorem eiſdem exhibendum. 3. Templa non debent DEO conſecrari. 4. Sed ei dedicata debent conſpurcari. 5. DEUS non creat animas rationales.

8. Nota octavò: Plures aliæ hæreſes hôc ſeculô quartô tumultuantes reperiuntur. inter principales ſunt *Antropomorphitæ*, incerto authore orti in Ægypto; vocantur etiam *Vadiani*. Docent autem 1. Quòd DEUS ſit corporeus, habeátque manus, & pedes; à qua propoſitione etiam acceperunt præfatum nomen. 2. Eccleſiaſtici nequeunt bonâ conſcientiâ poſſidere bona ſtabilia. 3. Paſcha juxta morem Hebræorum 14. Lunâ celebrandum eſt. Item *Aëſiani* nati à quodam *Aëſio* Ariano. Horum dogmata ſpecialia ſunt. 1. Filium eſſe per omnia etiam perſonalia ſimilem Patri, & Spiritum Sanctum Filio. 2. Habentibus Fidem nihil imputatur pro peccato. Item *Cumaniani* à *Cumano* aliquo ſic dicti: horum ſecta erat partita; aliqui enim erant Arianiſmo addicti. Aliqui pro DEO habebant primum animal, quod manè obvium habebant. Aliqui nullum agnoſcebant DEUM. Item *Seleuſiani* orti à *Seleuſio*, & Hermeo hæreticis. Docuerunt hæc 1. DEUS eſt cauſa omnium malorum. 2. Baptiſmus aquæ nihil valet. 3. Nullus datur Paradiſus cœleſtis. 4. Materia, ex qua Angeli creati ſunt, fuit coæterna DEO. 5. Anima rationalis creatur ab Angelis, concurrente igne, & ſpiritu. Item *Metangiſmonitæ* incerto authore nati, ſunt fæx Arianorum: & ſpecialiter tenent, Filium æternum eſſe in Patre, ſicut vas parvum in vaſe majori; ac conſequenter Filium eſſe minorem Patre. Item *Antemarianiſtæ* authore Helvidio prodierunt; unde & *Helvidiani* dicuntur. Docuerunt B. V. MARIAM poſt Chriſtum natum, fuiſſe ſæpiùs carnaliter cognitam à S. Joſepho; pluréſque proinde proles enixam eſſe; à qua propoſitione impugnatoria Virginitatis Mariæ, etiam

Digitized by Google

nomenclaturam ſuam ſumpſêre. Et *Apolli-nariſtæ* ortum ducentes ab *Apollinari* quodam ſæc. 4. tenent ſequentes errores. 1. Chriſtum non ſumpſiſſe carnem ex Virgine; ſed aliquid Verbi Divini tempore Incarnationis converſum eſt in carnem Chriſti. 2. Chriſtus habuit ſolum corpus, & animæ locô fuit Verbum. 3. Una anima naſcitur ex alia ſicut caro ex carne. 4. Sicut in Chriſto fuit una ſola natura, ſic & una ſola voluntas.

ARTICULUS XI.

De Tertullianiſtis, Jovianis, Donatiſtis, Priſcillianiſtis, Anonymis, ac aliis ſæculi 4. Erronibus.

1\. NOta primò: *Tertullianiſtæ* à famoſo veteri Doctore *Tertulliano* appellationem habent, qui vixit ſæculô 5. poſt Chriſtum natum; qui tametſi plurima Catholica in ſuis eruditis monumentis tractet; aliquos tamen etiam errores in Fide ibi intermiſcuit: quare is, & ejus ſequaces dicunt. 1. Anima rationalis generatur ex traduce, ſeu materia. 2. Anima rationalis conſtat partibus corporeis. 3. Anima filii generatur ex anima patris, ſicut corpus ex corpore. 4. Animæ rationales ſeparatæ à ſuis corporibus convertuntur in Dæmones. 5. Secundæ nuptiæ ſunt inhibitæ à DEO. 6. Dogmata Cataphrygarum ſunt vera, & Catholica &c.

2\. Nota ſecundò: *Joviniani* prodeunt ſæculô 5. à quodam *Joviniano* profugo Monacho Romano: habéntque ſequentes errores. 1. Chriſtus non eſt genitus de Virgine; ſed de fœmina corrupta. 2. Omnia peccata ſunt æqualia. 3. Per Baptiſmum regeneratus non poteſt peccare. 4. Non proſunt ad ſalutem jejunia, & abſtinentiæ. 5. Status Virginalis non eſt perfectior matrimoniali.

3\. Nota tertiò: *Donatiſtæ* originem trahunt à quodam *Donato* Afro, tempore Liberii Papæ. Errant in ſequentibus. 1. Filius in Divinis eſt minor Patre. 2. Non datur vera Eccleſia extra congregationem Donatiſtarum. 3. Catholici accedentes ad Sectam Donatiſtarum rebaptizandi ſunt. 4. Inter Eccleſiam non ſunt boni, & mali; ſed ſoli boni. 5. Placet DEO mors violenta per injectionem in ignem, vel aquam, vel per ſuffocationem, &c.

4\. Nota quartò: *Priſcillianiſtæ* Ducem habent quendam *Priſcillianum* Hiſpanum, Abilæ ſeculô 5. & tenent ſequentia dogmata. 1. DEUS malus fecit carnes. 2. Sacra Scriptura, quâ Catholici utuntur, non eſt Canonica. 3. Quivis homo naſcitur ſub conſtellatione alicujus Stellæ, quæ tanquam fatum regulat omnes ejus actiones. 4. Doctrina Sabellii contra Chriſti nativitatem, & vitam non eſt hæretica. 5. Anima rationalis eſt pars Divinæ ſubſtantiæ. 6. Mundus fabricatus eſt à DEO malo. 7. Carnium manducatio eſt prohibita à DEO. 8. Matrimonium non eſt Sacramentum; nec DEO gratum.

5\. Nota quintò: *Anonymi* ſunt hæretici quidam, quos tacito Duce refert S. Auguſtinus, & propterea etiam hoc nomen adepti ſunt. Errant autem in ſequentibus. 1. Nudis pedibus ambulare eſt neceſſarium ad ſalutem. 2. Tres Perſonæ Divinæ conſtant triformitate, id eſt, diverſis tribus naturis. 3. Extant defacto plures mundi. 4. DEUS non creavit elementum aquæ. 5. Chriſtus etiam ſecundùm Divinitatem eſt paſſus dolores in Cruce. 6. Idem etiam ſecundùm Divinitatem eſt in tempore genitus à Patre. 7. Non anima; ſed corpus hominis eſt factum ad imaginem DEI. 8. Chriſtus non deſcendit poſt mortem ad inferos. 9. Animæ rationales ſeparatæ vertuntur nunc in Dæmones; nunc in varia animalia.

6\. Nota ſextò: Reperiuntur & aliæ Sectæ hujus ſæculi; inter quas ſunt *Luciferiani*, hi dicti à quodam *Lucifero* Epiſcopo Caralitano. Docuerunt animas factas eſſe corporeas quamvis immortales; & generari, ex anima patrum. Et *Paterniani*, qui alio nomine vocantur *Venuſtiani*. Horum abſurdum recenſet dogma S. Auguſtinus *her. 84.* quô volunt, pudenda viri, & fœminæ à Diabolo eſſe facta, & idcirco licitum eſſe, promiſcuè uti illis membris pro opere carnali. Item *Proclianitæ* orti in Galatia, docuerunt ſequentia. 1. Non erit reſurrectio corporum. 2. Neque judicium univerſale. 3. Verbum Divinum non aſſumpſit carnem. Item *Patritiani* à *Patritio* Romano deſcendentes; qui errârunt ſpecialiter in hoc, quòd crederent carnes eſſe à Dæmone factas, ac proinde eas manducare eſſe prohibitum. Item *Floriani* à quodam *Floriano* ſic vocati, qui faciunt DEUM cauſam omnium malorum operum. Et *Aquarii* ſic dicti, quia docent, ſolam aquam eſſe debitam materiam conſecrationis. Et *Pataloringhitæ*, à *palo*, & *naſo* ſic dicti; hi volunt perpetuum ſilentium eſſe neceſſarium ad ſalutem; & ideo tenebant digitum ſuper os, & naſum ad modum pali extenſum.

ARTI-

ARTICULUS XII.

De Pelagianis, Semi-Pelagianis, Neſtorianis, Eutychianis, Manichæis, Theodoriſtis, Vigilantianis, & aliis Seductoribus ſæculi 5.

1. NOta primò : *Pelagiani* ſæculô 5. nomen, & doctrinam peſtiferam acceperunt à quodam *Pelagio* Anglo, olim in Ægypto Monacho Baſiliano, deinde Apoſtata. Diſſeminavit autem is, & ejus aſſeclæ ſequentes errores. 1. Liberum arbitrium poſt acceptam Baptiſmi gratiam ampliùs peccare nequit. 2. Ad ſalutem non requiritur ulla gratia; ſed ſufficit liberum arbitrium. 3. Gratia datur ex merito puræ naturæ. 4. Victoria contra tentationes eſt ex ſolo libero arbitrio. 5. Qui peccat, nequit fieri filius DEI. 6. Nulli pœnitenti datur venia. 7. Eccleſia fruſtra orat pro infidelium, & peccatorum converſione, ac pro perſeverantia juſtorum; cùm ad hæc dona obtinenda ſufficiant vires ſolius liberi arbitrii. 8. Adam peccando ſibi ſoli, & non poſteris ſuis nocuit. 9. Unde non omnes in Adam mortui ſunt, nec in Chriſto reſuſcitati. 10. Divites etiam baptizati nequeunt ſalvari, niſi priùs renuncient opibus. 11. Semel Juſtus nullô ampliùs peccatô coinquinatur in hoc mundo. 12. Infantes naſcuntur ſine peccato originali. 13. Etiam non baptizati habent jus ad regnum cœlorum. 14. Poteſt quis abſque omni gratia Chriſti ſervare omnia Legis præcepta, ac ſuis meritis conſequi vitam æternam, &c.

2. Nota ſecundò : *Semi-Pelagiani* ſic dicuntur à S. Auguſtino ; quia in quibusdam tenent errores Pelagii ; in aliis autem Pelagium rejiciunt. Docent ergo 1. Gratiam Chriſti eſſe neceſſariam ad juſtificationem, & reſurgendum à peccatis (quod negabat Pelagius ;) attamen ejusmodi gratiam quis mereri poteſt per ſola opera naturalia, ex ſolo libero arbitrio ; unde initium ſalutis, & diſcrepatio prædeſtinati à reprobo non eſt à DEO; ſed à nobis ſolius naturæ viribus. 2. Opera ex ſolis naturæ viribus facta habent infallibilem connexionem cum juſtificatione, & finali perſeverantia, &c.

3. Nota tertiò : *Neſtoriani* ortum habent à *Neſtorio* Epiſcopo Conſtantinopolitano circa An. 428. Tenent 1. in Chriſto dari duas perſonas, ſicut dantur duæ naturæ. 2. B. V. MARIAM genuiſſe Chriſtum purum hominem, ac proinde debere dici Matrem hominis, non DEIparam. 3. Unionem hypoſtaticam fuiſſe tantùm accidentalem, ſicut eſt unio affectûs, & gratiæ duorum bonorum amicorum. 4. Chriſtus eſt tantùm DEIfer, id eſt in quo Deitas ſpeciali prærogativa habitat; & ideo tantùm duliâ eſt adorandus. 5. DEUS nec natus, nec paſſus eſt pro redemptione generis humani.

4. Nota quartò : *Eutychiani* veniunt à quodam *Eutyche*, Abbate Conſtantinopolitano An. 548. Docent ſequentes errores. 1. Sicut in Chriſto eſt una ſola humana natura, ita & una ſola perſona. 2. Corpus Chriſti fuit aëreum. 3. Unde is non ſumpſit corpus ex puriſſimo ſanguine B. V. MARIÆ. 4. Natura humana Chriſti in inſtanti in Divinam converſa eſt.

5. Nota quintò : *Manichæi* originantur temporibus Probi Imperatoris, & Felicis Papæ; vel ùt alii volunt citiùs An. 277. à quodam *Mane* Perſa, ſacerdote corruptæ vitæ, & à Dæmone obſeſſo, qui finxit ſe eſſe Chriſtum, & Spiritum S. & elegit ſibi duodecim Apoſtolos, quos & miſit per Orbem pro diſſeminandis ſuis erroribus. Hi eô mortuô dixerunt, Chriſtum eſſe Solem, qui præeſt diei; utì refert D. Auguſtinus *tract. 34. in Joan.* Manichæorum autem variæ erant Sectæ; principales reputabantur ſeptem ſequentes, Audiani, Apocalytæ, Barathitæ, Dicarditæ, Taſtogradıtæ, Teſſalitæ, & Tedraditæ. Feſtus etiam, & Felix in quibusdam adhæsêre dogmatibus Manichæorum. Articuli, in quibus communiter concordabant omnes Manichæi ſunt ſequentes. 1. Manichæus eſt Chriſtus verus. 2. Duo ſunt Dii, unus bonus, alter malus. 3. Chriſtus non eſt genitus ex Maria Virgine. 4. Ex Scriptura debet expungi omne id, quod Chriſti generationem concernit. 5. Animæ rationales fiunt ex ſubſtantia DEI. 6. Vetus Teſtamentum nihil prodeſt. 7. Novum verò Teſtamentum, quatenus à Manichæis reformatum, pro ſolo verbo DEI debet agnoſci. 8. Chriſtus eſt luminare majus diei. 9 Matrimonium non eſt Sacramentum.

6. Nota ſextò : *Theodoriſtæ* natales ſuos repetunt à *Theodoro* Epiſcopo Magneſtienſi, viro aliàs docto, & S. Chryſoſtomo aliquando charo; hic ſæculô 5. lapſus in Neſtorianismum, ſequentes docuit errores. 1. Virgo

MARIA non DEUM; ſed purum hominem genuit. 2. In veteri Lege nihil clarè de Chriſto enunciatur.

7. Nota ſeptimò : *Vigilantiani* veniunt à quodam Barcinonenſi ſacerdote *Vigilantio*, qui 5. ſæculô erravit, ùt ſequitur. 1. Sancti nec ſunt invocandi, nec venerandi. 2. Et conſequenter eorundem Reliquiæ parvipendendæ. 3. Voluntaria paupertas eſt DEO ingrata. 4. Nemo etiam Monachus ad cælibatum obligatur.

8. Nota octavò : hôc ſæculô graſſabantur & alii Sectarii; ſcilicet *Sarabaitæ*, qui affirmabant ad ſalutem eſſe neceſſariùm, relictis omnibus rebus latitare in ſpeluncis. Et *Fortunatiſtæ*, à *Fortunato* Manichæo antagoniſta S. Auguſtini ſic dicti. Tenent inter cætera falſa dogmata, dari duo principia prima, unum bonorum, alterum malorum. Et *Dioſcorani* nati à *Dioſcoro* Epiſcopo Alexandrino. Putant 1. in Chriſto eſſe unam ſolam naturam. 2. Alexandrinum Epiſcopum obtinere majorem authoritatem, quàm Romanum Pontificem. 3. Et propterea ſecundum à primo poſſe excommunicari. Et *Thritheitæ* ſic dicti ab aſſerto trium Deorum : horum author erat Joannes Grammaticus Anno 536. Et *Agnoitæ* ab ignorantia ſic appellati, quam ponebat in DEO reſpectu futurorum; horum dux fuit Themiſtius Diaconus An. 519. Et *Achiletæ* ab *Achille* Epiſcopo Alexandrino ſic vocitati : qui docuerunt 1. eſſentias rerum fuiſſe ante DEUM. 2. Verbum Divinum ex nihilo fuiſſe factum. Et *Aloiani*, dicti à *logos*, id eſt verbum, quia eſſent ſine Verbo; quia 1. negârunt DEUM eſſe Verbum. 2. Et propterea abjecerunt S. Evangelium D. Joannis. Et *Creſconiani*, ſic dicti à *Creſconio* Duce. Hi præter Donatiſtarum errores docuerunt Chriſtum non eſſe Caput Eccleſiæ. Et *Dadeſiani*, ſic dicti à *Dadæs* authore. Docent 1. Baptiſma nil prodeſſe ad ſalutem. 2. Nec Euchariſtiam ulli utilem eſſe. Et *Almeriani*, aſſerentes DEUM eſſe animam Cœli. Et *Cæleſtiniani* à *Cæleſtino* Monacho orti, volentes 1. Hominem poſſe ſolis naturæ viribus totâ vitâ abſtinere ab omni peccato. 2. Et eundem iiſdem viribus poſſe attingere ſupremam perfectionem.

ARTICULUS XIII.

De Icononomachis, Circumcellionibus, Floriniſtis, Berengariſtis, Monothelitis, & Waldenſibus in diverſis ſæculis.

1. NOta primò : *Iconomachi* (aliàs *Iconoclaſtæ*) ſunt illi hæretici, qui impugnant Imaginum uſum in Eccleſiis, à quo facto perverſo etiam agnomen habent : horum primus dux videtur fuiſſe Xanaias Perſa Epiſcopus circa An. 726. Plures autem huic ſectæ faverunt, & impugnârunt Imagines : Etiam Mahometani, qui Chriſtianos ob cultum Imaginum idololatras vocant. Ex Chriſtianis verò Leo 836 Imperator Græcorum, dictus *Iſauricus*, acerrimus fuit Imaginū hoſtis. Item Conſtantinus Coproymus ejusdem filius. Item Leo Michaël, & Theophilus Armenorum Imperatores. Item Claudius Taurinenſis Epiſcopus, Carloſtadius, & Calvinus. Horum omnium dogma commune eſt, Imagines SS. in Eccleſiis non eſſe retinendas; nec venerandas.

2. Nota ſecundò : *Circumcelliones* ſic dicti à *circumeundo* cellas, & domus hominum, quos ſeducere conabantur : erant autem Hæretici agreſtes valde, & barbari, qui ſeipſos miris necibus interimebant; videlicet nunc igne, nunc gladiô, nunc præcipitiô ex turribus, & montibus, credentes ſe optimam martyrii ſpeciem ſubire. Eorum anteſignanus ignoratur ; graſſabantur autem ſæculô 9. & vocabantur etiam *Circuitores* à *circuitu* per provincias, & domus. Errores profitebantur ſequentes. 1. Qui patitur quocunque modo mortem violentam quamcunque ab alio, vel à ſeipſo illatam, verus Martyr eſt. 2. In vera Chriſti Eccleſia comprehenduntur ſoli Electi.

3. Nota tertiò: *Floriniſtæ* veniunt à quodam *Florino* ſæc. 9. Hi ſoliti erant poſt occaſum Solis in Eccleſia convenire, & extinctis lucernis promiſcuè concumbere cum obviis quibusvis mulieribus : unde docuerunt. 1. Uſum promiſcuum fœminarum etiam conſanguinearum eſſe licitum, & DEO gratum etiam in Eccleſia. 2. Nullum fore Judicium ſupremum. 3. DEUM eſſe malorum omnium authorem.

4. Nota quartò : *Berengariſtæ* ſunt ſectatores cujusdam *Berengarii* Galli ſacerdotis, & Archidiaconi Andegavenſis, qui ob negatam veram, & realem præſentiam Corporis

Chriſti

Chriſti in Euchariſtia ſæculô 11. olim à Leone IX. damnatus fuit in Concil. Vercellenſi; & iterum in Concil. Romano ſub Nicolao II. finialiter pœnitens obiiſſe dicitur in Cluniacenſi Monaſterio. Eô autem mortuô in Gallia ab eodem dictâ hæreſi infecta diſcipuli conſervârunt ejus hæreticum dogma. Et addiderunt præterea ſequentia 1. Matrimonium non eſſe Sacramentum. 2. Licitum eſſe uſum promiſcuum fœminarum. 3. Infantes natos à parentibus Chriſtianis non egere ullô baptiſmô. Inter ſequaces Berengarii fuit quidam Joannes Scotus, non ille Doctor ſubtilis Scotiſtarum Princeps; ſed alius Britanno-Calcedonius, qui pariter in Concilio Vercellenſi damnatus fuit.

5. Nota quintò: *Monothelitæ* procreati ſunt authore quodam Macario Antiocheno; & ampliùs propagati per Sergium Epiſcopum Alexandrinum An. 540. Docuerunt in Chriſto dari tantùm unam voluntatem, ſcilicet Divinam; unde & nomen ſuum ſortiti ſunt in Græco idiomate.

6. Nota ſextò: *Waldenſes* à quodam Cive Lugdunenſi Gallo *Waldone* agnomen trahunt; & vocantur aliàs etiam *Pauperes de Lugduno*, eò quòd relictis omnibus facultatibus pauperem Chriſtum ſe ſequi profitentur. Conſurrexit hæc ſecta circa Ann. 1170. Et erravit in ſequentibus. 1. Omnes viri Waldenſes ſunt Sacerdotes à DEO conſecrati. 2. Unde iidem omnes à DEO habent authoritatem abſolvendi à peccatis, ſicut Romani ſacerdotes. 3. Et Waldenſes habent à DEO authoritatem diſpenſandi cum ſuis Fratribus, ut poſſint in conſcientia falsè jurare tempore mortis inſtantis; aut in caſu, quo periculum foret, ſecreta Religionis revelandi. 4. Aliàs omne genus juramenti communiter eſt illicitum, & peccaminoſum. 5. Indulgentiæ à Papa conceſſæ nil valent. 6. Decreta, & Canones Pontificii neminem poſſunt in conſcientia ligare. 7. Solus DEUS poteſt conferre authoritatem abſolvendi à peccatis. 8. Nullus hominum habet poteſtatem plectendi aliquem morte, ob delicta commiſſa. 9. Soli Waldenſes poſſunt conſecrare Euchariſtiam. 10. Quæ non conſecratur vi formæ in Canone Miſſæ poſitæ; ſed orando ter *Pater noſter* ſuper materiam conſecrandam. 11. Licitum eſt Chriſtianis quocunque tempore, etiam in Quadrageſima, comedere carnes. 12. Sacerdos conſtitutus in mortali non abſolvit validè. 13. Symbolum Apoſtolicum non debet proferri per modum Orationis. 14. Salutatio Angelica prolata non eſt DEO chara. 15. Tantùm in die S. Cœnæ Miſſa eſt celebranda. 16. Nullum extat Purgatorium. 17. Orationes pro defunctis ſunt vanæ. 18. Prædeſtinati, uti ſunt Waldenſes, non debent laborare manibus. 19. Eccleſia Romana eſt ſedes errorum, & mendaciorum. 20. Soli Waldenſes ſunt veri ſucceſſores Chriſti & Apoſtolorum in vita, & moribus. 21. Ad libidinem ſedandam licitus eſt uſus promiſcuus fœminarum. 22. A tempore Chriſti nulla fuerunt vera miracula in Eccleſia. 23. Soli Waldenſes poſſunt conferre Ordines, qui ſunt tres, videlicet Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus.

ARTICULUS XIV.

De Albanenſibus, Templariis, Pſeudo-Apoſtolis, & Flagellantibus.

1. Nota primò: *Albanenſes* ſunt iidem Hæretici, qui aliàs *Albigenſes* vocantur; ortum docunt à quodam Olivario circa Ann. 1176. in Ducatu Gallico *Albienſi* prope Tholoſam unde & appellationem nacti ſunt. Errârunt autem in ſequentibus. 1. B. V. Maria non fuit fœmina; ſed quidam Angelus. 2. Chriſtus non aſſumpſit veram carnem; nec unquam comedit, vel bibit; nec ulla patravit miracula; nec realiter mortuus eſt; ſed putativè tantùm. 3. Mundus nunquam habebit finem. 4. Non extat ullus infernus. 5. Datur transmigratio frequens animarum de uno corpore ad aliud. 6. Jam fuit alius mundus ante modernum conditum; & in illo exarata fuit à DEO S. Scriptura; item Protoparentes noſtri creati, & Chriſtus miracula operatus eſt. 7. Duo ſunt Dii, unus bonus, alter malus. 8. Filius Divinus non eſt æqualis Patri. 9. Mundus eſt conſtructus à DEO malo. 10. Moyſes, & priſci alii Prophetæ fuerunt inimici DEI, & Diaboli miniſtri. 11. Nihil valet Vetus Teſtamentum. 12 Jam pridem fuit dies Judicii Univerſalis. 13. Malè agit DEUS, ſi puniat delicta. 14. DEUS non habet ullam malorum præſcientiam, niſi ex revelatione Diaboli. 15. Anima non eſt DEI, ſed Diaboli creatura. 16. Diabolus cum ſuis malis Angelis conſcendit ſemel cœlum, & ibi profligavit Michaëlem, & alios bonos Angelos, & ſecum abduxit inde tertiam partem eorum, ex quibus infundit corporibus hominum, & brutorum ritè formatis animas.

2. Nota ſecundò: *Templarii* fuerunt primitus

mitus boni Chriſtiani, militaris cujusdam Ordinis à S Stephano Hieroſolymorum Patriarcha, approbante Honorio Papa inſtituti penes templum Salvatoris noſtri ; unde & Templarii dicti ſunt; & eorum munus erat principaliter, purgare ditionem Palæſtinæ à latrunculis, & hoſtibus, offendentibus peregrinos, Hieroſolymas adeuntes. Hi deinde multiplicati ſeſe diffuderunt per univerſam pene Europam, & dominia maxima poſſederunt; ſed quia deflexerunt tractu temporis ad gravia crimina, & hæreſes; ideo à Clemente V. in Concilio Vienenſi eorum Religio eſt extincta, & bona eorum Melitenſibus, ac aliis Religioſis diſtributa. Eorum autem errores, & delicta fuerunt ſequentia, prout referuntur à Thoma Walſenga priſco hiſtorico; & in parte à Clemente V. in litteris, datis ad Philippum Galliæ Regem, & alios Chriſtianos Principes. 1. Chriſto eſt renunciandum. 2. Crucifixus eſt conſpuendus. 3. Idola colenda. 4. Sodomia eſt licita. 5. Cum Saracenis licitum eſt conſpirare contra Chriſtianos, &c. Unde referuntur crimina eorum ex his dogmatibus profecta ſequentia. 1. Suo legitimo Præſuli Hieroſolymitano ampliùs noluerunt præſtare obedientiam, ad quam vi Regulæ tenebantur. 2. Saracenorum perfidiam, & partes contra Chriſtianos ſuſcipere concluſerunt. 3. Fidem Chriſtianam plurimi eorum jam abjuraverant. 4. In Novitiis induendis dicuntur nefandos quosdam ritus adhibuiſſe ; maximè verò abnegationem crucifixionis Chriſti à Judæis factæ; item abjurationem ipſiusmet Chriſti; item conſpurcationem, & conculcationem Crucifixi; item adorationem cujusdam Idoli. 5. Sodomiam inter ſe exercebant tanquam actum licitum Ordini Templariorum.

3. Nota tertiò : *Pſeudo-Apoſtoli* prodierunt ſæculô 13. tempore Bonafacii VIII. à quodam Gerardo Sagarello Parmenſi, & Dulcino Novarienſi; erraruntque in pluribus. 1. Pſeudo-Apoſtoli non tenentur obedire Romano Pontifici ; imò Papa cum omnibus Chriſtianis tenetur ipſis præſtare obedientiam, tanquam talibus, qui Chriſti, & Apoſtolorum vitam in omnibus imitantur. 2. Romana Eccleſia eſt Babylon, & meretrix illa magna, cujus fit mentio in S. Apocalypſi. 3. Pſeudo-Apoſtoli nunc habent illam Authoritatem, quam olim habuit Romana Eccleſia. 4. Nam authoritas Romanæ Eccleſiæ à Chriſto conceſſa ob ſcelera Papæ, & aliorum Prælatorum ceſſavit in ea. 5. Cum nuda jacere fœmina, & eam carnaliter non cognoſcere, majus eſt miraculum, quàm reſuſcitare mortuum. 6. Perfectius eſt vivere, & benefacere abſque voto, quàm cum voto. 7. DEO eſt æquè gratum orare in porcili, quàm in Eccleſia à Papa conſecrata. 8. In nullo caſu licitum eſt jurare, quàm in caſu confirmationis Fidei. 9. Tactus impudici, oſcula, & hujusmodi ſunt licita, ſi fiant eo fine, ut quis ſuperare poſſit carnis tentationes. 10. Romanus Pontifex, qui tam pauper non eſt, uti D. Petrus, nullam habet abſolvendi authoritatem. 11. A Sylveſtro Papa uſque ad Cœleſtinum Pontificem, omnes Pontifices Romani erant prævaricatores Verbi DEI, & hominum ſeductores. 12. Nullis Eccleſiaſticis dandæ ſunt decimæ, niſi priùs abjiciant ſuas poſſeſſiones terrenas exemplô Chriſti, & Apoſtolorum. 13. Ad ſectam Pſeudo-Apoſtolorum quis accedere poteſt; ipſi verò ad nullam aliam Religionem tranſire valent, ſub pœna æternæ damnationis.

4. Nota quartò : *Flagellantes* ſic dicti ſunt à *flagellatione*, quam loris, funibus, aculeis, aliisque inſtrumentis exercebant in ſuo corpore uſque ad umbilicum denudato, & hoc vagando per oppida, & urbes, docendóque hujusmodi actibus deleri omnia peccata. Conſurrexerunt primò in Italia tempore Gregorii X. Papæ, inde excurrerunt in Gallias, & penetrârunt etiam in Germaniam; ac demum etiam ex Saxonia in Boëmiam tempore Ottogari Regis : erant autem plerique latrones, fures, adulteri, ac alii criminoſi. Errores eorum ſunt hi. 1. DEO eſt magis gratum edomare voluntariè flagellis corpus; quàm pro fide Martyrium ſubire. 2. Omnia peccata meliùs delentur flagellationibus, quàm ſacramentali pœnitentia, aut martyrio. 3. Ad occultanda ſecreta ſuæ Profeſſionis licitum eſt jurare, & pejurare; unde continuò ore ſuo revolvebant, *jura perjura, ſecretum procedere noli.* 4. A quo ſecta Flagellantium cœpit, Evangelium Chriſti authoritatem ſuam perdidit. 5. Baptiſmus aquæ eſt inutilis; cùm omnes ejus effectus à DEO ſint attributi flagellationibus.

ARTI-

ARTICULUS XV.

De erroribus Gilberti Porretani; Arnoldi; Abbatis Joachim; Gulielmi de S. Amore, Beguardorum, ac Beguinorum; Almarici; Marſilii, Clementis; & Deſiderii.

1. NOta primò: *Gilbertus Porretanus* fuit Epiſcopus Pictavii in Gallia; tempore Eugenii III. falſum ſequens ſparſit dogma erroneum dicendo; non poſſe ſtare unitatem, & ſimplicitatem DEI cum diverſitate trium Perſonarum, quod damnatum eſt ab Eugenio III.

2. Nota ſecundò: *Arnoldus de Villa nova* natione Catalanus, profeſſione Medicus, ſæculô 13. ſequentes protulit errores. 1. Sacerdos in ſacrificio Miſſæ nihil offert DEO. 2. Totus populus Chriſtianus vadit ad Diabolum. 3. Omnes Monachi ſunt in ſtatu damnationis. 4. Opus medicinæ DEO magìs placitum eſt, quàm Miſſa. 5. Eccleſiæ Doctores falſificârunt Chriſti Evangelium. 6. Fides Diaboli, & Eccleſiæ Romanæ ſibi aſſimilantur. 7. Natura humana Chriſti eſt ejusdem Omnipotentiæ cum DEItate. 8. Univerſale judicium certò erit An. 1356. 9. Paſſio Chriſti magìs repræſentatur per eleëmoſynam, quàm per Miſſam.

3. Nota tertiò: *Abbas Joachim* erat natione Calaber. Hic tempore Alexandri III. Papæ diſſeminavit ſequentia dogmata. 1. Tres dantur Status; *Primus* eſt ab Adam uſque ad Chriſtum, in quo omnes carnaliter vixerunt. *Secundus* eſt à Chriſto uſque ad S. Benedictum, in quo omnes partim carnaliter, partim ſpiritualiter vixerunt. *Tertius* à Benedicto uſque ad finem mundi, in quo omnes defacto ſpiritualiter vivimus, & vivemus. 2. Infantibus in Baptiſmo non infunduntur virtutes, & gratia. 3. Anima rationalis non eſt forma corporis. 4. Chriſtus adhuc vixit, quando ejus latus apertum fuit lanceâ.

4. Nota quartò: *Gulielmus de S. amore* erat natione Burgundus, SS. Theologiæ Doctor, ſed acerrimus Religioſorum, maximè Pauperum; & in ſpecie FF. Franciſcanorum, & Dominicanorum antagoniſta; vixit ſæculô 13. & refutatus fuit à S. Bonaventura, ac S. Thoma; condemnatus verò ab Alexandro IV. Ejus errores erant hi. 1. Ex Ordine Mendicantium nemo unquam ſalvatur. 2. Monachi nihil habentes in communi, vel particulari tenentur ſub mortali culpa ſibi victum labore manuum conquirere. 3. Nemo poteſt ſub perditione æterna profiteri actualem paupertatem. Hujus Religio-Maſtigis perverſas doctrinas ſecuti quoque fuêre *Gerardus de Abbatis Villa* alius Doctor Pariſinus, qui paulo poſt aſſumptam ſectam, leprâ percuſſus interiit: Item *Joannes Clopinet* Doctor pariter Pariſienſis; ambo quoque condemnati ab Alexandro citato.

5. Nota quintò: *Beguardi & Beguini* ſuam ſectam inceperunt tempore Joannis XXII. in Germania inferiori, ignoto authore; hi collegialiter vivebant, & ad exteriorem apparentiam honeſtè ſe gerebant; nam viri demiſſo capite, & fœminæ velatâ facie ſedebant. in ſuis tamen ſecretis latibulis omne genus dishoneſtatis exercebant. Non ſunt autem Beginæ illæ mulieres, quæ per Belgium in ſocietate honeſtè, & Catholicè vivunt; minùs ſunt aliqui Tertiarii S. Franciſci, eôdem modô conviventes; uti per errorem ſcripſit Guido, & Bzovius Annaliſta, quem proinde etiam eruditè refutat P. Hicquæus noſter Franciſcanus *in Nitela Franciſcana*; ſed fuit aliud genus hominum perditorum, & hæreticorum, quod damnavit Concilium Viennenſe. Errârunt autem memorati hæretici in ſequentibus. 1. Chriſtus nihil habuit proprii, nec in communi, nec in particulari. 2. Venerandi ſunt tanquam veri Martyres illi Fratres Beguardi, vel Beguini, qui ab Inquiſitoribus hæreticæ pravitatis interficiuntur. 3. Ad ſedandam libidinem coitus cum quacunque fœmina eſt licitus. 4. Dare alicui mulieri oſculum contra naturæ inclinationem, eſt peccatum mortale. 5. Perfecti homines non tenentur venerari Euchariſtiam in Miſſa elevatam. 6. Poteſt quis in hac vita ad tantam pervenire perfectionem, ut impotens ad peccandum evadat. 7. Exiſtens in perfectionis ſtatu, ad nulla jejunia, aut alia opera bona obligatur. 8. Homo in ſtatu perfectionis exiſtens, non eſt ſubjectus ulli humanæ poteſtati. 9. Poſtulat perfectio Evangelica, ut ejus profeſſor non poſſideat aliquid in communi, vel particulari. 10. Et Eccleſia Romana erravit contrarium huic propoſitioni defendendo. 11. Poteſt quis in hac vita conſequi finalem beatitudinem. 12. Omnis creatura intellectualis eſt in ſe beata, & ita illuminata, ut non egeat ullo lumine gloriæ ad videndum DEUM. 13. Eſt maxima in homine im-

perfectio, quòd virtutes, & bona opera exerceat.

6. Nota ſextò : *Almaricus* fuit quidam Doctor Pariſienſis Gallus, qui ſæculô 13. novam ſectam *Almaricurum* evexit, ſub ſequentibus erroribus. 1. Chriſtus non eſt cum corpore aliter in Euchariſtia, quàm in alio pane. 2. DEUS æquè per Ovidium, ac per Auguſtinum locutus eſt. 3. Nulla erit reſurrectio carnis. 4. Erigentes altaria, & colentes Imagines, ſunt idololatræ. 5. Nulla ſperanda eſt gloria, aut timenda gehenna. 6. Qui confitetur exiſtere DEUM, habet in ſe Paradiſum, & cœlum. 7. Si Adam non peccáſſet, nulla fuiſſet ſexûs diverſitas ; ſed homines multiplicarentur ſicut Angeli. 8. Anima infecta peccatô habet in ſe infernum. 9. Si actus peccaminoſus fiat ex affectu charitatis, ceſſat eſſe malus. 10. DEUS non poteſt aliter videri, niſi in creaturis ; ſicut lumen videtur in aëre.

7. Nota ſeptimò : *Marſilius* fuit natione Italus, patriâ Paduanus, & ſæculô 13. ſparſit ſequentes errores. 1. Chriſtus poſt ſui aſcenſionem in cœlos nullum reliquit Vicarium in terris. 2. Eccleſiaſtici non poſſunt licitè bona temporalia habere. 3. Sede Vacante Imperator eſt Papa. 4. Papa poteſt judicari ab Imperatore. 5. Per omnia par eſt authoritas in Epiſcopis, & ſimplicibus Sacerdotibus.

8. Nota octavô : *Clemens* hæreticus fuit natione Scoto-Calcedonius, vixit pariter ſæculô 13. & erravit in ſequentibus. 1. Nullibi reperitur adulterium vetitum. 2. Clemens Scotus eſt tam bene Epiſcopus, ac Papa 3. Nullam prorſus authoritatem habent ſcripta SS. PP. 4. Frater poteſt licitè, & ſinè diſpenſatione defuncti Fratris uxorem ducere.

9. Nota nonò : *Deſiderius* hæreticus fuit Italus, Longobardus, & ſeculô 13. effutiit ſequentes errores. 1. Nulla Religio eſt laudanda, niſi illa, quæ bona poſſidet. 2. Religioſorum Mendicantium Status eſt periculoſus, & riſu dignus. 3. Nemo poteſt licitè ingredi Religionem aliquam Mendicantium.

ARTICULUS XVI.

De Wiclephiſtis, & aliis fœcibus ſæculi 14.

.1 NOta primò : *Wiclephiſtæ* originem habent à quodam *Wicleph* ſacerdote Anglo, circa An. 1380. cujus falſa dogmata damnavit Concilium Conſtantienſe, & fuerunt ſequentia. 1. Subſtantia panis materialis, & vini materialis manet in Sacramento Altaris. 2. Chriſtus non eſt in Euchariſtia ſecundùm realem ſuam præſentiam. 3. Auguſtinus, Benedictus, & Bernardus ſunt damnati, niſi pœnituerint de hoc, quòd habuerint poſſeſſiones, & conſtituerint Religiones. 4. Juramenta ſunt illicita, quæ fiunt ad firmandos contractus humanos. 5. Fatuum eſt credere Indulgentiis. 6. Elargientes eleëmoſynas Religioſis Mendicantibus ſunt ipsò factô excommunicati. 7. Religioſi viventes in Ordinibus privatis non ſunt de Religione Chriſtiana 8. Iidem tenentur alimenta ſua conquirere labore manuum. 9. Simoniam committunt illi, qui ſe obligant pro aliis facere preces temporalia neceſſaria ſubminiſtrantibus. 10. Oratio præſciti nulli prodeſt. 11. Epiſcopus in mortali ordinans, vel conficiens Sacramentum Euchriſtiæ, aut baptizans, nullum præſtat Sacramentalem effectum. 12. DEUS tenetur Diabolo præſtare obedientiam. 13. Homo verò contritus ſuperfluè, & inutiliter adhibet confeſſionem. 14. Poſt Urbanum VI. nullus ampliùs verus Papa fuit ; unde ab illo tempore vivendum erat ſub more Græcorum. 15. Adverſatur ſacræ Scripturæ, quòd Eccleſiaſtici poſſideant bona temporalia. 16. Prælatus excommunicans Clericum appellantem ad Regem eſt traditor Regis, & Regni. 17. Qui in peccato mortali eſt, non eſt verus Dominus civilis. 18. Poteſtas ſæcularis poteſt auferre bona Ecclſiaſticis, etiam habitualiter tantùm delinquentibus, id eſt iis, qui habitu, non autem actu delinquunt. 19. Populares poſſunt pro libitu ſuos Dominos delinquentes corrigere. 20. Parochiani pariter poſſunt pro arbitrio denegare decimas ſuis Prælatis peccantibus. 21. Ordinem aliquem ingredientes eô ipsô efficiuntur inhabiles ad ſervanda Divina præcepta, & adipiſcendam ſalutem. 22. Papa cum omnibus Religioſis beneficiatis eſt hæreticus, ob poſſeſſionem bonorum; idem dicendum de Dominis temporalibus, ipſis conſentientibus. 23. Romana Eccleſia eſt Synogoga Sathanæ. 24. Papa non eſt immediatus Vicarius Chriſti. 25. Imperator, & alii Domini ſæculares ſunt à Diabolo ſeducti, ut Eccleſiam dotarent bonis temporalibus. 26. Electio Papæ per Cardinales ſolita fieri eſt introducta à Diabolo. 27. Non eſt neceſſarium ad ſalutem credere, Eccleſiam Romanam eſſe ſupremam Eccleſiam. 28. Quidquid evenit, de neceſſitate abſoluta evenit. 29. Excommunicatio Papæ, vel alterius Prælati non eſt timenda ; quia eſt cenſura Anti-Chriſti.

30. Studia.

30. Studia, & graduationes Univerſitatum tantùm proſunt Eccleſiæ, quantùm Diabolus, &c.

2. Nota ſecundò: Præter Wiclephiſtas, ſæculum 14. etiam protulit alios errones; & ſignanter *Armachanum*, Hiberniæ Primatem, qui mirè priùs afflixit Franciſcanos: deinde contra Eccleſiam contexuit ſequentes errores. 1. Diaconus poteſt licitè Miſſam legere, abſolvere à peccatis, & Spiritum S. dare per manuum impoſitionem. 2. In abſentia Epiſcopi ſimplex ſacerdos poteſt conſecrare altaria, benedicere chriſma, ac alias functiones Epiſcopales exercere. Eôdem ſæculô prorupit in hæreſes ſequentes quidam *Joannes à Poliaco* Doctor Pariſienſis. 1. Nec Papa, nec DEUS poteſt diſponere, ut quis alteri confiteatur, quàm proprio Parocho. 2. Unde qui Regulari alicui confitetur, tenetur ſub damnatione eadem peccata ſuo Parocho reconfiteri. 3. Nam Regularis vi privilegiorum ſui Ordinis nequit ullum à peccatis abſolvere. Eôdem quoque ſæculô proſilierunt in Anglia *Lollardi*, docentes ſequentes duos errores. 1. Idololatræ ſunt, qui benedicunt, aut venerantur poſt benedictionem, oleum, ſalem, candelas, &c. 2. Aqua benedicta non habet majorem virtutem, quàm quævis alia aqua. Item *Nicolaus* quidam *Calaber* diſcipulus cujuſdam Gondiſalui, pariter Calabri hæretici combuſti; hic docuit erroneè. 1. Spiritus S. carnem aſſumpſit, & nunc Godiſaluus mundum renovabit. 2. In die Judicii ad preces Gondiſalui omnes damnati ſalvabuntur. 3. Quivis homo tria continet, ſcilicet animam à DEO factam, corpus à Chriſto formatum, & Spiritum S. à Gondiſaluo effigiatum. 4. Gondiſalvus eſt verus Filius DEI in cœlis, ante ſæcula natus. 5. Unde is non habuit ullos carnales parentes, niſi putativos. 6. Gondiſalvus non eſt mortuus, nec mori poterat.

ARTICULUS XVII.

De Huſſitis, Thaboritis, Veſſalianis, & Picarditis ſeu Adamitis.

1. Nota primò: *Huſſitæ* hæretici à quodam Hus ſæculari ſacerdote Boëmico, & Profeſſore Univerſitatis Pragenſis ad initium ſæculi 15. ſub Wenceslao Pigro Rege Bohemiæ, appellationem acceperunt, & Pragæ initium ſuæ ſectæ poſuerunt, atque Duce præfato in totum Regnum Bohemiæ, ac finitimas aliquas Regiones invexerunt errores Wiclephi; ſuis etiam ſpecialibus ſequentibus additis, qui omnes condemnati fuêre in Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* Docuerunt itaque 1. Calix conſecratus de præcepto Divino eſt laicis communicantibus porrigendus. 2. In hoſtia conſecrata manet ſimul cum Corpore Chriſti ſubſtantia panis materialis. 3. Sacerdos in peccato mortali conſtitutus, nec conficit, nec ordinat, nec baptizat validè. 4. Indulgentiæ Papales nil valent. 5. Omnes articuli Wiclephi ab Eccleſia damnati, ſunt veri, & credendi. 6. Eccleſia vera, & unica conſiſtit in ſola Univerſitate Prædeſtinatorum. 7. Papa non eſt verus ſucceſſor S. Petri, ſi teneat alios mores, quàm S. Petrus: nec Cardinales ſunt ſucceſſores aliorum Apoſtolorum, niſi vixerint more eorum. 8. Præſciti non ſunt partes Eccleſiæ. 9. Petrus non fuit caput Eccleſiæ Catholicæ. 10. Papalis dignitas à Cæſaribus ortum habet. 11. Cenſuræ Papales procedunt ab Anti-Chriſto. 12. Non eſt ulla ſcintilla apparentiæ, quòd debeat eſſe unum viſibile Caput Eccleſiæ Papa. 13. Chriſtus ſine talibus monſtroſis Capitibus viſibilibus (ſubaudi Papis) Eccleſiam ſuam ſufficienter regulavit per veraces ſuos diſcipulos, & ſacerdotes fideles, per orbem diffuſos. 14. Papa nulla ratione debet dici *Sanctiſſimus*, etiam ratione officii, quod gerit. 15. Malus Papa non eſt tenendus pro vero Capite Eccleſiæ, etſi eſſet canonicè electus. 16. Quivis factus ſacerdos eô ipsô officium prædicantis accipit, & illud exequi tenetur, non obſtante excommunicatione aliqua, ipſi hoc vetante. 17. Obedientia Eccleſiaſtica eſt introducta à Papa, & Eccleſiaſticis contra authoritatem Scripturæ. 18. Omnis actus humanus aut eſt virtuoſus, aut vitioſus. 19. Non oportet credere, quòd talis quiſcunque Romanus Pontifex ſit Caput Eccleſiæ. 20. Paulus nunquam fuit membrum Diaboli, licèt fecerit aliquos actus conſimiles actibus Eccleſiæ malignantium. 21. Nullus eſt civilis Dominus, nullus Epiſcopus, nullus Prælatus, dum eſt in peccato mortali; &c. &c.

2. Nota ſecundò: Huſſitica ſecta plures habuit ſui defenſores; ſed propagatores principales ejuſdem fuerunt ſequentes: ſcilicet *Petrus Dreſdenſis*, & *Jacobellus* Pragenſis Curatus, qui primi eidem addiderunt articulum de utraque ſpecie, neceſſariò ſumenda à laico

communicante. Item *Hieronymus* Civis potens Pragenſis, vir aliàs eloquens, & eruditus; hic unà cum Magiſtro ſuo Huſſio in Concilio Conſtantienſi igni traditus fuit, eò quòd nollent palinodiam hæreſum ſuarum cantare. Item *Joan. Rochczana* natus in civitate Rochczan regni Boëmiæ plures Huſſii errores reſuſcitavit.

3. Nota tertiò: *Thaboritæ* nomen ſortiti ſunt à Civitate *Thabor* Boëmiæ, quam famoſus Regni Bohemiæ Tyrannus, & finitimarum Provinciarum Auſtriæ, Luſatiæ, Sileſiæ, &c. expilator Ziſka, nobilis Bohemus, conſtruxit in Regno Bohemiæ, in quodam colle, multiplici forti muro bene munitam, tanquam ſedem ſui dominatûs, & refugium in bello. Hi hæretici, ut viderentur propriam novam conſtruxiſſe ſectam, ſe ſe *Thaboritas* appellârunt; dogmata tamen eorum erant conformia erroribus Huſſitarum, quæ implantârunt etiam memoratis vicinis Provinciis pluribus in locis; ſed hæ Divinâ aſpirante gratiâ, & zelò magnô Cæſarum Ferdinandi II. & III. cooperante rurſus ſunt expurgatæ ab eis. Iidem ſectarii etiam ſe vocabant *Orbitas* poſt mortem ſui Ducis præfati; quia tunc orbati fuêre omni ſolatiô.

4. Nota quartò: *Veſſaliani* veniunt à quodam *Joanne de Veſſalia* S. Theologiæ Doctore, & Huſſii ſectatore tempore Friderici III. Imperatoris. Errârunt autem in ſequentibus ſpecialiter. 1. Eccleſia poteſt errare, & ſæpius erravit. 2. Papa etſi canonicè electus non eſt Chriſti Vicarius. 3. Papa decipit Fideles cum Indulgentiis. 4. Eſt incertum, an Chriſtus in Cruce fuerit clavis affixus, aut funibus ligatus. 5. Subditi habent authoritatem deponendi Magiſtratum quemcunque. 6. Nulli ſuperiori, niſi bono, eſt obedientia præſtanda. 7. Obligatio ſacerdotum ad cœlibatum eſt nulla. 8. Similiter obligatio jejunii. 9. Nullus infans à Fideli natus contrahit originale peccatum. 10. Non conſtat ex S. Scriptura. Spiritum Sanctum proceſſiſſe à Filio. 11. Fideles non obligantur ad leges ullas Eccleſiaſticas. 12. Nulla Concilia reguntur à Spiritu S. 13. Epiſcopi, & ſimplices ſacerdotes habent eandem authoritatem. 14. Papa non poteſt per ullam Divinam legem probare ſuum Primatum. 15. Tota Eccleſia ſimul congregata non obtinet authoritatem exponendi S. Scripturam.

5. Nota quintò: *Picarditæ* ſic dicti à quodam eorum authore *Picardo* Gallo Belga; qui An. 1424. in Boëmia errorem promiſcui concubitus reſuſcitavit, ac numeroſam multitudinem virorum, & mulierum ad ſe traxit, quos nudos incedere jubens *Adamitas* vocavit; ſe autem Filium DEI dixit, & Adam vocari præcepit. Suis Adamitis connubia promiſcua permiſit, quamvis ſinè illius aſſenſu nefas eſſet cognoſcere mulierem; ſed ut quisque libidine urente in aliquam exarſerat, eam manu apprehendebat, & adiens Principem Picardum dicebat, ſe illam appetere: quô auditô Picardus reſpondit, *ite, creſcite, & multiplicamini.* Penetravit etiam hæc hæreſis in Holandiam, Angliam, & alias partes, cum addito plurium aliorum errorum.

ARTICULUS XVIII.

De Lutheranis, Confeſſioniſtis, & Proteſtantibus.

1. NOta primò: *Lutherani* à quodam *Martino Luthero* Saxone, originem habent, circa An. 1517. qui ſuis perniciosis erroribus univerſum pœne Aquilonem, à Germania incipiendo, ſucceſſivè infecit, ſub quibus plurimæ Provinciæ etiamnum hodie gemunt; horum autem errorum principales ſunt ſequentes. 1. Communio ſub utraque ſpecie eſt omnibus ad ſalutem neceſſaria. 2. Romanus Pontifex nec eſt Chriſti, nec Petri ſucceſſor; ſed potiùs Anti-Chriſti diſcipulus. 3. Matrimonium non eſt verum Sacramentum. 4. Monialium, ac Religioſorum matrimonia inita æquè placita ſunt DEO, ac obſervantia Virginitatis. 5. Nulla eſt differentia peccatorum. 6. Sanctorum invocatio eſt vana. 7. Indulgentiæ papales crumenam evacuant, & animæ nihil proſunt. 8. Liberum arbitrium poſt peccatum Adæ eſt res de ſolo titulo, ſeu potius figmentum. 9. Ad juſtificationem ſufficit ſola Fides. 10. Soli prædeſtinati, & boni ſunt membra Eccleſiæ. 11. Infantes decendentes abſque baptiſmo ſalvantur. 12. Conculcant Chriſtum, & Paulum, qui negant in infante baptizato remanere peccatum. 13. Ad ſalutem non prodeſt aqua baptiſmatis. 14. Peregrinationes ſuſceptæ devotionis causâ ſunt inutiles. 15. Per omnia ejuſdem ſunt Poteſtatis ſpiritualis ſimplex ſacerdos, Epiſcopus & Papa. 16. Quilibet Princeps eſt Caput Eccleſiæ in ſuo Principatu. 17. In Eccleſia non datur diſtinctio Ordinum, & graduum. 18. Ad ſalutem non conducunt ulla opera bona. 19. Quidquid in mundo fit, impellente quodam Fato fit. 20. Jejunia, abſtinentiæ, & alia opera bona nihil proſunt ad vitam æternam. 21. Miſſa omnino dicenda eſt ſemper, & ubique in

in lingua vernacula. 22. Eccleſia fuit facta inviſibilis per plura ſæcula; & pariter defecit. 23. Eccleſiaſtici nequeunt poſſidere bona temporalia. 24. In Conſecratione non fit ulla Tranſſubſtantiatio; ſed fit impanatio, remanente ſcilicet cum corpore Chriſti ſimul ſubſtantiâ panis materialis. 25. Extra uſum actualem Sacramenti non manet Euchariſtia. 26. Laici æquè, ac Eccleſiaſtici habent poteſtatem in ordine ad remiſſionem peccatorum, & adminiſtrationem Sacramentorum. 27. Traditiones Eccleſiaſticæ, & Apoſtolicæ nullius ſunt roboris. 28. Hæreſis eſt, docere Sacramenta novæ Legis conferre gratiam juſtificantem non ponentibus obicem. 29. Nec authoritate Scripturæ, nec PP. ſententiis conſtat, Contritionem, Confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe partes Pœnitentiæ. 30. Peccata quæcunque remittuntur ſola fide. 31. Bellum gerere contra Turcas eſt adverſari DEO, noſtras iniquitates per Turcarum gentem viſitanti, & caſtiganti. 32. Spiritui S. reſiſtit, qui docet, hæreticos eſſe igne cremandos. 33. Nec Eccleſia, nec Papa poteſt condere leges, morum directices. 34. Contradicere deciſionibus Papæ, etiam in generali Concilio factis, peccatum non eſt, neque hæreſis. 35. Juſtus peccat in omni opere bono. 36. Aliqui articuli Huſſii damnati in Concilio Conſtantienſi, fuerunt Chriſtiani, veri, & Evangelici. 37. Non datur Purgatorium. 38. Papa non eſt Caput ſupremum Eccleſiæ Militantis, &c. &c.

2. Nota ſecundò: *Confeſſioniſtæ* ſic dicuntur à *Confeſſione*, ſeu formula quadam dogmatum falſorum, quam Melanthon, diſcipulus Lutheri, & ejusdem dogmatū aſſertor, ſat tamen modeſtus, compoſuit Auguſtæ in Imperio tempore Comitiorum Imperialium à Carolo V. indictorum; & habetur à Lutheranis rigidioribus tanquam quintum Evangelium, Lutherus quoque eandem cenſuravit, & approbavit. Continet autem dogmata ſelectiora Lutheri ſuprà tecenſita.

3. Nota tertiò: *Proteſtantes* ſic dicti à *proteſtando*, ſunt congeries Lutheranorum; & inceperunt An. 1529. Spiræ; ubi Principes aliqui, & Civitatum plurium Imperialium jam Lutheraniſmô infectarum ablegati convenerant inſtigante Luthero, ſimúlque jurejurando proteſtati ſunt, ſe velle bona, & vitam, ſi neceſſe foret, exponere pro defenſione Evangelicæ libertatis, à Luthero prædicatæ; timebant enim tunc Carolum V. Cæſarem ex Hiſpania in Germaniam adventantem pro Comitiis Imperialibus Auguſtæ celebrandis, & ſopiendis hæreſibus Lutheri. Habent eoſdem errores, quos Lutherus diſſeminavit. Idem nomen *Proteſtantium* deinde etiam aſſumpſerunt in Anglia plures hæretici tempore Eliſabethæ Reginæ, Jacobi, & Caroli Regum Angliæ; & varios errores, ut infrà *art. 23.* dicetur, collegerunt pro formanda ſua ſecta.

ARTICULUS XIX.

De Zwinglianis; Sacramentariis; & Anabaptiſtis.

1\. Nota primò: *Zwingliani* ſunt ſpecies Calviniſtarum; & ſic vocantur à quodam *Hulderico Zwinglio*, Helveta, Canonico Baſileenſi, qui novæ ſuæ ſectæ initium dedit Ann. 1519. fingens à ſpiritu quodam ſibi de nocte comparente dictatam eſſe doctrinam circa præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. Hic itaque cum ſuis ſequentibus tenet. 1. In Euchariſtia non contineri verum, & reale Corpus Chriſti; horúmque verborum *hoc eſt corpus meum* ſenſum verum eſſe iſtum, *hoc eſt ſignum repræſentans paſſionem, & mortem Chriſti*; ab hac propoſitione dici poteſt primus author Sacramentariorum recentium. 2. Docet, DEUS nequit verè ea facere, quæ Chriſtus dixit; unde nec tranſſubſtantiare poteſt panem in corpus Chriſti. 3. Miſſa debet abrogari; quia nec vivis, nec defunctis prodeſt. 4. Invocantes Mariam, vel Sanctos inferunt Chriſto injuriam. 5. Lutherus in ſuis aſſertionibus contra Papam, Eccleſiaſticos, & Romanam Eccleſiam non erravit. 6. Orare pro defunctis eſt tempus gratis terere. 7. Socratis, Senecæ, & ſimilium Gentilium animæ ſunt in meliori ſtatu, quàm ſint animæ illorum, quos Papiſtæ pro Sanctis venerantur. 8. Papiſtæ errant, aſſerendo ſeptem Sacramenta novæ Legis. 9. Nullum datur Purgatorium in altera vita. 10. Indulgentiæ nullius ſunt utilitatis. 11. Ad conferendas Indulgentias Papa non habet plus authoritatis, quàm ruſticus in Helvetia. 12. Quivis homo poteſt ſolius naturæ viribus conſequi æternam vitam. 13. Omnes Imagines, & altaria ſunt ex Eccleſiis proſcribenda. 14. Idololatræ ſunt, qui Imagines, vel Cruces venerantur. 15. Infantes Fidelium naſcuntur abſque omni originali peccato 16. Peccata non Chriſti, ſed Joannis baptiſmô delentur.

2. Nota ſecundò: *Sacramentarii* quoque ſunt in re Calviniſtarum ſpecies; & ſic vocantur, eò quòd in *Sacramento Euchariſtiæ* negent

BIBLIOTECA ... ROMA

gent Chriſti corpus, ſecundùm realem præſentiam adeſſe. Quam hæreſim olim jam etiam docuerat Berengarius; eandem poſteà reſuſcitavit Zwinglius; ſed omnium latiſſimè præteritò ſæculò adhuc vivente Luthero propagavit Carloſtadius natione Franco, Archi-Diaconus Wittenbergenſis; ut proinde is communiter Sacramentariorum Princeps habeatur. Hic unà cum ſuis docuit ſequentes errores. 1. Verum Chriſti corpus non continetur realiter in Sacramento Euchariſtiæ. 2. Euchariſtia eſt tantùm ſignum, & ſymbolum mortis, & paſſionis Chriſti, ſicut & ſummæ dilectionis Chriſti erga genus humanum. 3. Chriſtus per iſta verba *hoc eſt corpus meum* voluit duntaxat ſuum proprium corpus, menſæ tunc aſſidens diſcipulis oſtendere, ut ſic illos commoneret ad ſibi commiſerandum, quem brevì in Cruce pendentem erant viſuri. 4. Euchariſtia poteſt liberè ſæcularium manibus tractari. 5. Miſſa eſt pura idololatria. 6. Etiam de Omnipotentia DEI nequit unum corpus eſſe in duobus locis. 7. Cultores Imaginum ſunt veri idololatræ. 8 Chriſtiani debent obſervare diem Sabbathi, & non diem Dominicum. 9. Nec Clerici, nec Monachi obligantur ad ſervandum cœlibatum. 10. Imagines Chriſti, & SS. unà cum altaribus, & apparamentis debent confringi, ac ejici ex templis.

3. Nota tertiò: *Anabaptiſtæ* ſic appellantur à rebaptizando pueros, qui ante uſum rationis fuerunt baptizati. Horum authorem aliqui faciunt quemdam Nicolaum Stokium circa An. 1525. Alii rectius quemdam Thomam Muncerum Carloſtadii diſcipulum, qui Saxoniam tempore Lutheri ſuo novo dogmate infecit; ac proinde ibidem etiam ad inſtantiam ejusdem Lutheri à Georgio Duce Saxoniæ ſuppliciô affectus fuit: ejus tamen hæreſes ulteriùs in Germaniam ſuperiorem, & Holandiam per varios ejus ſequaces diſperſæ fuêre, ſignanter per Tofferum Batavum, & Petrum Matthæum pariter Batavum, qui ſe fecerat Regem novæ Hieroſolymæ: & Melchiorem Hoffman; & Illyricum. Ex Germania tandem in Hungariam penetrârunt hi Hæretici, ubi adhuc hodie earum reliquiæ reperiuntur. Sunt autem errores eorum ſequentes. 1. Infantes in prima ætate baptizati, de neceſſitate ſalutis rebaptizandi ſunt, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerunt. 2. Verum Chriſti corpus non continetur in Euchariſtia. 3. Catholicorum Eccleſia non eſt vera Eccleſia; ſed Synagoga Sathanæ. 4. Anabaptiſtarum Eccleſia ſola eſt vera Apoſtolica, & Catholica Eccleſia. 5. Miſſa primitùs fuit inventa à Diabolo. 6. Nullum extat Purgatorium. 7. Chriſtianus non debet unquam uti armis, nec quidem ad ſe defendendum. 8. Polygamia eſt Chriſtianis licita, 9. Lutherani, & Calviniſtæ ſunt æquè intra Eccleſiam, ac Catholici. 10. Delirant, qui pro mortuis orant. 11. Faciunt injuriam Chriſto, qui invocant Sanctos. 12. Nulli dies feſtivi ſervari debent à Chriſtianis. 13. Inter Chriſtianos non debet unus eſſe Dominus, alter ſubditus; unde Magiſtratus ſunt tollendi. 14. Regimen Monarchicum etiam inter Chriſtianos abolendum eſt. 15. Communitas inter Chriſtianos neceſſariò obſervari debet: unde ſectarii iſti in communibus Collegiis vivunt in Hungaria. 16. Voluntariè Mendicantes ſunt Judâ pejores. 17. Quivis Chriſtianus debet neceſſariò alimenta vitæ labore manuum ſuarum conquirere. 18. Venerando Cruces, & Imagines committitur idololatria. 19. Nomini JESU non eſt facienda ulla reverentia. 20. Nemo cogendus eſt ad fidem amplectendam; nec contra hæreticos, vel infideles ſæculare brachium eſt adhibendum. 21. Nemo Chriſtianus ob delictum qualecunque poteſt capitali pœnâ affici. 22. Papa non minus, quàm Lutherus eſt Anti-Chriſtus. 23. Illicitum eſt jurare etiam ob quamcunque cauſam. 24 Nulla templa debent ædificari, & multò minùs conſecrari. 25. Meliùs eſt Verbum DEI proponere in pratis, ſylvis, & domibus, quàm in Eccleſiis. 26. Quilibet Anabaptiſta ita regitur à Spiritu S. ut in fide nequeat errare. 27. Utentes veſte ſericea ſunt filii Diaboli. 28. Pſalmi non debent decantari in templis. 29. Matrimonium non eſt Sacramentum, ſed tantùm civilis contractus. 30. Duo tantùm extant in Lege Evangelica Sacramenta, ſcilicet Cœna Domini, & baptiſmus more Anabaptiſtarum collatus. 31. Promiſcuus concubitus eſt permiſſus; imò quælibet mulier eſt obligata ad coeundum cum quovis viro illam petente, & vice verſa vir ad coeundum cum quavis muliere, eum appetente, &c. &c.

ARTICULUS XX.

De Oecolampadio, Ochino, Petro Martyre, Hallero, Bucero, Boquino, Kemnitio, Hubmaro, & cæteris famoſis hæreticis.

1. NOta primò: *Joannes Oecolampadius* fuit Germanus, patriâ Winsbergenſis, apoſtatuit An. 1519. & Zwinglii diſcipulum

diſcipulum ſe fecit, ac Epiſcopum Baſileenſem ſeſe nominari fecit. Tenuit omnia dogmata Zwinglii, eademque propagavit; præterquam quòd circa negatam realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia ſemper dubius remanſerit.

2. Nota ſecundò: *Bernardinus Ochinus* fuit italus, patriâ ſenenſis, factus apoſtata primò Genevæ, amplexus eſt Calvini adhuc viventis doctrinam; inde abiit in Poloniam, & ſubſcripſit neo-reſuſcitato Arrianismo: poſtea ſe tranſtulit in Tranſylvaniam, ubi in Atheismum incidit; aliàs autem ſpeciales ſequentes erroneos poſteritati articulos reliquit. 1. Viro Chriſtiano non eſt prohibitum habere plures uxores. 2. Chriſtus nec eſt Patri coæternus, nec coæqualis. 3. Poſſeſſores divitiarum nequeunt eſſe hæredes regni DEI. 4. Nullibi legitur in Scriptura, Spiritum S. eſſe DEUM. 5. Humanâ quadam inventione Monachorum Maria appellatur Chriſti Mater, Virgo, Cœlorum Regina, maris ſtella, & Domina Angelorum. 6. Chriſtus ideo tantùm dicitur in Scriptuta S. Filius DEI, quia diligebatur à DEO plus cæteris hominibus.

3. Nota tertiò: *Petrus Martyr* fuit natione Florentinus, famoſus Concionator, Neapoli prava converſatione Valdenii Hiſpani ex Germania venientis hæretici corruptus in fide, tandem Florentiæ ſe ſe priori ſæculo conjunxit Ochino præfato, meditanti apoſtaſiam, & cum eodem abiit in Helvetiam, ubi abjuravit fidem orthodoxam; & quia tunc multa ſe pro fide nova paſſum credebat, *Martyrem* ſe appellavit. Ex Helvetia tranſtulit ſe Argentoratum ad Bucerum; exinde in Angliam, ubi ſchiſma Henrici VIII. & errores Lutheri propagavit Oxonii, & alibi; & demum in Germaniam rurſus reverſus fuit. Ejus errores fuerunt communia dogmata Zwinglii, & Lutheri.

4. Nota tertiò: *Bertholdus Hallerus* fuit Helveta, Canonicus Bernenſis; diſcipulus Oecolampadii. Hic tenuit ſuperiori ſæculo eadem dogmata falſa, quæ Oecolampadius, & Zwinglius.

5. Nota quartò: *Martinus Bucerus*, fuit natione Alſata Germanus, patriâ Aleſtadienſis, natus ex parentibus Judæis, ſæculô ſuperiori, & confugiens ad Lutherum ejus dogmata falſa eſt amplexatus. Sed timens in Germania Caroli V. Cæſaris zelum pro Fide Catholica, ac victorias contra hæreticos rebelles, trajecit in Angliam cum Petro Martyre, ſub Eduardo Rege Angliæ adhuc puero, ubi Proteſtantium hæreticorum partes ſtrenuè adjuvit, & Lutheri errores ad unguem defendit.

6. Nota quintò: *Bocquinus* fuit natione quoque Germanus; & ſæculo priori ſequentes ſpeciales ſparſit errores. 1. Chriſtus pro ſolis juſtis eſt mortuus. 2. Corpus Chriſti à ſolis juſtis ſumitur, &c. &c.

7. Nota ſextò: *Martinus Kemnitius* extitit pariter Germanus Saxo, Brunſwicii natus An. 1522. fuit acerrimus defenſor Lutheraniſmi: hic conſcripſit perverſum illum librum, *Examen Concilii Tridentini*.

8. Nota ſeptimò: *Balthaſar Hubmar* fuit & ipſe Germanus Profeſſor SS. Theologiæ Ingolſtadii in Bavaria; ſed lapſus in hæreſim docuit ſequentes propoſitiones. 1. Inter Chriſtianos non datur dominatus unius ſuper alterum. 2. Munus concionandi publicè non eſt DEO gratum. 3. Verum Chriſti corpus non continetur in Euchariſtia. 4. Anabaptiſtarum dogmata ſunt vera. 5. In Eccleſia non debet admitti ullum Sacrificium externum, & Sacerdotium.

9. Nota octavò: Complures alios ſectatorios famoſos priori ſæculo extitiſſe, ſed principales ſunt hi; ſcilicet *Eraſmus Roterodamus*, qui fuit natione Batavus, vir in omni diſciplinarum genere verſatus, poſuit fundamenta Lutheraniſmi Scriptorum judiciô. Et *Lucas Sternbergenſis*, natione Moravus, patriâ Sternbergenſis prope Olomucium, Serveti diſcipulus in Polonia. Hic docuit 1. Ob tres perſonas Divinas in Trinitate oportet confiteri Deos tres. 2. Chriſtus non erat verus DEUS. 3. Maria genuit ante Chriſtum plures filios. 4. Et ipſa fuit fœmina ejuſdem conditionis cum aliis fœminis. 5. Eccleſiæ Sacramenta ſunt vera figmenta. Et *Hermannus Roſuik* Batavus, qui priùs Anabaptiſta, deinde errores ſparſit ſuperiori ſæculo ſequentes. 1. Fides Chriſtiana eſt merum figmentum, & fabula. 2. Evangelium Chriſti eſt Codex fabularum. 3. Moyſes non accepit Legem veterem à DEO. 4. Mundus eſt ab æterno ſinè dependentia à DEO. 5. Stolidè proinde docet Moyſes in Bibliis, DEUM mundum creâſſe in tempore. 6. Nec Infernus, nec Paradiſus datur. 7. Anima rationalis incipit cum corpore, & cum eodem moritur. 8. Chriſtus non eſt Filius DEI. Et *Illyricus*, qui voluit 1. Cæremonias Eccleſiæ debere penitus abrogari. 2. Bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem. 3. Voluntatem creatam ſe habere merè paſſivè in imperando, ſicut ſe habet truncus, quando ex ipſo formatur idolum. Et *Gribaldus* quidam Juriſ-

conſultus

Digitized by Google

conſultus, qui pariter priori ſæculo Ante-Trinitariorum veſtigia ſequens docuit falſa ſequentia. 1. In divinis non datur Trinitas Perſonarum. 2. Chriſtus nunquam docuit dari Trinitatem. 3. Nec Paulus quidquam de eadem Trinitate ſcivit. 4. Chriſtus per ſe nihil potuit, aut poteſt facere. 5. Chriſtus docuit ſolum Patrem eſſe adorandum. 6. Imaginatio quorundam hominum primò excogitavit Trinitatem. 7. Primitiva Eccleſia oravit ad ſolum Patrem. Et *Beza* nobilibus Catholicis parentibus inter Vezelios natus, Lutetiæ educatus, deinde Prior cujusdam beneficii Eccleſiaſtici prope Pariſios; deſuper Genevæ Calvini diſcipulus, & filius adoptivus factus fuit; vir alias eruditus; ſed totus venereus; poſt Calvini mortem adeptus eſt ejus demum Pſeudo-Pontificatum Genevenſem. Scripſit plures libros valdè nocivos Eccleſiæ Catholicæ; continentes dogmata communia Calvini hæretica.

ARTICULUS XXI.

De Schwenckfeldianis; Ubiquiſtis; & Calviniſtis.

1. NOta primò: *Schwenckfeldiani* (qui & *Confeſſores gloriæ Chriſti* ſeſe jactitant) nomen, & hæreſim ſortiti ſunt à quodam *Caſparo Schwenckfeld*, Nobili Sileſio, qui priùs Wittenbergæ Studens adhæſit dogmatibus falſis Lutheri adhuc viventis; ſed reverſus in Sileſiam ea contempſit, & novam formam errorum ſequentium concinnavit. 1. Ad conſequendam ſalutem nec Sciptura S. nec ulla lege opus eſt. 2 JESUS Chriſtus non continetur ſub litera, ſed ſub ſpiritu. 3. Salvandus non debet in S. Scriptura; ſed in magno hoc Univerſi libro contemplari, & quærere magnalia DEI. 4. Verbum ſcriptum tanquam litera occidens rejiciendum eſt, & ſpiritu vivendum. 5. Extra veram Eccleſiam, quam ſoli *Profeſſores gloriæ Chriſti* profitentur, & reformârunt, nemo ſalvari poteſt. 6. Verum corpus Chriſti non continetur in Euchariſtia. 7. Omnes Chriſtiani ſunt naturales Filii DEI. 8. Fides formalis eſt eſſentia & natura ipſius DEI. 9. Hæc verba, *hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*, non à DEO; ſed à nubibus expreſſa fuerunt 10. Perſona Filii, eſt Perſona Patris, & è contra. 11. Chriſtus non erat DEUS antequam conſcenderet cœlos 12. Chriſtus in utero Mariæ non fuit formatus à Spiritu S.

2. Nota ſecundò: *Ubiquiſtarum* ſecta ſic dicitur, quia aſſerit corpus Chriſti eſſe *ubique*, habuit incunabula in Brentio Sevo, ſacerdote, qui Lutheri dogmata ſedulò produxit per Germaniam ſuperiori ſæculo.

3. Nota tertiò: *Calviniſtæ* circa An. 1525. nati ſunt ex *Calvino* quodam natione Gallo, patriâ Noviodunenſi in Picardia. Hi Errones in Anglia vocantur *Puritani*, in Gallia *Hugenotæ*, in Hollandia *Geuſii*, in Helvetia *Sacramentarii*, & *Zwingliani*, in Germania autem *Calviniſtæ*. Calvinus ipſe Galliam, & Germaniam ſequentibus erroribus infecit. 1. DEUS eſt author omnium malorum. 2. Chriſtus multâ ignoravit; imò paterni mandati oblitus, ac metu paſſionis in horto perculſus, inter violentos tentationum fluctus, alternis votis vacillare incepit. 3. Chriſtus in inferno cruciatus gehennæ cum damnatis ſpiritibus aliquando pertulit. 4. Bona opera non conducunt ad vitam æternam. 5. Inter præcepta, & Conſilia Evangelica fruſtra aſſignatur differentia; utì & inter peccatum veniale, & mortale. 6. Sola incredulitas dici debet peccatum mortale. 7. Ex ore Chriſti nulla exiit vocula, cui non eſſet obtemperandum neceſſariò. 8. DEUS execratur cœlibatum Clericorum. 9. Monaſtica vota tanquam impia, & ſacrilega ſunt rejicienda. 10. Reliquiæ Sanctorum ſunt altè ſub terra abſcondendæ, ne Fideles eas venerentur, & ſeducantur eorum cultu. 11. Sancti non habent tam protenſas aures, ut noſtras preces audiant. 12. Purgatorium eſt exitiale commentum Sathanæ, quô Crux Chriſti evacuatur, & fides evertitur. 13. Animæ juſtorum usque ad diem Judicii ſedere debent, expectare in atrio Sanctuarii cœli. 14. Eccleſia eſt collecta ex ſolis prædeſtinatis. 15. Eccleſia non habet in terris ullum viſibile Caput. 16. Vera Eccleſia ſoli DEO nota eſt. 17. Fides ſemel habita, nunquam perdi poteſt. 18. Monachi non DEO, ſed Diabolo ſunt conſecrati. 19. Indulgentiæ non ſunt ullius utilitatis. 20. Corpus Chriſti non realiter & verè; ſed ſpiritualiter tantùm ſumitur in cœna Chriſti. 21. Panis, & vinum ſe habent tanquam arrha, & ſigillum, quô omnia nobis à Chriſto promiſſa confirmantur. 22. Barbari ſunt, & in Chriſtum injurioſi, qui de cœlo eum detrahere volunt pro cœna Domini. 23. Sacrificium Miſſæ eſt inventum Diaboli. 24. Laicus nunquam etiam in caſu extremæ neceſſitatis, poteſt validè baptizare. 25. Baptiſmus non eſt neceſſarius ad ſalutem. 26. Duo ad ſummum agnoverunt veteres Sacramenta, ſcilicet Baptiſmum, & Cœnam Domini. 27. Hære-

27. Hæreſis eſt docere, quòd Sacramenta novæ Legis gratiam conferant non ponentibus obicem. 28. Papa Romanus Anti-Chriſtus non accipit à Chriſto authoritatem largiendi Indulgentias. 29. Matrimonium non eſt Sacramentum. 30. In Matrimonio contrahendo non eſt habenda ratio graduum conſanguinitatis; modò non contrahatur in primo gradu. 31. Conjugium ità diſſolvitur causâ fornicationis, ut utraque pars licitè valeat ad ſecundas tranſire nuptias. 32. Si maritus ſe ſeabſentet integrô annô ab uxore, ipſa poteſt licitè ad aliud Matrimonium tranſire. 33. Generalia Concilia Papæ authoritate congregata nullius ſunt valoris. 34. In Tridentino tot ſunt errores, quot Canones. 35. Imperatoris Romani, & non Pontificis eſt præſidere in Concilio generali. 36. Cruces, Imagines, & altaria ex templis, & locis omnibus removeri, conculcari, confringi, & comburi debent. 37. Non eſt licitum celebrare Feſtos dies Sanctorum, & Euchariſtiæ. 38. Peregrinationes ad loca ſanctis dedicata ſunt plenæ impietate. 39. Sola Scriptura eſt Judex Controverſiarum fidei. 40. Omnes Cæremoniæ, quibus utuntur Papiſtæ in Eccleſiis, ſunt reliquiæ Judaiſmi, & Paganiſmi. 41. Omnes ornatus, & vaſa pretioſa, quibus Papiſtæ utuntur in templis, ſunt amovenda, & in profanum uſum adhibenda. 42. Nomen JESU non eſt venerandum. 43. Nemo tenetur ad ullum jejunium. 44. DEUM invocare junctis manibus, vel flexis genibus, vel elevatis oculis in cœlum, ſapit paganiſmum. 45. Romanus Pontifex eſt mancipium Diaboli, & Anti-Chriſtus; & nequaquam Caput veræ Eccleſiæ. 46. Idem poteſt errare circa fidem, & ſæpius erravit. 47. Vulgaris S. Scripturæ editio Catholicorum eſt corrupta à Papiſtis. 48. Quæcunque traditiones, etiam Apoſtolicæ nullius ſunt authoritatis. 49. Solus Pater æternus per excellentiam dici poteſt DEUS.

ARTICULUS XXII.

De Sabbathinis; Clancularijs; Davidiſtis; novis Arianis ſeu Ante-Trinitariis; novis Neſtorianis, ſeu Stancarianis; Auguſtinianis; Memnoniſtis; Muſculanis; Tritheitis novis; Antemarianis novis; Libertinis; ac pluribus aliis.

1. NOta primò: *Sabbathini* hæretici ortum habuerunt An. 1539. in Germania, ſic dicti, eò quòd ſpretô die Dominicô, quô Chriſtus reſurrexit, Sabbathum obſervent, & doceant. 1. Sabbathum neceſſariò eſſe obſervaodum & non Dominicam. 2. Solum DEUM Patrem eſſe invocandum.

2. Nota ſecundò: *Clancularii* eodem ferme tempore, quô Sabbatharii ſectam ſuam exorſi ſunt in Francia. Accipiunt autem hanc denominationem exinde, quòd dicant ſufficere ſuam Religionem *clanculum*, ſeu in corde profiteri; licèt ad extra aliis ſectis adhæreant. Cubiculum eſt illis ſemper pro templo, & menſa pro altari: preces in Eccleſia fuſas, & Conciones ac Miſſas contemnunt.

3. Nota tertiò: *Davidiſtæ* conſurrexerunt Ano. 1544. in Friſia, authore quodam *Davide* Holaodo; qui ſe finxit Meſſiam, à Spiritu S. miſſum ad reſtaurandam domum Iſraël, non per mortem, ſed per gratiam. Docuit 1. doctrinam Moyſis, Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum eſſe imperfectam. 2. Animam eſſe expertem omnis peccati; ſolam verò carnem eſſe in vitio, & culpa; adeoque omnia corpora fore damnanda, animas verò ſalvandas. 3. Non eſſe peccatum, Chriſtum aliquando coram hominibus negare; modò in corde retineatur. 4. Quare ſtulti fuerunt Apoſtoli, qui permiſerunt ſe martyrizari ob confeſſionem Chriſti. 5. Licitum eſt uni viro plures habere fœminas.

4. Nota quartò: *Novi Ariani*, qui & Anti-Trinitarii vocantur, proveniunt à quodam Michaële Serveto Hiſpano Ann. 1538. qui à Lutheraniſmo primò defecit ad Calviniſmum; & demum ad Arianiſmum deflexit, ac Anti-Trinitariis in Polonia, Lithuania, & Tranſſylvania origioem dedit, renovando poſt duodecim fere ſæcula Arii falſum dogma, & negando conſubſtantialitatem atque cōæqualitatem Filii cum Patre; & conſequeoter Trinitatis myſterium de trium Divinarum Perſonarum conſubſtantialitate, & cöæqualitate impugnando. Hunc reſuſcitatum Arianiſmum poſtea in brachio extento miti ſunt, & propagârunt Blandratus, Alciatus, Socinus, Gentilis, Gribaldus, Lilmannus, Paulus Niger, Budneus, Glinanus, Silniſcius Stator, & alii famoſi Anti-Trinitarii recentiores.

5. Nota quintò: *Stancariani* ſic dicti ſunt à quodam *Stancaro*, Italo Mantuano, qui aufugiens ex Italia venit primò in Germaniam; inde tranſmigravit in Poloniam, & Ruſſiam ſuperiori ſæculo, ubi Neſtorianiſmum renovavit,

vavit, addiditque ſua deliria ſequentia. 1. Chriſtum tantùm ſecundùm naturam humanam, & non ſecundùm perſonam eſſe noſtrum juſtificatorem & Mediatorem. 2. Tranſubſtantiatio Papiſtica eſt mera ſtultitia. 3. Ultima Cœna eſt tantùm memoria mortis Chriſti.

6. Nota ſextò: *Auguſtiniani* à quodam viro ſæculari *Auguſtino* ſic vocati, fuerunt hæretici quidam in Bohemia, referente Florimundo Ræmundo *lib. 2. cap. 15. n. 1.* qui imprimis cum Huſſitis, & Anabaptiſtis dogmata communia habuerunt; deindè verò protulerunt ſua particularia ſequentia. 1. Cœlum, & terra ſunt clauſa uſque ad ultimum diem Judicii. 2. Animæ omnes ſeparatæ dormiunt expectantes diem Judicii. 3. Chriſtus ſecundùm humanam naturam necdum eſt in cœlo. 4. Orationes pro defunctis nil proſunt.

7. Nota ſeptimò: *Mennoniſtæ* ſic vocati à quodam *Mennone* Friſio. Hi ſuperiori ſæculo docuerunt, præter plura dogmata Lutheri, ſpecialiter, JESUM Chriſtum eſſe DEI Filium, natum non ex ſubſtantia B. V. Mariæ; ſed ex ſubſtantia de cœlo tracta.

8. Nota octavò: *Muſculani* à quodam *Andrea Muſculo* ſic dicti; conſurrexêre priori ſæculo: & tenuerunt humanam, & divinam naturam ſimul in Chriſto fuiſſe paſſas; aliáſque ſparſerunt hæreticas propoſitiones.

9. Nota nonò: *Tritheitæ* (alii vocant eos *Deiſtas*) egreſſi fuerunt à quodam Georgio Paulo Polono Prædicante Cracovienſi. Et docuerunt tres extare Deos (unde & *Tritheitæ* dicti ſunt) diverſis gradibus conſtitutos, & præfectos diverſis temporibus mundi; ita ut DEUS Pater præſederit Veteri Teſtamento; ſed poſtea ſub Novo omnem authoritatem conſignaverit Filio, ſecundo DEO, qui proinde præſidet Teſtamento Novo: Tertius demum Spiritus S. completô regnô Filii habebit ſuum præſidium, & in eo nullius niſi tertiæ perſonæ Trinitatis notitia erit.

10. Nota decimò: *Anti-Mariani novi* ſunt illi hæretici, ad initium hujus ſæculi exorti, qui Cerinthi, & antiquorum Anti-Marianorum errorem famoſum reſuſcitârunt, docentes, MARIAM alios quoque liberos habuiſſe; cùm S. Scriptura faciat mentionem Fratrum Chriſti.

11. Nota undecimò: *Libertini* (qui & *Quintiniſtæ*, à *Quintino* quodam ſartore dicuntur) ſic appellantur à libertate, quam aſſerunt quemvis habere, ad amplectendum quamlibet Religionem. Hi conſurrexerunt in Picardia Gallica. Et docent DEUM minimè eſſe fatigandum in ſuo throno; cùm minuta iſta mundi nihil ad ipſum. 2. Sicut homines diverſis ferculis, ſic DEUS diverſo cultu delectatur. 3. Libri Moyſis ſunt pro fabulis, & nugis habendi.

12. Nota duodecimò: Complures alii ſub diverſis ſæculis referuntur Hæretici priſci, & ſectæ, ab Alphonſo de Caſtro; ſed famoſiores ſunt ſequentes. Et primò *Baſſus* quidam, qui temporibus Apoſtolorum vixit, & docuit non poſſe ſperari ſalutem nec in Chriſti majeſtate, neque in ejus præſentia corporali. Et *Petrus Abailardus*, qui fuit natione Gallus, vixit tempore Innocentii II. Papæ; ſprevit omnes SS. PP. ſed confutatus fuit à S. Bernardo; & damnatus à dicto Papa. Docuit ſequentes errores. 1. DEUS non videtur per eſſentiam à Beatis. 2. Filius DEI non ideo aſſumpſit carnem, ut hominem liberaret. 3. In Chriſto non fuit Spiritus timoris Domini. 4. DEUS non poteſt res aliter facere, quàm facit; unde omnia de neceſſitate eveniunt. 5. Spiritus S. eſt anima mundi. 6. Potentia eſt propria Patris non appropriata; ſapientia Filii, benignitas Spiritus ſancti. 7. Nihil eſt credendum, quod excedit virtutem noſtri intellectûs. 8. Timor Domini non eſt in futuro ſæculo. Et *Hermias* Galata, qui docuit animas eſſe factas ab Angelis, ex igne & ſpiritu. Et *Lamperiani* ſic dicti à *Lamperio*, docent ſequentia. 1. Nihil eſt de neceſſitate faciendum; ſed omnia liberè. Unde 2. omnia vota ſunt damnanda. Et *Prædeſtinati*, ſeu *Prædeſtinatiani*, ſic dicti à dogmatibus ſpecialibus, quæ tenebant, tempore Honorii Imperatoris, & Zozimi Papæ, in materia prædeſtinationis ſcilicet. 1. plè viventibus non prodeſſe bonorum operum laborem, ſi a DEO ad mortem ordinati fuiſſent; & impiis peccatoribus non obeſſe quæcunque ſcelera ab ipſis commiſſa, ſi DEUS ad vitam æternam ipſos prædeſtinâſſet. 2. Totum ſalutis negotium gratiæ, & gratuitæ electioni. ſeu prædeſtinationi; non autem libero arbitrio eſt attribuendum ullatenus: Similiter tota ratio perditionis ſubtractioni gratiæ, & reprobationi Divinæ. Et *Rogatiani* ſic dicti à *Rogato*; hi ſunt ſpecies Donatiſtarum. Dicebant, Eccleſiam conſtare ex ſolis bonis. Et *Saturniniani*, ſic dicti à quodam *Saturnino* Syro. Hi dicebant, promiſcuum coitum eſſe licitum. Et *Teſſalatæ*; qui ſunt ſpecies Manichæorum. Docent, animam rationalem eſſe creatam ſubſtan-

ſubſtantia DEI. Et *Turrelupini*, ſic dicti à loco. Tenebant, nullatenus erubeſcendum eſſe de ulla re, nobis à natura data; unde abſque ulla verecundia loca impudica publicè denudata geſtabant; & more juramentorum publicè coibant, docentes hoc licitum eſſe; uti & denudationem. Et *Arnaldiſtæ* (qui annuè in Bulla Cœnæ excommunicantur) hi ortum habent à quodam *Arnaldo* Italo Brixienſi; qui errores ſuprà recenſitos Petri Abailardi defendit.

ARTICULUS XXIII.

De Anglicanæ Eccleſiæ hæreſiarcha; & aliis hæreticis ibidem natis.

1. NOta primò: Henricus VIII. Rex Angliæ primitùs vir Catholicus, & Lutheri acerrimus impugnator fuit. Sed quia ſummus Pontifex Clemens VII. ad ejuſdem petitionem noluit diſſolvere matrimonium regium legitimè initum & conſummatum cum Catharina Auſtriaca Regina, & viginti annorum cohabitatione, ac prolis fructu corroboratum; ideo defecit ab obedientia Summi Pontificis, & Fide Catholica, ac erigendo ſe, Caput ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ, ſchisma inchoavit, paulò poſt in hæreſim eſt lapſus, condendo ſequentes erroneos articulos. 1. Pontifex Romanus nullam habet juriſdictionem Eccleſiaſticam in Anglos. 2. Summum Caput Eccleſiæ Anglicanæ, in terris eſt ſolus Rex Angliæ. 3. Rex poteſt omnium Eccleſiaſticorum bona ad libitum transferre in ſuum uſum. 4. Henrico Regi licet repudiare legitimam ſuam uxorem, eâque vivente aliam ducere. 5. Nuptiæ Henrici VIII. cum Anna Bolena ſunt legitimæ, & qui hoc jurejurando non affirmaverit, privandus eſt bonis omnibus, & vitâ. 6. Regis eſt hæreſes omnes, & abuſus propriâ authoritate tollere. 7. Nullum datur Purgatorium. 8. Satisfactio non eſt aliquid ſpectans ad pœnitentiam. 9. Tria tantùm Sacramenta ſunt à Chriſto inſtituta 10. Scripta antiquorum Patrum probantia Primatum Romani Pontificis ſunt emendanda, aut ex Bibliothecis ejicienda, ſub pœna capitis.

2. Nota ſecundò: Mortuô Henricô VIII. variæ circa Religionem novam Anglicanam mutationes fuerunt, variæque ſectæ conſurrexêre, juxta Principis inclinationem, & fidem: unde Eduardus Filius Henrici memorati ſucceſſor Regni, ab avunculo ſuo Zwingliano educatus in hæreſi Zwingliana, introduxit ſequentes articulos hæreticos credendos. 1. Cœna Domini ſub utraque ſpecie debet miniſtrari. 2. Miſſæ ſacrificium more Romano nulli eſt celebrandum. 3. Imagines, & Cruces ex omnibus locis ſunt auferendæ, eorúmque locô vel Regis, vel Regni inſignia collocanda. 4. Omnes Sacerdotes Papiſtici, & Religioſi, tanquam pacis perturbatores exturbandi ſunt ex utroque Regno. 5. Omnia ſacella, functiones, & redditus Eccleſiaſtici, oblationes annuæ, & res omnes Eccleſiaſticæ adhuc in Anglia ſuperſtites, cenſeantur deinceps eſſe Regis Eduardi. 6. Divina omnia in vulgati lingua ſunt peragenda. 7. Tituli, & dignitates Eccleſiaſticæ remaneant quidem, ſed Miniſtri alio ritu, quàm Romano ordinentur. Sub hoc Rege in Angliam quoque ope Cranmeri Magni Miniſtri Anglicani Regni introducta eſt pluribus in locis hæreſis Lutherana, ſub *Proteſtantium* nomine propagatoribus Beverô, & Petrô Martyre.

3. Nota tertiò: Deinde ſub impia Eliſabetha, Jacobo, aliiſque Regibus, & Crumvello irrepſêre quoque ſequentes ſectæ; quarum prima eſt *Puritanorum* qui ſic dicti ſunt, quòd mentiantur ſe eſſe *puros*, & immunes ab omni peccato; ſunt autem in re Calviniſtæ, infeſtiſſimi hoſtes Catholicorum, & Proteſtantium, ac omnis Monarchici regiminis. Inceperunt authore quodam Samſone Calviniſtico Prædicante An. 1565. Horum errores conveniunt cum hæreſibus Calviniſtarum; & vocantur aliàs etiam *Reformati*, ſeu *Eccleſiæ Reformatæ*.

4. Nota quartò: Secta ſecunda eſt *Brouniſtarum*; qui ſic vocati ſunt à quodam *Broun* Anglo; Brouniſtæ inceperunt ſub eadem Eliſabetha Regina. Odiô caninô invehuntur contra Proteſtantes, & Puritanos Eccleſiæ Anglicanæ. Habent plurima dogmata perverſa; principaliora ſunt hæc. 1. Sceptrum, & Regnum Chriſti reperitur in Eccleſiis Brouniſtarum tantùm, quæ verè pares ſunt novæ Hieruſalem. 2. Omnia templa ſub Papatu ædificata ſolô æquanda ſunt, & campanæ abjiciendæ. 3. Anni ſæculares non à morte Chriſti; ſed ab exordio ultimæ inſtitutionis Sanctorum Brouniſtarum calculandi ſunt. 4. Eſt diabolica idololatria, orare Dominicam Orationem, aut alias certas pre-

ces. 5. Ly *Sacramentum* eſt vox à diabolo inventa. 6. Symbolum Apoſtolorum, tanquam malè conſutus cento, ab Eccleſia ejiciendum eſt. 7. Blasphemia eſt, quòd Chriſtus deſcenderit ad infernum. 8. Libertas prophetandi nulli eſt deneganda, & finita concione tres, vel quatuor prophetare debent. 9. Minima quævis Brouniſtarum Congregatio habet jus excommunicandi Magiſtratum, & Reges. 10. Solus DEUS poteſt condere leges obligantes ſub mortali. 11. Omnes leges Moyſis adhuc hodie obligant Chriſtianos, 12. Iniquum eſt fures ſuſpendere; ſed Papiſtæ omnes morte plectendi ſunt. 13. Omnes libri Theologorum ſunt cremandi, & Univerſitates abrogandæ. 14 Cantare Pſalmos Davidicos eſt idololatricum. 15. Munus concionandi æquè fœminis, ac viris competit. 16. Cœna Dominica quovis die Dominico eſt ſumenda ab univerſis; ſed ſedendo, & tecto capite; & detegere tunc caput, eſt idololatricum. 17. Eſt idololatria, templa Sanctorum nominibus inſignire, & nominare &c. &c. De ſuperſtitioſis ritibus horum phantaſticorum Brouniſtarum lepida refert Baylus *cap. 10. lib. de error.* hujus ſæculi.

5. Nota quintò: Tertia ſecta Anglicana eſt *Familiariſtarum*; hi ſunt ſpecies Adamitarum Anglicorum; unde ſolent de nocte convenire in ſuis ſynagogis, & promiſcuè more Adamitarum concumbere, dicto priùs à Prædicante textu Gen. 1. *Creſcite, & multiplicamini.* Stultizare cœperunt ſub eadem Regina Eliſabetha.

6. Nota ſextò: Quarta ſecta Anglicana eſt *Presbyterianorum*, qui ſic dicti ſunt, quia amotis Epiſcopis regimen Eccleſiaſticum certis *Presbyteris* conceſſerunt, ſub quibus eſſent ſimplices Paſtores, ſeu Prædicautii: ipſi verò Presbyteri ſubeſſent Claſſibus; & Claſſes Synodis, ſeu Conciliis. Hi ſuis doctrinis in Eccleſiam invehunt regimen Ariſtocraticum. Inceperunt ſub Carolo Rege Angliæ. Sunt autem quædam ſpecies Puritanorum; quamvis etiam plures particulares habeant errores ſequentes. 1. Evangelium debet adminiſtrari à ſolis Presbyterianis. 2. Gradus Epiſcopalis non erat dignior gradu ſenioris, id eſt Paſtorum in primitiva Eccleſia. 3. Ordinatio Miniſtrorum ſpectat ad Synodum. 4. Laici, & plebei non debent excludi ab Officiis Eccleſiaſticis. 5. Poteſtas Jurisdictionis, & dominii reſidet ſimul penes Seniorem & Synodum ſeu Conſiſtorium. 6. Nec Timotheus, nec Titus erant Epiſcopi; ſed Evangeliſtæ. 7. Seniores de quibus fit mentio *1. ad Timoth. 5.* erant tantùm Seniores Prædicautii. 8. Poteſtas jurisdictionis in primitiva Eccleſia non fuit penes Epiſcopos; ſed penes Communitatem. 9. Paſtorum eſt judicare, & corrigere ſcandaloſos. 10. Papa non habet jus excommunicandi hæreticos.

7. Nota ſeptimò: Quinta ſecta eſt *Independentium*, qui ſe ſe oppoſuerunt præfatis Presbyterianis; ac proinde patriæ, ac publicæ libertatis defenſores ſe vocabant; conabantur autem formare regimen Eccleſiaſticum Democraticum: unde vocabant ſe *Independentes*, eò quòd non admitterent ullam humanam jurisdictionem Seniorum vel communitatis ſupra ſuas Eccleſias, ſicut Presbyteriani; ſed dicebant eas eſſe ſoli Chriſto ſubjectas. Hi ſunt pariter quædam fœx Puritanorum, ſeu Calviniſtarum. Conſtituunt Eccleſias ſuas ex paucis perſonis, ita ut una talis Eccleſia ab alia Eccleſia vel perſona non dependeat. Author horum erronum fuit quidam Joannes Robenſon Puritanus circa An. 1634. Profitentur ſequentia dogmata. 1. Quævis hominum collectio, etiam 7. tantùm perſonarum abſolutè poſſidet totam poteſtatem Eccleſiaſticam ſinè dependentia, aut ſubjectione ab ullo ſub cœlo. 2. Tota Synodorum etiam Æcumenicarum poteſtas eſt Anti-Chriſtiana, & tyrannica. 3. Qui ſe ſubmittit deciſioni alicujus Synodi, amittit Chriſtianam libertatem. 4. Fides nihil prodeſt ad ſalutem. 5. Chriſtus non habuit verum corpus. 6. Fœminis æquè, ac viris poteſtas clavium convenit. 7. Fœminis in Eccleſia concionari, non verò canere licet. 8. Idololatræ ſunt, qui miniſtrant Sacramenta in Eccleſiis, ſub Papatu erectis. 9. Uxores poſſunt repudiare viros ſuos, ſi nollent ſequi novæ Independentium Eccleſiæ regulas. 10. Sufficiens cauſa divortii eſt, ſinè omni culpa fœminæ ſolius viri arbitrium. 11. A primo die, quô quis annumeratur Independentium conſortio, ſemper usque ad mortem ſanctus eſt, & dignus Dominicâ Cœnâ. 12. Omnes Independentium Eccleſiæ habent authoritatem excommunicandi Reges omnes, & Reſpublicas. 13. Nullus eſt admittendus ad ullum regimen civile vel Eccleſiaſticum, niſi ſit Independens. 14. Omnes Leges humanæ debent aboleri; & nec Reges, nec Reſpublicæ habent poteſtatem condendi leges, Chriſtianum obligantes. 15. Chriſtiani tenentur adhuc ad leges veteris Teſtamenti. 16. Miniſtri Independentium debent eſſe aſſeſſores omnis ſupremæ Curiæ, cum poteſtate votandi. 17. Magiſtratus non habet poteſtatem puniendi facinoroſos. 18. Omnes ſectæ præter Presbyterianos, & Papi-

ſtas

ſtas tolerandæ ſunt. 19. Ad contemplandum DEUM eſt inutilis Scriptura. 20. DEUS eſt author peccati, & aliorum malorum.

8. Nota octavò: Sexta ſecta eſt *Quakerorum*, id eſt *Trementium*; & eſt pariter fœx Calviniſtarum, ortum ducens hôc ſæculô à quodam Jacobo Nayler Anglo, qui Chriſtum ſe finxit. Fovet errores quosdam Independentium, Presbyterianorum, Anabaptiſtarum, Brouniſtarum, Familiariſtarum, & Libertinorum. *Quackeri* ſunt in omni converſatione mites, modeſti, erga pauperes miſericordes, apparenter ſpirituales, & quaſi Chriſtô pleni, in victu & amictu temperati, inimicis bona pro malis retribuentes, & colaphizantibus alteram maxillam præbentes; fingentes extaſes publicas, & tunc trementes, à quo tremore *Quackeri* ſunt appellati; in ſumma ita ſunt facti, ut a multis ſimplicibus falsò reputentur eſſe novi Prophetæ, à DEO deſtinati ad reformandam Eccleſiam. Horum dogmata principalia ſunt. 1. Trementes (qui ſe ſolos veros Catholicos vocant) ſunt in hac vita ita perfecti, ut nulla peccati macula in eis reperiatur. 2. Aliud cœlum non eſt expectandum, niſi quod in corde gerit Chriſtianus: nec Infernus alius datur, niſi homines mali. 3. Eccleſiaſticæ ordinationes ſunt inventa à Diabolo. 4. DEUS non invenitur in manufactis templis aliarum Religionum, quàm Quackerorum. 5. Eô ipsô, quòd aliquis actualiter credat, eſt baptizatus. 6. Omnes Univerſitates, & ſcholæ ſunt evertendæ. 7. Hac voce *Sacramentum* nemo uti debet; cùm non ſit in Scriptura. 8. Inter veros Chriſtianos unus non debet alteri dominari. 9. Nulli quantumcunque authoritativo homini fieri debet ulla reverentia, nec Regi. 10. Omnia inter Chriſtianos neceſſariò debent eſſe communia; & qui proprium poſſidet, Chriſtianus non eſt. 11. Vocatio Trementium eſt immediatè à DEO. 12. Non eſt in poteſtate Quackeri peccare. 13. Fabulæ ſunt, quæ in Scriptura referuntur de cœlo, inferno, & mortuorum reſurrectione. 14. Chriſti ſatisfactioni nihil eſt adſcribendum. 15. Omnes quodam indito naturali lumine ſine DEI gratia ſalvari poſſunt 16. Adventus Chriſti, in carne fuit tantùm figura. 17. Quivis contentari debet illâ doctrinâ, quam acquirit per inſpirationem interni ſpiritûs. 18. Non ſunt Chriſtiani, qui campaniles domos (ſic vocant Eccleſias Catholicas) fabricatas ſub Papiſmo ingrediuntur. 19. Miniſtri Papiſtarum, Presbyterianorum, & Independentium ſunt mercenarii, & lupi rapaces. 20. Chriſtus Dominus præter alios errores, quos commiſit, etiam deſperavit in Cruce. 21. Nihil eſt credendum Scripturæ, niſi inquantum ſpiritus inſpirat. 22. Expoſitiones omnes Scripturæ ſunt ſtolidæ, & rejiciendæ. 23. Sunt Judæi, qui pſallunt Pſalmos Davidicos. 24. Baptiſmus flaminis nihil prodeſt. 25. Nulla ciborum differentia determinatis diebus jejunii eſt obſervanda. 26. Omnes Trementes habent Spiritum DEI in ſe. 27. Vulgata Scriptura non eſt Verbum DEI. 28. Anima rationalis Divinitatis pars eſt, & extitit ante corpus. 29. Nulla datur Trinitas Divina. 30. Chriſtus non habet aliud corpus, quàm Eccleſiæ communitatem.

9. Nota nonò: Septima ſecta Anglicana eſt *Libertinorum novorum* qui ſepultam Picardicam Libertinorum ſectam reſuſcitârunt nuper in Anglia, authore quodam Burtono. Tenent autem præter commune dogma Libertinicum, ſequentes errores particulares. 1. Non nos, ſed Spiritus DEI in nobis habitans, operatur omnia mala, quæ nos facere dicimur. 2. Peccatum nil aliud est, quàm opinio. 3. Ille ſolus dici poteſt renatus, qui nullo angariatur remorſu conſcientiæ. 4. Puniendo peccata DEUS ipſe punitur. 5. Solus ille bonus eſt, qui confitebitur, ſe nullum commiſiſſe malum. 6. Cognitio reſurrectionis Chriſti eſt tantummodò ſuſpicio. 7. Perfecti ſunt, qui contemptâ Scripturâ propriis fidunt inſpirationibus. 8. Non eſt major fides adhibenda Canonicis Scriptoribus, quàm profanis Hiſtoricis.

10. Nota decimò: Complures aliæ ſectæ recentiores hôc, & præteritô ſæculô enatæ, & reſuſcitatæ fuerunt, & defacto degunt in Anglia; cujusmodi ſunt Atheiſtæ, Arriani novi, Anabaptiſtæ, Antiſcripturiſtæ. Armeniani, Chiliaſtæ novi, Antinomi, Enthuſiaſtæ, Quærentes, Sabbatharii, Anti-Sabbatharii, Perfectiſtæ, Anti-Trinitarii, Sceptici, Expectantes, Rauteri, Levelleriani &c. quas ſuo hæretico ſinu fovet Anglia, veluti altera Africa fœcunda monſtrorum parens. quorum texere hiſtoriam, & errores recenſere, prolixum nimis foret: videri autem poſſunt apud Florim. Ræmund. & alios recentiores hiſtoricos.

ARTIC. XXIV.

De pœnis Hæreſiarcharum à DEO inflictis.

1. NOta primò: Ut DEUS palam faceret mundo, quod Hæreſiarcharum doctrinas falſas, & fautores eorum abomi-

abominetur, id teſtari voluit variis gravibus pœnis, eisdem meritò inflictis. Unde *Simon Magus* primus in Lege Nova Hæreſiarcha, dum volare contendit, oratione Divi Petri in terram dejicitur, tibiis fractis & cervice eliſa expirat; uti refert Egeſippus *lib. 3. cap. 2. de excid. Hieroſol.* Et *Manichæus* à Rege Perſarum excoriatur, ſecundùm Epiphanium *hær. 66.* Et *Montanus* laqueô ſuſpenditur, teſte Euſebio *lib. 5. cap. 16.* Et *Arrius* aluum exoneraturus inteſtina ſimul in latrinam emiſit, teſte Athanaſio *orat. 1. in Arrianos.* Et *Julianus Apoſtata* abſorbetur à terra, ſecundum Gregorium Nazianzenum *orat. pro Athanaſio.*

2. Nota ſecundò: Similiter *Valens Arrianus* à Gothis vivus crematur teſte Ruffino *lib. 11. hiſtor. cap. 13.* Impia *Neſtorii* vivi lingua vermibus ſcatet, juxta Evagrium *lib. 1. hiſtor. cap. 7.* *Donatiſtæ* dum SS. Euchariſtiam exponunt canibus, ipſi à canibus lacerantur, apud Optatum *lib. 2. contra Parmen.* *Athanaſius Imper.* Fautor Eutichianorum, fulmine de cœlo tactus expirat, ſecundùm Cedren. & Zonaram *in ejus vita.* *Leo Iconomachus* dum ſacras Imagines exterminat Conſtantinopoli, peſtis ad triginta hominum millia de ejus ſubditis ibidem abſorbet, teſte Palmerio *ad An. 741.* *Mahometis* ſemi cadaver à canibus devoratur, teſte Eulogio apud Baronium. Græca Eccleſia ob toties repetitum ſchisma ſubacta eſt tota quanta tyrannico jugo Turcarum; & cum ea omnes reliquiæ Hæreticorum variorum in ea adhuc delitescentium, ut Neſtorianorum, Arrianorum, Eutychianorum &c. Idem contigit Rhutenis, ac aliis ſchismaticis. *Sergius* dictator Alcorani ab ipſomet Mahomete finaliter ſtrangulatur.

3. Nota tertiò: Iterum *Templarii* poſtquam effecti ſunt hæretici, teſte Trithemio, juſſu Clementis V. & Concilii Viennenſis uno die per totam Europam deleti ſunt, & Ordo eorum extinctus *Sagarellus* Pſeudo-Apoſtolorum author cum Dulcino primario ſectatore igni traditus fuit. *Flagellantes primi* in Bohemia ab Ottogaro Rege partim flammis extincti, partim gladiô trucidati, partim aquâ ſuffocati fuêre. *Gulielmus à S. amore* hæreſiarcha miſerâ obiit morte: uti & ejus coadjutor *Giraldus de Abbatis villa,* qui paralyſi correptus interiit. *Beguardi, & Beguini* primarii exuſti fuerunt. *Wicleph* pariter infauſta morte extinctus fuit. *Hus* flammis fuit adjudicatus. *Ziska* Thaboritarum fundator priùs excæcatus, deinde peſte correptus ſubitò interiit.

4. Nota quartò: *Lutherus* veſperi bene lætus, ac potus, eadem nocte expiravit, teſte Cochleo *in vita Lutheri.* *Zwinglius* lethaliter priùs vulneratus in bello, quod moverat contra Catholicos, poſtea ab iisdem crematus eſt An. 1531. *Oecolampadius* veſperi ſanus manè in lecto repertus eſt extinctus; teſte eodem Cochleo, *in actis Lutheri ad An. 1531.* *Carolſtadius* ſecundùm Miniſtros Baſilienſ. *Epiſt. de morte Carolſtadii* refertur à Dæmone interfectus in Saxonia. *Calvinus* narratur à Bolſeco in vita Calvini priùs variis graviſſimis morbis, demum vermibus conſumptus, & in Dæmonum invocatione interiiſſe. *Petrus Martyr* Tigurii inter amores juvenculæ Monialis apoſtatricis derepente expirat An. 1562. *Ochinus* toto orbe profugus tandem obiit in ſumma egeſtate in Tranſylvania. *Melanthon* deſperabundus Vitembergæ An. 1560. *Bucerus* pariter deſperatè extinguitur Londini in Anglia Ann. 1551. cujus corpus quintô poſt mortem annô exhumatum & igni traditum fuit. *Hubmar* hæreſiarcha Helvetiæ, & Moraviæ poſt longos carceres Viennæ comburitur. *Muncerus* Anabaptiſtarum author in Germania, juſſu Ducis Saxoniæ actus fuit in patibulum. *Joannes Leidenſis* Batavus Anabaptiſtarum ſolemnis propagatur in Imperio, & Rex novæ Hieruſalem, ignitis forcipibus laceratur, & demum excarnificatur juſſu Epiſcopi Monaſterienſis. Et alius ejusdem farinæ Anabaptiſta famoſus Hoffmannus, qui centum quadraginta millia diſcipulorum habuit, Argentorati ſquallore carceris enecatur. *Gribaldus* novus author Anti-Trinitariorum, cœleſti fulmine ictùs interiit. *Henricus* VIII. Rex Anglici ſchismatis, & falſæ Eccleſiæ Anglicanæ fabricator totus deſperabundus, & in pannicos terrores actus exclamans *parcite, parcite Fratres Minores* (quorum ſcilicet magnum numerũ martyrizaverat) miſerè obiit An. 1546.

ARTIC. XXV.

De principalibus cauſis, ob quas pleræque hæreſes ortæ ſunt.

1. NOta primò: Ad detegenda vera incunabula Hæreſiarcharum, & ad expeditiùs obviandum eorum dogmatibus, judicavi hôc articulô afferre cauſas, à quibus ortæ ſunt pleræque hæreſes, quæ variæ ſunt: ſed principales ſequentes. *Prima cauſa* fuit inordinatus amor ſui, quem comitatur elatio, & ambitio; quibus affecti quidam homines amant ſe extolli, & propterea ambiunt primos accubitus, primasque Cathedras in Eccleſia Catholica; quas dum non aſſequuntur,

aſſequuntur, deficiunt ad diſcordias, convitia, inobedientias, blaſphemias, contentiones, pertinaciam, obſtinationem, aliáque crimina, & finialiter ad hæretica dogmata, atque pro Hæreſiarchis ſe ſe extollunt: de quibus prædixit Apoſtolus *2. ad Timoth. 3. hoc autem ſcito, quia in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſinè affectione, ſinè pace, criminatores, incontinentes, immites, ſinè benignitate proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores, magis quàm DEI; habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes &c.*

2. Nota ſecundò: ob hanc cauſam primam, Hæreſiarchæ effecti ſunt ſequentes; ſcilicet Simon Magus, qui arroganti animo ambiens eminentiam quamdam, & poteſtatem, ut per impoſitionem manuum Spiritum S. poſſet conferre, eandem ab Apoſtolis mercari voluit; ſed videns ſe fruſtratum ſuâ ſpe, ſectam erexit Simoniacorum *Act. 8.* ſimiliter *Thebutes, quia repulſam meruit Epiſcopatûs, cœpit inde turbare omnia, & corrumpere* (ſcilicet per erronea dogmata) utì dicit Euſebius *lib. 4. hiſtor. cap. 22.* Item Valentinus hæreſiarcha, *quia ſperaverat* (verba ſunt Tertulliani *lib. contra Valent.* in initio) *Epiſcopatum, ſed alium prærogativâ loci potitum indignatus, de Eccleſia abrupit, utì ſolent animi pro prioratu exciti præſumptionis altioris accendi*: & conſequenter ad hæreſes varias declinavit. Item Marcion teſte Epiphanio *hær. 42. æmulatione elatus* (inquit cit. Doctor) *ubi non accepit præcedentiam, ſiſſuram effecit, ſibi ipſi hæreſim erigens dicens, ego ſcindam Eccleſiam veſtram.* Item Montanus, *ambitione motus* (dicit Theodoret. *lib. 3. de hæret. fab*: *ſeipſum Paraclitum vocavit. Et Novitianus ex Epiſcopatûs cupiditate in hæc omnia deciderat.* Item Arius (utì docet idem Theoretus *lib. 4.* ùt ſuprà) videns Alexandrum Epiſcopum ſibi in Alexandrina Eccleſia præferri, *invidiæ ſtimulo percitus eſt, & occaſionem invenit dogmatum impietatem* Item Aërius ex eadem cauſa ambitionis lapſus eſt in hæreſim, teſte Epiphanio *hær. 75.* dicente, *cùm veniſſet Euſtachius ad Epiſcopatum, Aërius magis concupiſcebat; ſed non pervenit ad ipſum; hinc oritur æmulatio*; & conſequenter nova ſecta. Item Donatus videns Cœcilianũ in Epiſcopatu Carthaginenſi ſibi præferri, receſſit ab Eccleſia, hæreſiarcha effectus, teſte Auguſtino *hær. 69.* Idem contigit cum Sabathiô apud Socratem *lib. 5. hiſtor. cap. 20.* Et Mahometes ab ambitione obtinendi extraordinarium honorem, & cultum magni Prophetæ, ſectam ſuam novam conſtituit. Item ambitioſus Wicleph. *quia Epiſcopus eſſe non potuit, hæreſiarcha factus eſt.* inquit Thomas Waldenſ. *lib. 2. fid. cap. 60.* Et Lutherus ambitione motus, quòd poſtponeretur Dominicanæ familiæ in prædicanda Cruciata per Germaniam, prorupit in hæreſim, *Indulgentias ſcilicet nihil eſſe.* Et quia Calvinus Geneuenſem Epiſcopatum aſſecutus non fuit, innumeras blaſphemias in Papam, & hæreſes varias effutiit. De quibus omnibus dici poteſt illud Apoſtoli ad Rom: *evanuerunt in cogitationibus.*

3. Nota tertiò: *Secunda cauſa* eſt libidinis carnalis exercitium, & illecebrarum variarum communis uſus, quem quidam homines nimiùm amant; & propterea excutiunt ſanas doctrinas, conſcientiæ laxas habenas injicientes, votaque DEO facta, excutiunt & Hæreſiarchæ evadunt. Hanc cauſam ponderans Theophilactus in *Epiſt. ad Rom. 16 cap.* dixit; *ex hac igitur ventris ingluvie, & vitiorum ſervitute omnes eruperunt hæreſes.* Et de Hæreticis ex hac cauſa deficientibus dixit quoque Apoſtolus *ad Philip. 3. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos Crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum DEUS venter, & gloria in confuſionem ipſorum, qui terrena ſapiunt.*

4. Nota quartò: Ob hanc etiam cauſam apoſtatavit Lutherus, & excuſsô votô caſtitatis uxorem duxit Catharinam Boream ſanctimonialem, ut pruritum ſuæ libidinis expleret. Ob eandem pariter Calvinus Curatus Noviodunenſis caſtitatem abjiciens uxorem accepit. Idem præſtitit Ochinus, Æcolampadius, & Petrus Martyr. Ex hoc quoque motivo Mahometes, & Cerinthus perſuasêre in promiſſa beatitudine delicias carnis futuras. Et Adamitæ ac Fraticelli ſua inſtituêre conventicula pro promiſcuo uſu veneris cum fæminis exercendo. Et Jovianus dogmatizavit, Matrimonium æquipollere virginitati. Et Bucerus cum Carolſtadio, ac pluribus aliis votô continentiæ ligatis Matrimonium celebrârunt; ut veteres compures Hæreſiarchas votô continentiæ obſtrictos & nihilominus, ad uxores declinantes, taceam.

5. Nota quintò: *Tertia cauſa* eſt libertas conſcientiæ in credendo, & operando quæque prohibita. Ex hoc capite quidam hæreſiarchæ largam aperuêre viam ad omne genus peccati, & incredulitatis; fundantes ſe in illo Scripturæ dicto Job. 22. quod protulerunt veteres Libertini conſcientiæ; *DEUS circa cardines cœli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Et illud aliud Sap. 2. *Venite fruamur bonis, & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter; vinô pretioſô, & unguentis nos impleamus;*

mus;

Digitized by Google

mus, & nō prætereat nos flos temporis &c. Et ex hoc motivo ſignanter deficiens quoque Lutherus docuit illam laxam Theologiam, *Decalogum ſcilicet ad Chriſtianos non pertinere.* Item *nulla eſſe præcepta in Lege Chriſti.* Item *Fidem ſolam juſtificare.* Item *bona opera, orationes, jejunia nihil valere.* Item *Papam, & ſuos cohibentes ſuis legibus homines à peccatis variis eſſe idololatras, Anti-Chriſtos, & ſuperſtitioſos.* Item *ſi uxor nolit conſentire ad copulam conjugalem, vocandam eſſe ancillam.* Item *ſi adulteretur vir, licere alteri nubere.* Item *vota non obligare.* Item *inter Chriſtianos unum alteri non ſubjacere.* Item *omnes eſſe Sacerdotes, adeoque licere Principibus invadere bona Eccleſiaſtica.* Ex eadem cauſa libertatis conſcientiæ obtinendæ Nicolaitæ docuerunt, promiſcuum uſum fœminarum quarumcunque etiam ſororis, & matris eſſe licitum. Et Baſilidiani, & Cataphrygæ dixerunt, canere carmina quæcunque amatoria ad libidinem incitantia eſſe permiſſum. Et Athei aſſeſerunt, non dari DEUM punitorem malorum. Et Jovinianus negavit, jejunia prodeſſe ad ſalutem. Et Mahometes docuit polygamiam plurium uxorum eſſe licitam.

6. Nota ſextò: *Quarta cauſa* eſt lectio aſſidua librorum profanorum Philoſophorum, & maximè hæreticorum. Nam cùm multa contineantur in libris præfatis, quæ è diametro adverſantur Fidei Catholicæ; multáque quæ ad vitia inclinant, ac à virtute avocant; inde fit, ut lector imbutus eorum notitiâ, facilè deflectat ad eaſdem, vel alias peregrinas, & falſas doctrinas, ac hæretica dogmata. Quare admonet nos Apoſtolos ad Coloſſ. 1. *videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam.* Et Tertullianus *lib. de præſcript. hæret.* ait, *ipſa denique hæreſes à Philoſophia ſubornantur. Inde Æones, & forma neſcio quæ, & trinitas hominis apud Hæreſiarcham Valentinianum, qui fuit Platonicus Philoſophus, adſtruitur. Inde Marcionis pariter Hæreſiarchæ Stoici DEUS melior de Tranquillitate natus eſt. Inde animam interire juxta Epicureorum errorem; & carnis reſurrectionem non fore ab aliis hæreticis eorundem Philoſophorum ſectariis pronunciatur.*

7. Nota ſeptimò: *Quinta cauſa* eſt indiſcretus zelus, quô quidam inordinatè incipiunt debachari contra aliquos Catholicos, maximè Eccleſiaſticos, quos vident aliquibus vitiis irretitos; & tandem in ipſam etiam Eccleſiam, & totùm ordinem Clericalem invehunt, ſenſimque labuntur ex convitiis in hæreſes. Hac viâ incepit olim Donatus jacere fundamenta ſuæ ſectæ Novatiana: non valens ſufferre, quòd Cornelius Papa Fideles, qui tempore perſecutionis ſub Decio ſacrificaverant, pœnitentes in Communionem recepiſſet, indiſcretô zelô accenſus ipſemet ſe ſubtraxit à communione Eccleſiæ Romanæ, & factus fuit Hæreſiarcha. Similiter Hus, & Lutherus videntes quorundam Clericorum, ac Monachorum relaxatam vitam, & quoſdam abuſus fieri in Eccleſia à malis Catholicis, indiſcretionis ſpiritu moti latrare cæperunt ſinè ullo diſcrimine in omnes ſacerdotes, conatique ſunt omnem Eccleſiaſticum Ordinem confundere, Monachatum totum evertere, Cæremonias Eccleſiæ univerſas impugnare, & ipſum etiam Romanum Pontificem blaſphemare, convitiiſque impetere, ac deteſtari tanquam Anti-Chriſtum, & idololatram: cùm tamen præfatis relaxationibus Cleri, & abuſibus introductis aliter debuiſſent obviare zelô juſtitiæ, admonendo ſcilicet, & corripiendo Clerum; item pro Monachorum, & abuſuum reformatione inſtando apud Caput Supremum Eccleſiæ.

8. Nota octavò: *Sexta cauſa* eſt negligentia Principum, & Prælatorum, quos contingit nonnunquam eſſe nimium ſocordes, & ignavos circa erumpentes errores corrigendos; quô fit, ut non vigilent debitè ſuper Gregem Dominicum ſibi commiſſum; ſicque dum cuique eſt liberum ſentire, quod placet, ſenſim conſurgunt lupi rapaces invadentes gregem per falſas doctrinas; & emergunt ex eo inimici homines Hæreſiarchæ, ſuper ſeminantes Zizania errorum *Matt. 13. cap.* Hac occaſione in Bohemia propter ſocordiam Wenceslai Pigri Regis, Huſſitica ſecta plantata, & dilatata fuit, ut notat Caſtro *lib. 10. adverſus hæres.* Et Lutheraniſmus ob plurium Prælatorum, ad alia converſorum negligentiam in Germania fixit radices, utì advertit Florimu: &c. hiſtorici.

9. Nota nonò: *Septima cauſa* eſt defectus prædicationis Verbi DEI, ad quam obligantur Curati animarum, juxta illud 1. Petri 5. *paſcite qui in vobis eſt gregem.* Et Matth. *ult. Prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Neglectâ autem ejuſmodi prædicatione contingit, ut varii errores circa fidem erumpant, & quævis obvia hæretica propoſitio credatur à populo ruſtico & ſimplici; & qui paulò literatior cæteris eſt, de facili hæreſiarcha evadit. Hujus cauſæ exempla Hiſpanica refert Caſtro *lib. 1. adverſus hæreſes.* Et abunde id confirmant Picardorum in Bohemia, & Anabaptiſtarum in Hungaria, ac Angliâ ortus.

10. Nota decimò: *Octava cauſa* tandem eſt verſio Bibliorum in linguam vulgarem, eorùmque lectio indifferenter conceſſa. Nam cùm in Bibliis plura contineantur difficilia intellectu,

intellectu, idiotæ ea legentes depravant, & detorquent ad ſenſum erroneum, ſeminantque hæreſes. Exemplum hujus extat in Waldone Waldenſium authore, qui cum eſſet homo idiota, & legiſſet S. Litteras vulgariter editas, easdem malè intelligendo ſectarius factus eſt. Idem conſtat de Biguardis, & Turelupinis, Quackeris, &c. hæreticis idiotis. Rectè proinde monet Salvator Matth. 7. *Nolite ſanctum dare canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos; ne fortè conculcent eas pedibus, & converſi diſrumpant vos.*

ARTIC. XXVI.

De ſignis diſtinctivis, ac moribus communibus diverſis Hæreticorum, à Catholicis.

1. NOta primò: Hæreticos homines ordinariè comitantur certa ſigna diſtinctiva, characteres, & mores ipſô factô hæreſim latentem indicantes; quibus proinde reſperſi, à Catholicis tanquam viperæ venenoſæ erunt fugiendi. Ut autem ejuſmodi ſigna, & mores innoteſcant in expertis Catholicis, operæ pretium duxi, præſentem contexere articulum, & principalia ſigna communia omnibus hæreticis, notas, characteres, & hæreticos mores ſuccinctè aſſignare; uti & mores Catholicorum, his contrarios. Unde

2. Nota ſecundò: *Primò* omnes Hæretici præſeferunt quendam ſimulatum zelum, quô dicunt ſe gloriam Chriſti Salvatoris noſtri velle conſervare, & promovere, defendere quoque, & propagare ejus ſanctum Evangelium cum puritate, aut illud à Catholicis corruptum repurgare; uti prætendunt Lutherani, Calviniſtæ, ſeu Reformatæ Religionis ſectarii, Donatiſtæ, Manichæi, Anabaptiſtæ, Waldenſes &c. Sed revera hi zelotes ſuis falſis dogmatibus magis gloriam Chriſti obſcurant, lacerant, & deſtruunt, & ejus ſanctum Evangelium pervertunt; ſicut patet evolventi hiſtorias de ortu, & erroribus omnium Hæreticorum conſcriptas. Nam veteres illi Ebion, & Cerinthus jam tempore Apoſtolorum divinitatem Chriſti (in qua ejus ſumma gloria reſidet) palam impugnarunt. Idem fecêre Macedonius, & Arius, qui negarunt, Chriſtum habere eandem cum Patre naturam. Sic & Monothelitæ Chriſtum ſpoliârunt humana voluntate: & Apollinariſtæ animâ: Manichæi naturâ humanâ: Neſtorius poſuit duas in ipſo perſonas: Eutyches voluit naturam ejus humanam in Divinam eſſe transfuſam: Baſilides Chriſti paſſionem, Cerinthus reſurrectionem, Apelles aſcenſionem in cœlum cum carne humana negarunt. Pelagius gratiæ Chriſti; Berengarius ſacrato corpori ejus plagam impoſuit.: Hus preces, quibus Chriſti gratia imploratur, è medio ſuſtulit: Iconoclaſtarum ſecta cultum imaginum, quibus recolitur memoria beneficiorum Chriſti, ſuppreſſit, & eaſdem imagines ex templis relegavit: Alii tandem Eccleſiam Chriſti ſponſam, Meretricem Babylonicam appellarunt: Matrem ſanctiſſimam ejuſdem variis contumeliis affecêre, & parem aliis fœminis prædicavêre. His corruptis moribus, & ſignis è diametro contrarias habent notas omnes veri Catholici, qui & ſuis ſanis doctrinis gloriam Chriſti deprædicant, & conſervant; ejus Divinitatem, & impermixtam humanitatem, humanam voluntatem, veram paſſionem, reſurrectionémque ſanctè profitentur: Eccleſiam ejus ſponſam mundam ab omni errore aſſerunt; Matrémque ejus aliis mulieribus præferunt, & venerantur, S. quoque Evangelium prout ab ipſo Chriſto traditum fuit, in ſua primæva puritate tenendo & profitendo; uti patet ex eorum Bibliis, quæ cum vetuſtiſſimis codicibus Eccleſiæ concordant.

3. Nota tertiò: *Secundò* Hæretici plerique profitentur vitam relaxatam, & libertinam, multúmque indulgent illecebris carnis, & corporis commoditatibus, ſeditionibus, bellis, ac tumultibus præbent occaſionem: Superbiam, & arrogantiam præſeferunt, &c. Unde Adamitæ, Picardi, ac plures veteres Hæretici promiſcuum uſum quarumcunque fœminarum licitum eſſe docuerunt. Et Gnoſtici, ac Ebionitæ virginitatem improbarunt. Et Lutherus dixit ancillam eſſe vocandam, ſi nolit uxor conſentire in opus carnale. Et Simoniaci, ac Manichæi omne genus turpitudinis ſectati fuerunt. Et Waldenſes, ac Independentes omnem obedientiam majoribus debitam ſuſtulerunt. Et Ariani, Donatiſtæ, Iconomachi, Huſſitæ, Presbyteriani, & Novatores noſtri, quot non bella, ſeditiones, tumultus, factiones excitarunt ſuperiori, & hôc etiam ſæculô, in toto penè mundo Chriſtiano. Et Arius, Novatus, ac Donatus ambientes Epiſcopatus, & non aſſequentes, hæreſes ſuſcitarunt. E contra mores, & doctrinæ Catholicorum ſunt, caſtè & ſobriè vivere,

obedientiam præſtare ſuperioribus, populum ſubditum conſervare in pace, ſubmiſſione, & obedientia Regum, Principum, Eccleſiæ, ac aliorum ſuperiorum; adulteria damnare & punire, ſectari humilitatem, & victûs ac cultûs tenuitatem: unde admiranda eſt in S. Auguſtino, & D. Gregorio ſumma humilitas; in SS. Hieronymo, Baſilio, Nazianzeno, Chryſoſtomo, Franciſco victûs, cultûſque aſperitas; angelica in SS. Thoma, & Bernardo caſtitas.

4. Nota quartò: *Tertiò* pro ſigno infallibili diſtinctivo à Catholicis habent Hæretici omnes, quòd verum Chriſti Vicarium in terris, ac D. Petri ſucceſſorem, & ſummum Pontificem, quem Chriſtus conſtituit ſuper univerſam ſuam Eccleſiam, ut eandem regat, omni niſu impugnare, convitiari, & deteſtari. Exemplo eſt Simon Magus primus Hæreſiarcha, qui D. Petro primo Chriſti Vicario reſtitit *Act. 8.* Et Novatiani fortiſſimè ſe ſe oppoſuerunt S. Cornelio Papæ. Et Ariani Liberium Sum. Pontificem in exilium miſerunt. Et Donatiſtæ, ac Lutherus ſedem Romanam, in qua verus Chriſti Vicarius ſedet, *Cathedram peſtilentiæ* vocarunt. Et Novatores communiter Papam pro tempore, & legitimum Chriſti Vicarium, appellant *Anti-Chriſtum, Idololatram, Draconem &c.* Alii ſunt mores è contra verorum Catholicorum, qui Romano Pontifici omnem exhibent venerationem, & obedientiam, ùt videre eſt in Cornelio Centurione, qui ſe ad D. Petri Sum. Pontificis genua proſtravit *Act. 10.* Et S. Paulus venit honoris causâ Hieroſolymam, ut videret, & revereretur Petrum. Et S. Auguſtinus, Cyrillus, Hieronymus, & Anaſtaſius, quanti fecerint Papam, teſtantur eorum Epiſtolæ, & ſcripta. Imò ipſi primi Chriſtiani Imperatores, & Reges Sum. Pontificem Romanum tanquam verum Chriſti Vicarium ſummè venerati fuerunt; & hac de causa Conſtantinus Magnus, & Carolus Mag. eundem diademate ornarunt. Et Pipinus Francorum Rex Stephani II. equum venerabundus manu ſua duxit. Idem fecit Luitbrandus Longobardorum Rex cum Zacharia Papa.

5. Nota quintò: *Quartò* infallibili etiam nota communi ſe produnt Hæretici, dum uno ore rejiciunt Patrum, tanquam Majorum Sanctorum ſententias, ſpernunt traditiones, explodunt Eccleſiæ, & Conciliorum decreta ſalutaria, & ad ſolam S. Scripturam provocant; uti patet ex libris eorundem; & maximè Arianorum, Huſſitarum, Lutheranorum, Calviniſtarum &c. Sed alios habent characteres, & mores reverentiales veri Catholici, qui in magno habent honore SS. Doctorum Eccleſiæ ſcripta, & dogmata cuncta, ac S. Scripturæ interpretationes: antiquas itidem legitimas traditiones Apoſtolicas, ac Eccleſiæ, & S. Conciliorum deciſiones reverentur, eisdémque ſeſe accommodant; cùm ſciant Eccleſiam *eſſe columnam*, & *firmamentum veritatis* 1. ad Timoth. 3. Et cùm, *qui Eccleſiam non audierit locô Ethnici, & Publicani ſit habendus* Matt. 18. Et quia à ſapiente dictum eſt Prov. 22. *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Et ut ſatisfaciant dicto Apoſtoli ad Hebr. 13. *Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum DEI, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem. JEſus Chriſtus, heri, & hodie, ipſe & in ſæcula: doctrinis variis, & peregrinis nolite abduci.*

6. Nota ſextò: *Quintò* pro nota quoque communi circumferunt omnes Hæretici, impugnationem, & negationem miraculorum, etiam veriſſimorum, in confirmationem fidei, vel ob aliam cauſam editorum; & dum eorum evidentiâ ſæpius convincuntur, clamant cum Phariſæis ejusmodi opera ope Dæmonum eſſe facta; vel ut conficta eludunt. E contra pro communi fidelitatis ſigno habent omnes veri Catholici, legitima quædam Sanctorum Miracula admirari, & venerari, tanquam teſtimonia ſanctitatis eorum edita, pro fidei orthodoxæ veritate atteſtanda patrata, quam Chriſtus tot ſuis miraculis fundavit; uti patet ex S. Evangelio.

7. Nota ſeptimò: *Sextò* vulgaris ille character manifeſtat quoque omnes Hæreticos, quòd nimirum quilibet eorum ſit injurius in Sacramenta, & Eccleſias Catholicorum; nam nemo eſt, qui non impugnet numerum ſeptenarium Sacramentorum Catholicorum, Sacrificia, aliáque myſteria Catholicæ fidei; ut videre eſt in Lutheranis, Calviniſtis, Zwinglianis, Anabaptiſtis, &c. Plures eorum demoliuntur Catholicas Eccleſias, aut S. Icones ex eis exterminant; uti Iconomachi, Calviniſtæ, &c. Sed aliô ſunt inſigniti pietatis charactere Catholici, qui ſeptem Eccleſiæ DEI Sacramenta à Chriſto Domino ritè inſtituta intrepidè, & uno ore ſemper confeſſi ſunt, & confitentur; ſacrificia vera Euchariſtica novæ Legis retinent, Eccleſias novas tot ſumptibus conſtruunt, exornant, & Sanctorum Imagines in eis debitè venerantur, citra omnem idololatriam; cujus præclara præbuêre exempla primi Chriſtiani Imperatores, & Reges, Conſtantinus Magnus, & Carolus Mag. Henricus, & infiniti alii.

8. Nota octavò: *Septimò* omnes Hæretici pariter pro ſigno diſtinctivo habent, perſequi,

Digitized by Google

ſequi, infeſtare, & calumniari Epiſcopos, Clerum Catholicum, Manochos, ac Religioſas alias perſonas: unde plenæ ſunt omnes hiſtoriæ de ejuſmodi capitali inimicitia Hæreticorum adversùs dictas perſonas; item de patratis cædibus, ſuppliciis variis, factis incarcerationibus, verberationibus, & exiliis, ab Arianis, & Iconoclaſtis Imperatoribus exercitis in eoſdem. Et Waldenſes, Wiclephiſtæ, Circumcelliones, ac Donatiſtæ, quantis non convitiis, & plagis malè tractarunt Monachos ſuorum temporum? uti de poſterioribus teſtatur S. Auguſt. *in Pſal. 132.* Et Ziſka Taboritarum fundator quot non magnifica, & elegantiſſima templa in Regno Bohemiæ, cum ſuis Religioſis incolis evertit? quorum rudera in hodiernum uſque diem cernuntur. Sed aliam notam reverentiæ planè contrariam præſeferunt Catholici; qui juxta mandatum Apoſtoli ad *Hebr. 13.* obediunt Præpoſitis ſuis (ſcilicet Epiſcopis, & Clericis aliis) & ſubjacent eis, quos ſciunt à Spiritu S. poſitos eſſe, regere Eccleſiam DEI. Unde Epiſcopos, & Clerum Catholicum debitè venerantur, non attendentes aliquorum perſonalem imperfectionem, quæ obeſſe non debet venerationi ipſius Ordinis Clericalis; ſicut malitia Judæ non obfuit ſanctitati, & venerationi totius Collegii Apoſtolici: Religiones etiam, & Ordines habent in obſervantia, & reverentia; unde pro Monachis, & aliis Religionibus paſſim vaſtiſſima conſtruxerunt Cœnobia. Et Imperatores, ac Reges eiſdem inſignes immunitates contulerunt, ut eò quietiùs Divinis, & litteris vacare valerent. Eorum etiam operâ uſi fuerunt, & de facto utuntur in graviſſimis negotiis, ac pro Eccleſiæ Orthodoxæ conſervatione.

ARTIC. XXVII.

De ultimato vero Judice controverſiarum Fidei.

1. Nota primò: Cùm quòvis ſæculô graviſſimæ Controverſiæ Fidem concernentes exortæ ſint; debet in Eccleſia eſſe aliquis ſupremus Judex, qui ſit infallibilis in decidendo dictas controverſias; & à quo nequeat appellari? quod abundè colligitur tum ex ipſius Eccleſiæ poteſtate: tum ex ejuſdem ſtabilitate, & unitate: tum ex Divina promiſſione Joan. 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Et Matth. *ult. Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Quæ promiſſiones veræ non eſſent; niſi conſtitueretur in Eccleſia aliquis certus Judex, cujus eſt diſcernere inter res Fidei, & errores oppoſitos. Cæterum quinam conſtituendus ſit iſte Judex Controverſiarum, maxima oritur lis inter nos, & Hæreticos.

2. Libertini eligunt ſibi pro Judice tali Spiritum internum privatum, inſpirantem unicuique veritatem. Hæretici noſtri ſæculi aſſumunt ſacram Scripturam, ſecundùm privatum cujuslibet Spiritum intellectam; eamq́ ſinè Traditione. Catholici duo diſtingvunt, Judicem, & Normam, ſecundùm quam judicare debet; & Normam quidem aſſerunt eſſe ſacram Scripturam cum Traditionibus, non tamen ſecundùm privatum cujuslibet Spiritum intellectam; ſed ſecundùm alium ſpiritum, ſecundùm quem condita eſt, qui eſt Spiritus Sanctus, Eccleſiæ Catholicæ ſemper aſſiſtens. Judicem verò ajunt eſſe Eccleſiam: quæ quidem dupliciter ſententiam pronunciare ſolet; vel per Pontificem ex cathedra docentem, tanquam ſupremum & infallibilem Paſtorem Eccleſiæ; vel per Concilium à Pontifice approbatum, quod repræſentat Eccleſiam; & utrôque modô dicunt, ſententiam latam eſſe infallibilem.

3. Dico primò: Neque Spiritus privatus cujuſque; neque etiam Scriptura ſacra, ſecundùm uniuſcujuſque ſpiritum intellecta, aut ſinè Traditionibus; ſed ſummus Pontifex, vel Eccleſia, ſeu Concilium à ſum. Pontifice approbatum debet ſtatui Judex ultimatus infallibilis Controverſiarum Fidei. Ita Catholici omnes; contra Hæreticorum colluviem univerſam.

4. Probatur prima, & ſecunda pars ex officio Judicis: quia qui eſt Judex inter duos litigantes, debet ita pronunciare ſententiam, ut uterque litigantium clarè intelligat, quænam ſit ſententia Judicis, & pro qua parte ſit lata; alioquin nunquam erit ullus finis litigandi; ſed neque ſpiritus privatus; neque ſola Scriptura ſecundùm ſpiritum privatum intellecta, hoc præſtare poteſt: ergo &c. Prob. Min. & quidem de ſpiritu privato res eſt facilis, & evidens; non enim magis litigant inter ſe partes ipſæ, quàm eorum ſpiritus privati; dum unus ſic, alius aliter ſibi inſpiratam à DEO veritatem afferit; quis ergo horum conſtituetur Judex? De Scriptura idem probatur: quia Lutherani, & Calvini-

ſtæ multis jam annis litigant de his punctis, videlicet; de Baptiſmo parvulorum; de reali præſentia Chriſti in Eucharistia; de Prædeſtinatione; de Exorciſmo, &c. Et tamen Scriptura, quam ipſi Judicem ſtatuunt, nunquam hactenus potuit hanc litem dirimere: ergo &c.

5. Probatur ſecundò: quia vel ſequimur Scripturam ſecundùm corticem tantùm, & ut ſonat littera extrinſeca; vel ſecundùm verum, & à Spiritu Sancto intentum ſenſum; ſi primum, certum eſt, ſcripturam ſic intellectam ſæpiſſimè ducere in errorem, & hæreſim; tum quia ſecundùm hoc multi intelligunt illud Apoſtoli, *Littera occidit*: ex quibus S. Auguſtinus *Serm. 70. de Temp.* tum quia Judæi intelligentes Scripturam Prophetarum, quæ de Chriſto loquebatur, ad litteram, putabant ejus regnum eſſe temporale; ipſum non mortuum eſſe, &c. Et Ariani malè intelligentes illud; *Pater major me eſt*; putabant Chriſtum ideo eſſe inferiorem DEO, etiam ſecundùm Divinitatem. Et Pelagiani ad corticem litteræ intelligentes illud Ezechielis 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris*, peccatum originale negabant: & ſimilia. Si autem velimus Scripturam ſecundùm verum, & ejus genuinum ſenſum ſequi; neque hôc modô poſſemus eâ uti ut Judice; ſiquidem quoad verum, & legitimum ejus ſenſum ſæpe eſt obſcura, & difficilis; ſecundùm quod dicit S. Petrus *Epiſt. 2. cap. ult.* loquens de Epiſtolis D. Pauli, *ſicut in omnibus Epiſtolis loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant; ſicut & cæteras Scripturas*: ergo dum controvertimur de Scripturæ ſenſu, ut ſciamus hunc eſſe legitimum ſenſum potiùs, quàm illum, debemus conſtituere aliquem Judicem diſtinctum ab ipſa Scriptura, circa cujus ſenſum legitimum controvertimur.

6. Probatur tertiò: Multæ ſunt Controverſiæ circa Fidem, & Religionem, quarum vel nulla ſit mentio in Scriptura; vel certè non ſufficiens ad hoc, ut Scriptura de illis ſententiam ferat: ſic litigamus cum Hæreticis; num libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum ſint Canonici? negant illi; nos affirmamus: illi pro ſe nullam Scripturam poſſunt adducere; ſed ad Canonem, & traditionem Judæorum recurrentes, ideo dicunt prædictos libros non eſſe Canonicos; quia non reperiuntur in Canone Judæorum. Et ſanè mirabile eſt, quòd cùm Hæretici velint Chriſtiani eſſe, Chriſti & Apoſtolorum traditiones reſpuant, & Judæorum reſpiciant: Cur potiùs cum S. Auguſtino non dicunt, *Machabæorum libros, non Judæorum anteſignani, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Litigamus item de numero Sacramentorum: Catholici ponunt ſeptem; Hæretici aliqui duo tantùm; aliqui tria; ſed neque ſeptenarius numerus; neque binarius; aut ternarius ex Scriptura clarè oſtendi poteſt: nec Sacramenti Euchariſtiæ nomen in Scriptura habetur: ergo ad alium Judicem pro hac Controverſia terminanda erit recurrendum, quàm ad ſacram Scripturam. Unde

7. Probatur *quod ſolus Pontifex, & Eccleſia ſeu Concilium ſit legitimus Judex*; *primò* quia ſi neque Spiritus privatus, neque Scriptura poteſt eſſe talis Judex; remanet quòd Pontifex, & Eccleſia ſit talis. *Secundò*; quia in Veteri Teſtamento omnes lites, & Controverſiæ Fidei, vel morum, dirimi, vel definiri ſolebant a Summo Sacerdote, & Eccleſia: Unde Exodi 18. Moyſes tanquam Princeps, & Caput illius Eccleſiæ ad omnia dubia circa Legem Domini exorta, præſertim principaliora, reſpondebat; nec homines remittebat ad ſpiritum privatum revelantem; neque ad ipſam Legem, de cujus intellectu dubitatur: & hoc eſt, quod dicitur Deuteron. 17. *Si difficile, & ambiguum apud te Judicium eſſe perſpexeris, &c. aſcende, veniéſque, ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore; quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem*: Ergo in Lege gratiæ non debet Summus Pontifex, & Eccleſia eſſe minoris authoritatis in judicando; quàm fuit ille Veteris Teſtamenti. *Tertiò*: hoc idem patet ex praxi Eccleſiæ hactenus obſervata: nam cum Hieroſolymis orta eſſet Controverſia de cæremoniis Legis; an eſſent ſervandæ à Gentibus converſis: ſtatim celebratum eſt Concilium, in quo Præſidente S. Petro controverſia eſt terminata. Item quæſtio de celebratione Paſchæ poſt multa celebrata Concilia, tandem à Victore Romano Pontifice terminata eſt. Sic hæreſis Ariana per Concilium Epheſinum: & Pelagiana à Romanis Pontificibus damnata eſt; & ſic diſcurrendo per ſingula: ergo &c. *Quartò* idem conſtat ex SS. Patribus: unde S. Cyrillus *in Theſ.* dicit; *Debemus Capiti noſtro Romano Pontifici adhærere; ad omnes pertinet ab eo, quod credendum eſt, aut tenendum ſit, accipere.* S. Auguſtinus *lib. contra Epiſt. Fundam. c. 1. Ego*, inquit, *Evangelio non crederem; niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret Authoritas.* Idem docet Irenæus *lib. 3. c. 3.* S. Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 3.* Et infiniti alii Patres, citati à Bellarm. & aliis Controverſiſtis; ex quibus clarè infertur, Romanum Pontificem, & Eccleſiam, cui

præeſt

præeſt Romanus Pontifex, ſeu Concilium Eccleſiæ, eſſe legitimum, ultimatum, & verum Controverſiarum Fidei Judicem.

8. Objiciunt *primò* Hæretici: Iſaiæ 8. dicitur, *Ad Legem magìs; quàm ad teſtimonium eſſe recurrendum*: Ergo non ad Papam. Reſpondeo Negando Conſequentiam: quia ibi ſolùm agitur contra illos, qui de futuris eventibus ſolebant conſulere Phytoniſſas, & Ariolos: qui & remittuntur partim ad Legem Deut. 18. partim ad Teſtimonium Prophetarum, qui à DEO conſtituti erant, ut futura diſcernerent.

9. Objiciunt *ſecundò*: Joannis 5. dicitur; *Scrutamini Scripturas*: Ergo ad Scripturam tanquam Judicem recurrere debemus. Unde & Beræneńſes Actor. 17. *Scrutabantur Scripturas, an ita ſe haberent, quæ Paulus prædicabat*: Reſpondeo *ad Primum*; Chriſtum ibi loqui ad Phariſæos, qui admittentes Scripturas Veteris Teſtamenti, quæ ſatìs apertè de Chriſto loquebantur, adhuc tamen negabant Chriſtum eſſe Meſſiam; idque ex malo intellectu Scripturæ, quam ſecundum corticem litteræ interpretabantur; & ideò dixit eis, ut ſcrutentur Scripturas; id eſt, penetrarent intimiùs ſenſum Spiritûs S. loquentis de Meſſia per Prophetas; & tunc ſcirent Chriſtum eſſe Meſſiam. *Ad ſecundum* dico; Beræneńſes meritò examinâſſe dicta Pauli: quia licèt eſſet Apoſtolus, & falſa non doceret; tamen hoc non conſtabat Berænenſibus in principio.

10. Objiciunt *tertiò*: Si in difficultatibus Sacræ Scripturæ recurrendum ſit ad Papam: ergo Verbum DEI accipit robur à Papa: & conſequenter Papa eſt ſuperior Sacrâ Scripturâ. Reſpondeo *primò*; retorquendo Argumentum: quilibet Hæreticus præſumit interpretari Sacram Scripturam: Ergo ipſi etiam ſunt ſuperiores Sacrâ Scripturâ. Reſpondeo *ſecundò*: Negandò conſequentiam: quia ſicut Judex infra Principem habet authoritatem explicandi leges, cum poteſtate obligandi alios, ut ſtent ſuæ ſententiæ; & tamen ipſe infra leges eſt; ita dicendum de Papa.

11. Replicant: Si ab ore Papæ pendet ſententia in rebus Fidei dubiis: Ergo ab ore hominis: & conſequenter eſt debiliſſima Fides noſtra. Reſpondeo, Verbum ſeu ſententiam Eccleſiæ, vel Papæ ex Cathedra docentis, non eſſe omnino verbum hominis, id eſt, errori obnoxium: ſed aliquô modô verbum, & ſententiam DEI, ex aſſiſtentia Spiritûs ſancti prolatum; juxta illud *Act. 15. Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis:*

12. Objiciunt *quartò*: Cyprianus fuit ſanctiſſimus vir: ſed hic reſtitit ſententiæ Papæ Stephani, definientis Hæreticos non eſſe rebaptizandos: quòd non feciſſet, ſi Papa eſſet Judex Controverſiarum Fidei: Ergo &c. Reſpondeo: quòd licèt aliqui veteres Cyprianum excuſent à peccato, eò quòd ignorans id fecerit: tamen videtur non debere excuſari; quia ſinè modo Pontificem rectè definientem appellavit, ſuperbum, imperitum, cæcæ & pravæ mentis. Unde S. Auguſtinus *lib. 1. contra Donatiſtas cap. 18.* dicit; Cyprianum venialiter ſaltèm peccâſſe, & ſalvâ charitate: & ideo falce Martyrii facile hoc purgavit. Imò idem S. Auguſtinus dicit in *Epiſt. 48. ad Vincentium*: vel Cyprianum hæc nunquam docuiſſe; & ſcriptum, in quo hoc reperitur, non eſſe Cypriani: vel certè eum pœnituiſſe de iſta injuſta reſiſtentia in Papam; licèt retractatio hæc, & pœnitentia non inveniatur.

ARTIC. XXVIII.

In quibus Conciliis damnati ſint celebriores Hæretici.

1. NOta primò: Orthodoxa Eccleſia tanquam vigilantiſſima Mater ſuper ſobolem ſuam Chriſtianam ſemper ſolita fuit in caſibus exurgentium novorum Hæreticorum, & ſectarum acatholicarum congregare Conſilia OEcumenica, & generalia tanquam Judicium ultimatum controverſiarum, ac in iis priùs exactiſſimè ventilatis novis ſectarum dogmatibus, uno ore deinde eadem condemnare, & anathematizare. Unde

2. Nota ſecundò: Poſt Apoſtolorum tempora ſummus Eccleſiæ Pontifex Sylveſter congregavit primum Concilium generale I. Nicænum, collectum ex 318. Præſulibus ad ſupprimendam hæreſim Arianam, quæ aſſerebat Filium minorem Patre, &c. Et Damaſus coadunavit Concilium Conſtantinopolitanum I. ex 150. Epiſcopis, ad extinguendam hæreſim Macedonii, quæ Spiritui S. Divinitatem denegabat, &c. Cæleſtinus I. convocavit Concilium Epheſinum ad Neſtorianiſmum ſopiendum, qui adſtruebat dualitatem perſonarum in Chriſto, & conſequenter negabat Mariam fuiſſe DEIparam: huic adfuêre 200. Epiſcopi.

3. Nota tertiò: Leo quoque Pontifex congregavit Concilium Chalcedonenſe ex 630. Epiſcopis, contra Eutychen, aſſerentem

unicam in Chriſto naturam. Et Vigilius Papa indixit Concilium Conſtantinopolitanum II. in quo convenêre 165. Epiſcopi, pro eliminandis erroribus Originis, ac aliis. Et Agatho Papa collegit Concilium Conſtantinopolitanum III. ex 289. Epiſcopis, pro condemnandis dogmatibus falſis Monothelitarum, de unica Chriſti voluntate. Et Adrianus I. coadunavit Concilium Nicænum II. ex 350. Epiſcopis, pro rejiciendis & anathematizandis Iconomachis, cultum, & uſum S. Imaginum reprobantibus. Et Adrianus II. congregavit Concilium Conſtantinopolitanum IV. ex 383. Epiſcopis pro ſtabiliendo pariter cultu S. Imaginum contra reſiduos adhuc Iconoclaſtas; ac propter alia negotia Eccleſiæ.

4. Nota quartò: Similiter Alexander III. indixit Concilium generale Lateranenſe III. pro condemnandis Waldenſibus, & Albigenſibus hæreticis, in quo 300. Præſules comparuêre. Et Innocentius III. convocavit Concilium Lateranenſe IV. ex 400. Epiſcopis, in quo damnatæ ſunt rurſus Albigenſium reliquiæ, & errores Almarici, & Abbatis Joachim. Et Gregorius X. congregavit Concilium Lugdunenſe II. ex 500. Epiſcopis, pro examinandis erroribus Græcorum, & facienda eorundem unione. Et Clemens V. collegit Concilium Viennenſe ex 300. Epiſcopis, qui uno ore condemnarunt hæreſes Beguardorum, & Beguinarum, Fraticellorum, & Templariorum.

5. Nota quintò: Præterea etiam Eugenius IV. concluſit Concilium Florentinum, in quo rurſus Græcorum falſa dogmata fuerunt examinata, rejecta, & Græca Eccleſia Latinæ unita, ſubſcribentibus 141. Epiſcopis. Et Concilium Conſtantienſe anathematizavit errores Wiclephiſtarum, & Huſſitarum. Et tandem Paulus III. convocavit ultimum generale, & OEcumenicum Concilium Tridentinum, in quo 255. Patres anathematizarunt errores ſectæ Lutheranæ, Calvinianæ, aliorúmque Novatorum in Germania, Gallia, finitimiſque Regionibus latè graſſantes.

ARTIC. XXIX.

Quomodo cum ſingulis Hæreticis procedendum?

1. Nota primò: Pro vario temperamento, educatione, inſtructione, & nativis qualitatibus varii quoque evadunt Hæretici, ita ut quidam ſint zeloſi; quidam frigidi; quidam perplexi ſeu dubii; quidam pertinaces; ſecundùm quorum proinde variam qualitatem variè eſt agendum, & confligendum cum eis. Unde

2. Nota ſecundò: Si Hæreticus ſit zeloſus, qui ſectam ſuam mordicitùs tuetur ideò, quia ignorat eam eſſe erroribus ſubſtratam; & putat eam penitùs eſſe conformem veritati, ac ſancto Evangelio; de quorum numero erat Paulus ante ſuam converſionem, ut proinde de ſeipſo dicit ad Gal. *cap. 1. Proficiebam in Judaiſmo ſupra multos coëtaneos meos, abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum*: cum ejusmodi zeloſo Errone agendum eſt oratione crebra, ut miſericordiam, & gratiam Fidei à DEO conſequatur; quam etiam ſæpe obtinent ſimiles indiſcreti Zelotes; cùm non ex malitia; ſed ex ignorantia morentur in incredulitate: exemplo eſt idem Paulus, qui propterea 1. ad Tim. 13. ait, *Miſericordiam DEI conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Hoc modo S. Monica precibus convertit Auguſtinum filium Manichæum. Et S. Stephanus Levita Paulum; unde de hoc ſcriptum eſt; *Si Stephanus non oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.*

3. Nota tertiò: Si Hæreticus ſit frigidus, utpote qui errorem ſuum tuetur non ex pertinacia, neque ex ignorantia; ſed ob alias cauſas, quas hic & nunc prætendit; v. g. quia non vult offendere Parentes, vel Principem terræ hæreticos: vel quia timet exauctorari ab officio publico, quod tenet: vel quia natus, & educatus fuit in tali ſecta: vel quia jurejurando ſe ſe obſtrinxit, quòd velit in tali Religione perſeverare, quem & ſimiles idcircò meritò alloquitur Scriptura 2. Reg. *18. uſquequò claudicatis in duas partes?* Talem frigidum Erronem oportet induſtriosè inſtruere in dogmatibus ſinceris Fidei Orthodoxæ; gravitérque ac ſeriò adhortari de neceſſitate ejusdem Fidei ad ſalutem; & eandem debere præponderare cunctis enumeratis motivis, ac cauſis, hic & nunc detinentibus frigidum talem in incredulitate, & periculo damnationis æternæ. Exageretur ipſis de frigidis talibus illa parabola S. Evangelii planè ipſis quadrans Luc. 14. *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos, & miſit ſervum ſuum horâ cœnæ dicere invitatis, ut venirent, quia jam parata ſunt omnia. Et cœperunt omnes ſimul excuſare: primus dixit, villam emi, & neceſſe habeo exire, & videre illam; rogo te, habe me excuſatum. Et alter dixit, juga boum emi quinque, & eo probare illa, rogo te, habe me excuſatum. Et alius dixit, uxorem duxi, & ideo non poſſum venire.* Sed audiant

audiant tales eventum ſuarum excuſationum, *nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

4. Nota quartò : Si Hæreticus ſit dubius perplexus, & fluctuans, & ſimplici corde quærens veritatem, exemplò Nicodemi petentis inſtrui à Chriſto circa generationem, quæ fit per baptiſmum : Et Eunuchi deſiderantis intelligere Iſaiam Prophetam, quem legebat præſente Philippo; talis diſtinctè, & energeticè inſtruendus eſt in articulis Fidei Catholicæ, & omnes ſcrupuli ejus circa ſuam ſectam evellendi, Simúlque pro eo orandus DEUS, ut lumen plenum fidei eidem infundat, ſinè quo non obtinetur Fides perfecta: *nam neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat DEUS* 1. ad Corinth. 3.

5. Nota quintò : Si denique Hæreticus ſit pertinax, id eſt, talis, qui agnoſcit quidem ſuos errores; ſed tamen ob elationem mentis, & propter confuſionem, quam ſibi arbitratur imminere ex eorum abjectione, quaſi videatur convictus à veritate, permanet obſtinatè in ſuis falſis dogmatibus. De quibus procedit illud Matth. 13. *Incraſſatum eſt cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & convertantur, & ſanem eos.* Cum tali pertinaci Errone primò non eſt facilè diſputatio inſtituenda de fide, ac Religione; quia finis converſionis ejus non obtinetur; cùm etiam manifeſtè convictus non ſit receſſurus à ſuis erroneis dogmatibus. Quod ſi tamen propropter converſionem aliorum, aut Catholicorum in Fide corroborationem cum tali diſputativè congrediendum eſſet; tunc obſerventur ſequentia. *Primò* talis pertinax coërceatur ſemper intra limites certæ materiæ; nec ſinatur ſaltare de una ad aliam. *Secundò* conſtringatur ad formam Dialecticam, ut vis argumenti Catholici magis appareat: nec permittatur multa blaterare, & concionari ſinè forma ſcholaſtica. *Tertiò* talis pertinax palam confundatur, & objurgetur; ſicut Saducæi, & Phariſæi à Chriſto fuerunt confuſi, & objurgati Matth. 22. ibi, *erratis neſcientes Scripturas.* Nam tunc ſequaces talis Hæretici non ampliùs in tanto pretio habent eundem; ac proinde ſenſim accedunt ad Catholicam veritatem. Abſtinendum tamen eſt à conviciis, & maledictis.

ARTICULUS XXX.

De convenientia, & disconvenientia veterum, ac novarum Hæreſum; & de diviſione interna principalium ſectarum.

1. NOta primò : habent in more Hæretici, alienis ſe veſtire plumis inſtar Corniculæ, dum poſſunt; unde poſteriores ſolent reſuſcitare propoſitiones erroneas ſibi commodas priorum; ac mutuare à diverſis ſectariis priſcis diverſa dogmata jam condemnata; atque ſic ex eis, & ſuis novis cudere novam ſuam ſectam : Unde ut antiquorum Hæreſiarcharum in hoc artificium, & communicationem taceam; Novatores ſuperioris, & hujus ſæculi, Lutherani, Calviniſtæ, &c. ab Aetio, & Eunomio vetuſtis Hæreſiarchis doctrinam ſuam erroneam de ſola fide juſtificante, & ſalvante, mutuati ſunt. A Manichæo doctrinam de Matrimonio non Sacramento. A Novatianis doctrinam de Sacramento pœnitentiæ non neceſſariò ad ſalutem adultis peccatoribus. A Vigilantio dogma de reliquiis parvipendendis. A Joviniano, & Helvidio errorem de cœlibatu, & virginitate DEO promiſſa, ejuſdem perfectionis cum ſtatu matrimoniali. A Berengario dictum de reali abſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, A Leone Iſaurico, & Copronymo Iconomachis doctrinam de abjiciendis ſacris Imaginibus. Ab Huſſitis errorem de neceſſitate communionis ſub utraque ſpecie, à Laicis ſumendæ. Et ſic à cæteris antiquis Erroribus alias complures doctrinas falſas mutuati ſunt, atque reſuſcitârunt : nam & Calvinum Arianizâſſe; & Bucerum, ac Munſterum Judaizâſſe in quibusdam, non obſcura fama eſt. Ex quibus apparet convenientia novarum, & veterum hæreſum in nonnullis articulis. E contra

2. Nota ſecundò : ne autem poſteriores Errores in tota ſectarum antiquarum formalitate, & fabrica videantur ſimiles, atque identici; ſed novum quid ſuo hæretico ſpiritu inveniſſe, quô Eccleſiam veram DEI laceſſant: idcirco quoſdam veterum Hæreſiarcharum errores deteſtantur : vel planè novos articulos inauditos adjiciunt; ut videre eſt, in collatis ad invicem *ſuperioribus articulis,* ſingulas hæreſes recitantibus. Et clariſſimè patet ex dogmatibus peregrinis Novatorum noſtrorum; qui aſſerunt juſtitiam homini imputari; non inhærere. Item peccatum originale eſſe ſubſtantiam; non accidens, aut

priva-

privationem. Item duo tantùm eſſe Sacramenta Eccleſiæ. Item Sacramentum Baptiſmi non conferre gratiam; ſed eſſe duntaxat indicium, aut ſignum gratiæ collatæ. Item Chriſtum in Cœna præſentem nulla veneratione eſſe colendum, vel adorandum; quæ, & plura alia veteres Hæreſiarchæ non docuerunt. Miſſæ etiam ſacrificium, quod tantopere averſantur ſectarii moderni, veteribus omnino fuit ſacro-ſanctum: ejus namque exploſio juxta Danielis Prophetiam *12.cap.* proximis Anti-Chriſti temporibus debebatur. Ex quibus apparet diſconvenientia hæreſum veterum, & novarum. Circa diviſionem

3. Nota tertiò: Hæreſis proprietas eſt diviſio interna, diſſolutio, ac diſcordia membrorum inſtitutæ ſectæ, ex qua tandem ſubſequitur ruina; quod manifeſtè patet in principalibus ſectis hactenus in Eccleſia ſuſcitatis. Nam hæreſis Simonis Magi Hieroſolymis orta mox in diſſonantes ſectas diviſa fuit Menandrianorum, Baſilidianorum, & Saturnianorum, ut refert Irenæus *lib. 1. c. 21.* Poſtea Valentiniani, etſi ab initio plurimi eſſent, vix tamen ex tantis, duo remanſerunt ut *ibidem* Irenæus *cap. 5.* Donatiſtas ab initio potentes fuiſſe; ſed mox in fruſta diviſos, teſtatur Auguſtinus *lib. 1. de Baptis. cap. 6.* ſimiliter & Marcionitas in repugnantes ſectas diviſos, Lucianiſtarum, Appellianorum, Severianorum, docet Epiphanius *lib. 1. contra hæreſes tom. 3.* Montaniſtas ſimiliter in Pepuzianos, Artotyritas, Phrigaſtas tradit Epiphanius *lib. 2. tom. 2. de Montaniſtis.* Manichæos poſtea in plures adhuc ſectas diſſipatos teſtatur Auguſt. *de hæret. cap. 46.* Similiter & Meſſalinos in Martyrianos, Sathanianos, Enthuſiaſtas, ſcribit Epiphan. *hæreſ. 80.* Arianos pariter diviſos in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos, docet Ruffinus *lib. 10. hiſtor. cap. 25.* imò & ſingulis annis fidem mutâſſe tradit Hilarius *utroque libro ad Conſtantium.* Sed ubi modo ſunt iſti gigantes? *Mundus totus mirabatur ſe Arianum eſſe*, inquit Hieronymus. At ubi modò Ariani? *cucurrerunt in rivis, quantum potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt rivi, vix eorum memoria reperitur vel quia fuerint:* ait Auguſt. *in Pſalm. 57.* Ita Lutherus vix annis ſeptem regnavit, cùm Zwinglius, & Anabaptiſtæ Lutheranos penè omnes in partes ſuas traxiſſent; de quo conqueritur Illyricus *in præfat. Centur.* vix ampliùs veros Lutheranos inveniri: nec mirum cùm à Luthero centum ſectæ diverſæ, uſque modò numerentur. Sed nec Zwinglius diu regnavit; cùm anno 1538. ſuperveniſſet Calvinus, qui Zwinglianos omnes, præter oppida quædam Helvetiorum, in partes ſuas trahere conabatur. Nec impunè Calvinus; cùm & is in partes, & ſectas ſcinderetur, ſcilicet in Libertinos per Franciam, Puritanos per Angliam, Samoſatenos per Tranſilvaniã; de qua diviſione lamentabiliter Calvinus ipſe conqueritur in præfat. Catechiſmi Genuenſis; *Niſi enim,* inquit, *mirabiliter DEUS è cœlo ſuccurrerit, verè mihi videor extremam barbariem impendere orbi, atque utinam non paulò poſt ſentiant filii noſtri fuiſſe hoc verum.*

Appendix ad Prologum.

De Bajiſtis; & Janſeniſtis.

1. NOta primò: Circa finem præteriti ſæculi quidam Michaël Bajus Belga, Cancellarius Univerſitatis Lovanienſis *Bajiſtis* præivit; multas ſententias, & propoſitiones ſpargendo, & tenendo; quarum 79. Pius V. Et Gregorius XIII. Et Urbanus VIII. in Bulla *In eminenti Eccleſiæ* damnârunt: & quidem complures earum tanquam hæreticas, atque erroneas; reliquas verò tanquam ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſiones imittentes: harum exactam ſeriem refert noſter Claudius Fraſſen *in ſuo Scoto Academico, tom. 3. tract. 2. in præludiis. §. 7.* Quas tamen omnes deinde poſt auditam damnationem ipſemet Bajus Catholico, & pio zelo, ac in ſignum obedientiæ, quâ Eccleſiam proſequebatur, ſolemni ſcriptò revocavit Lovanii Anno 1580. die 24. Maij, quod recitat per extenſum idem Fraſſen *loc. cit.*

2. Nota ſecundò: Sed quaſdam propoſitiones damnatas memorati Baji hoc ſæculò reſuſcitavit Cornelius Janſenius (à quo Janſeniſtæ originem habent: Epiſcopus Iprenſis in Opere ſuo, quod intitulat *Auguſtinus.* Quarum prima eſt; *Aliqua præcepta DEI hominibus juſtis volentibus, & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoque illis gratia, quâ poſſibilia fiant.* Secunda: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Tertia: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Quarta: *Semi-pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Quinta: *Semi-pelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe.* Porrò prælatas propoſitiones tanquam hæreticas damnavit Innocentius X. in Bulla *cum occaſione.*

LIBER

LIBER I.

Continens Controverſias de DEO; de SS. TRINITATE in ſe; De Patre; de Filio DEI, & Chriſto; & de Spiritu S.

CAPUT I.
DE DEO.

ARTICULUS I.

De Exiſtentia veri DEI.

1. NOta primò: per DEUM intelligit Plato, *aliquod vivens immortale, per ſe-ipsū ad beatitudinem ſufficiens, eſſentiam ſempiternam.* Thales, *Ens quod principio, & fine caret.* Ariſtoteles, *mundi Opificem, ſummum Rectorem, qui immotus omnia movet.* Chriſtiani verò *cauſam primam rerum, ens omnimodè infinitum, ac neceſſe eſſe, & ſummum Bonum*: Seu *Numen, quô* (ut ait S. Auguſtinus *lib. 1. de doctrina Chriſtiana*) *majus, aut melius cogitari non poteſt.*

2. Dico primò: DEUS verus omninò exiſtit, & datur. Ita Fides Catholica; contra Atheos, Politicos, & Machiavelliſtas. Hoc dogma Fidei probari debet Demonſtrationibus Metaphyſicis, Phyſicis, & Moralibus; cùm contra Atheos, Politicos, & Machiavelliſtas non curantes ullam Scripturam, textibus S. litterarum procedi nequeat. Unde ſit

3. *Prima demonſtratio Metaphyſica*, quam affert Scotus *1. diſt. 2. q. 2.* data per ordinem ad primum Efficiens: Dantur entia effectibilia, & producibilia; ſic enim videmus indies effici, ac produci novas plantas, animalia, aliáque compoſita phyſica: Ergo datur horum aliquod principium effectivum, & productivum; & conſequenter Cauſa Prima, quam ego DEUM dico. Ant. patet. Prob. Conſeq. omne quod efficitur, ac producitur, vel efficitur à ſe, vel ab alio; non à ſe; quia hoc contradictionem involvit; nam eſſet, antequam eſſet; eſſet, quia efficeret, & produceret; non eſſet, quia efficeretur, & produceretur: Ergo remanet, quòd illud, quòd efficitur, ac producitur, ſit ab alio. Subſumo; ſed non poteſt effici ab alio, & alio in infinitum: Ergo tandem ſiſtendum erit in aliquo primo Efficiente, & producente; & hoc appello DEUM.

4. Reſpondent uno ore Athei Negando ſubſumptum; & dicunt procedendum eſſe in infinitum in cauſis, ita ut effectus v. g. Plato hodie genitus efficiatur à cauſa efficiente Plauto; & iſte effectus Plautus, à cauſa efficiente Hermogene; & ſic deinceps. Contra primò cum Scoto; ſi proceſſus ille in infinitum daretur, vel eſſet proceſſus in cauſis eſſentialiter ſubordinatis (quæ ſecundùm Scotum ſunt illæ, quæ ita ſunt dependentes à ſe

invicem, ut una ſinè altera operari nequeat, ſic creatura eſt Creatori ſubordinata) vel in cauſis accidentaliter ſubordinatis (quæ ex eodem Doctore *cit.* non dicunt ejuſmodi dependentiam, & ſimultaneitatem operationis, ſed tantùm in fieri una dependet ab altera; ſic ignis B. jam productus, ſubordinatur igni A. eum producenti.) Sed neuter proceſſus in infinitum in efficientibus cauſis admitti poteſt: Ergo &c. Prob. Min. non primus; quia agente unà cauſâ efficiente omnes ſimul eſſentialiter ſubordinatæ, quæ ſunt infinitæ, coagere deberent; ſicque requireretur tempus infinitum ad hoc, ut fieret modica actio ſeu effectio; quod probo; nam antequam efflueret ejuſmodi actio, cauſa Efficiens ſubordinata, deberet determinare primam ſubordinantem, & hæc ſecundam, & ſecunda tertiam, & ſic in infinitum; atque ita Plato v. g. non poſſet levare feſtucam, niſi intervallô infiniti temporis; quod eſt abſurdum: Ergo non poteſt admitti proceſſus in infinitum in cauſis eſſentialiter ſubordinatis. Nec talis admittendus eſt in cauſis accidentaliter tantùm ſubordinatis: nam aſcendendo in cauſis accidentaliter ſubordinatis, & per accidens efficientibus ſuos effectus, tandem devenietur ad aliquod Primum Efficiens, quod erit DEUS: aliàs quæro, an omnia entia per accidens ſubordinata ſint à ſe; vel ab aliis facta? non à ſe omnia; aliàs ùt ſuprà dixi; eſſent antequam eſſent: nec omnia ab alio; aliàs & tota collectio entium erit ab alio effecta (talis enim eſt collectio, qualia ſunt ea, ex quibus coaleſcit) ſed falſum eſt totam collectionem entium eſſe ab alio; quod probo ſic: quia illud aliud vel eſſet intra ipſam collectionem, vel extra; non poteſt autem eſſe intra; quia quod eſt principium efficiens illam collectionem, eſt etiam principium omnium, quæ in collectione continentur, & ſic etiam eſſet cauſa ſui ipſius, quod implicat. Nec etiam poteſt eſſe extra collectionem illam; qui enim dicit totam collectionem entium, ſupponit nullum aliud Ens extra illam dari: Ergo tandem in cauſis etiam accidentaliter ſubordinatis non eſt admittendus proceſſus in infinitum; ſed ſtandum erit in aliqua cauſa improducta, aliarum omnium productrice prima; & hæc erit DEUS: atque adeo ex ordine cauſæ efficientis, & producentis, rectè ſumitur demonſtratio Exiſtentiæ DEI.

5. *Secunda demonſtratio Metaphyſica* Scoti *cit.* eſt per ordinem ad Finem ultimum: tota collectio entium cauſatorum, ſive actu exiſtentium, ſive poſſibilium, debet habere aliquem finem ultimum extra illam collectionem, & diſtinctum ab omnibus aliis finibus intra collectionem præfixis; ſicut debet habere aliquod efficiens primum, à quo ſit primitùs; ſed ille finis erit DEUS, ad quem omnia ordinantur, & tendunt cauſalitate finali: Ergo &c. Confirmatur: ſi non eſſet unus ultimus finis omnium rerum, deberent eſſe infiniti, ſaltèm ſyncategorematicè, & ſucceſſivè; cùm res totius univerſi ſint infinitæ ſyncategorematicè; ſed hoc dici nequit: Ergo &c. Prob: Min: ſi eſſent infiniti fines, nullum eorum eſſet finis; quia omnes haberent rationem medii; cùm ad alium ulteriorem ordinentur; neq; poſſet debitè appeti; cùm debitè non cognoſcatur, & appetitus elicitus non feratur in incognitum: Ergo &c.

6. *Tertia Demonſtratio Metaphyſica* Scoti *cit.* eſt deducta ab eminentia, & ſumma perfectione alicujus entis: Primum ens eminentiſſimum in perfectione eſt DEUS: ſed datur primum ens eminentiſſimum: Ergo hoc eſt DEUS. Prob: Min: datur primum efficiens, ùt probatum eſt ſuprà, quod eſt æquivocum reſpectu creaturarum effectarum: Ergo datur primum ens eminentiſſimum continens harum perfectiones. Confirm: ex eodem: dari debet aliquis actus, ſeu ens purum & actuale, quô majus excogitari non poſſit in perfectione: ſed tale eſt DEUS: Ergo DEUS exiſtit. Prob. Maj. quia exiſtentia talis actûs puri ſpectat ad neceſſitatem univerſi, nè omnia ejus entia laborent potentiâ; & aliunde non implicat ejus exiſtentia; ſicut non implicat primum efficiens, & ultimus rerum omnium finis: Ergo &c.

7. *Quarta Demonſtratio* accipitur per ordinem ad ens neceſſarium: debet poni in rerum natura aliquod ens neceſſarium, quod eſſentialiter, & independenter exiſtat; aliàs omnia entia Univerſi eſſent contingentia, id eſt talia quæ potuiſſent non exiſtere; ſed hoc dici nequit: Ergo &c. Prob: Min: ſi entia omnia potuiſſent non exiſtere, deberet dari aliqua ratio, quare aliquod ens potius heri fuerit, quàm non fuerit; ſed nulla omnino poteſt dari, niſi admittatur ens neceſſarium determinans ad exiſtendum: Ergo omnia entia potuiſſent non exiſtere. Sequuntur nunc Demonſtrationes Phyſicæ.

8. *Prima Demonſtratio Phyſica*, deſumpta ex admiranda compoſitione Hominis, quæ Conditorem aliquem ſupremæ, & primæ perfectionis indigitat, & tacitè proclamat: hanc porrò ſic coordinat Minucius Felix inquiens; *ipſa præcipuè formæ noſtræ pulchritudo DEUM fatetur artificem: ſtatus rigidus, vultus*

erectus

erectus, oculi in ſummo velut in ſpecula conſtituti, & omnes cæteri ſenſus velut in arce compoſiti. Quam Symetriam conſiderans Regius Pſaltes exclamat pſalm. *138. mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.*

9. *Secunda Demonſtratio Phyſica* depromitur ex compoſitione artificioſa Corporis Cœleſtis in 11. ſphæras, ſeu cœlos, Empyreum videlicet, primum Mobile, Chryſtallinum, Firmamentum, cœlos Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, & Lunæ diſtributi, & ſecundùm receptam doctrinam Aſtronomorum compacti; quæ Machina etſi ex orbibus excentricis, & concentricis ſit conflata; tamen per regulatiſſimos motus gyratur; tot elegantibus Aſtris, ac Conſtellationum lucidiſſimarum variis paralaxibus diſtincta noſtros obtutus rapit in admirationem; tot arcanis influentiis in hæc inferiora prædita eſt, ut momentis penè ſingulis ſublunares creaturæ mirè alterentur. Quod opus cœleſte ſtupendum ſummæ ſanè perfectionis Divinum Architectum DEUM intuentibus loquitur; unde rectè Pſalmiſta Pſalm: *18. Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum;* quem paſſum gloſſans D. Chryſoſtomus *hom. 9. ad Pop.* ait: *Quomodo enarrant gloriam DEI? dic mihi; Vocem non habent, os non poſſident, illis non eſt lingua; quomodo igitur narrant? per ipſum aſpectum; cùm enim vides pulchritudinem, magnitudinem, celſitudinem, ſitum, formam per tantum corpus permeare, tanquam vocem audiens, & ad aſpectum diſcens, adores eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creavit.*

10. *Tertia Demonſtratio Phyſica* petitur ex nobiliſſima Architectura Mundi ſublunaris, quæ excellentiſſimum, planèque Diuinum debuit ſortita fuiſſe Opificem: quæ enim creaturarum Globum hunc Terraqueum in præſens potuiſſet tam ſtabiliter delineare, & compingere ſyſtema, atque formam, cujus adeo vaſta eſt ſuperficies, ut ſecundùm probatiores Geometras contineat 160. gradus, qui faciunt 5400. milliaria Germanica: Diameter verò 1718. milliaria? quod plaſma finitum valuiſſet quatuor Elementorum ſtupendas antipathias ita mirè contemperare, & diſtribuere, vaſtiſſimum Oceanum ſuis metis, ac terminis circumſepire; univerſam molem terræ tot cacuminibus attollere, & fiſtulis ſubterraneis, aquarum receptivis, & tranſmiſſivis fiſtulare, ac diſtinguere? tam millenâ ſemente primitus fœcundare univerſam faciem terræ, piſcibus replere aquam, aërem volucribus, ſuperficiem terræ tot animalium ſpeciebus? ſanè hæc omnia uno ore clamant illud: *ipſe fecit nos, & non ipſa nos.* Certè ab iſta *magnitudine ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator eorum videri*: ut inquit Sapiens *cap. 13.* & D. Paulus *ad Rom. 1. Inviſibilia DEI à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas.* Et propterea à Triſmegiſto creaturæ hujus mundi appoſitè vocitantur *Divinitatis radii*: à Platone *DEitatis ſpeculum.* Audi etiam Athee argumenta aliqua moralia, DEI exiſtentiam tibi clarè ſuadentia.

11. *Argumentum primum Morale.* Stupenda miracula naturæ vires excedentia, à quibuſdam ſervis DEI verè patrata; varia itidem prodigia in Mundo iſto cauſata, teſtimoniô infallibili S. Scripturæ, & Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum debitè comprobata; uti fuêre ſuſcitatio momentanea variorum mortuorum; cæcorum à nativitate illuminatio, cataclyſmus, ſeu diluvium per univerſum Globum terraqueum, traductio Iſraëlis per mare rubrum ſtupentibus undis, prædictio arcana futurorum, quæ certò evenerunt, &c. eminentiorem aliquam cauſam, quàm ſit homo, vel Angelus monſtrant; atqui illa erit DEUS: ergo &c.

12. Replicant primò aliqui Athei: hæc omnia provenire potuiſſe ab aliquo Angelo. Contrà primò: hæ fuêre operationes Angelicam excedentes activitatem. Contrà ſecundò; ergo vos Athei admittitis aliquos Spiritus, ſeu Angelos propter ejusmodi prodigioſos effectus: & cur non pariter admittitis aliquem ſupremum Spiritum, & Creatorem Angelorum, propter prodigioſum totius Univerſi effectum, cum tanto artificio cæleſtis, terreſtris, & humani compoſiti ſymmetriâ productum.

13. Replicant ſecundò alii ejuſdem farinæ: allata miracula, & prodigia eſſe mera commenta. Contrà; illa prodigia, & miracula recenſentur in Bibliis, & aliis Hiſtoriis, quæ non minorem merentur fidem quàm hiſtoria Titi Livii, aut aliæ humanæ hodie de veris factis: v. g. Leopoldi I. Imper. nobis cognitis conſcriptæ, quibus tamen Athei adhibent fidem. Biblia enim, & Eccleſiaſtica narratio continet circumſtantias debitas temporum, locorum, perſonarum, aliáſque ad fidem hiſtoricam gignendam neceſſarias, non minùs quàm hiſtoria Leopoldi I. Deinde Athei hac licentioſa rejectione Bibliorum, & Eccle-

ſiaſticæ hiſtoriæ, conſequenter omnem antiquitatis memoriam abolebunt; omnem publicis ſcripturis, & contractibus, de debitè emptis dominiis, aut licitè poſſeſſis vigore Tabularum, negabunt veritatem; & exinde ad perpetua jurgia, lites, & bella fomitem præſtabunt, humanam Societatem tollent, & omnes Reſpublicas, & Regna in confuſibile chaos præcipitabunt: væ Regnis, cujus Miniſtri ſunt Politici, & Atheiſmô intoxicati!

14. *Argumentum Secundum Morale*; Atheiſmus aperit latam viam omnibus flagitiis, & criminibus etiam enormibus, naturæ corruptæ placidis; v. g. fornicationis, adulterii &c. quia negat DEUM horum vindicem: extinguit nervum plurium ſalutarium Legum pro Chriſtianitate ordinatarum à DEO, Summis Pontificibus, Principibus, & aliis Superioribus; quia tollit omnem honeſtatem earum, & exercitium vitæ moralis; nam hujus nullus præmiator DEUS admittitur: ſed hæc omnia ſunt abſurdiſſima: ergo &c.

15. *Argumentum tertium Morale.* Quæro cur pleroſque Atheiſtas repentinus fulminum fragor, tonitruorum rumor, Peſtilentiæ horror, aut alterius mortis impendentis, aut caſus inſperati metus tam Pannico percellat timore? certè propriæ conſcientiæ dictamen DEUM malorum ab eis patratorum vindicem vicinum eis repræſentat, & arcano pulſu ad ejus cognitionem vocat.

16. *Argumentum quartum Morale.* Illud ſanè temerè nimis, & ſtolidè negatur, in cujus exiſtentiam conſpirat ſuô aſſenſu affirmativô Orbis univerſus, omniúmque gentium Sapientes: ſed in aliquod ſupremum Numen ita Orbis, & cunctæ gentes conſpirant: unde Lactant: *lib. 3 cap. 10.* ait: *ipſiſq; in hominibus nulla Gens eſt, neq; tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ alicujus Religionis ſenſum non habeat.* & Cicero *in Tuſcul.* ait: *nulla eſt Gens tam fera, nemo hominum tam immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio*; præterquam vos ô impii Atheiſtæ! qui teſte Pſalmiſta: *corrupti eſtis, & abominabiles facti in ſtudiis* Atheiſmi veſtri, & Politiciſmi: apage hoc horrendum monſtrum è populo DEI, exiſtentiam DEI ter Sanctè confitente.

ARTICULUS II.

De natura DEI veri; ejúſque veracitate; & bonitate.

1. Dico primò: DEUS verus non eſt naturæ corporeæ. Ita Catholici; contra Vadianos, ſeu Antromorphitas, DEO membra attribuentes inſtar hominis.

2. Probatur *primò*: DEUS in S. Scriptura pronunciatur eſſe *infinitus, magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non eſt finis*: res autem naturæ corporeæ, & membra inſtar hominis habentis eſt finita: Ergo DEUS non eſt naturæ corporeæ. *Secundò*: Joan. 4. dicitur quòd *ſpiritus eſt DEUS*: *ſpiritus autem carnem & oſſa non habet*, Luc: *ult*: Ergo DEUS non eſt naturæ corporeæ. *Tertiò*: DEUS eſt ens perfectiſſimum; nam *eſt Numen, quô majus, aut melius cogitari nil poteſt*, ſecundùm D. Auguſtinum *lib. 1. de Doctr. Chriſtiana*: Ens autem habens naturam corpoream eſt imperfectum; cùm ſit diviſibile, limitatum ad locum, & corruptibile: Ergo &c.

3. Obiiciunt Hæretici citati *primò*: S. Litteræ ſæpe DEO attribuunt membra, puta caput, oculos, linguam, aures, manus &c. *Secundò*: Adam dicitur ad imaginem DEI factus: Adam autem habuit naturam corpoream: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum*, illos textus S. Litterarum, quæ DEO membra corporea attribuunt, non in ſenſu Litterali (hìc enim littera occidit 2. ad Cor. 3. *cap.*) ſed in ſenſu myſtico ſunt intelligendi, ſeu ſecundùm myſterium latens accipiendi. Quare dum dicitur DEUS habere caput, ſenſus eſt, DEUM eſſe caput reſpectu corporis myſtici, quod eſt Eccleſia; eò quòd exerceat in illam influxum gratiarum, ſicut caput exercet influxum ſpirituum vitalium, & animalium in corpus hominis. Item dum dicitur DEUS habere oculos, ſenſus eſt, debere ſuâ infinitâ intelligentiâ ſpecialiter videre omnia, ita ut nihil illum lateat. *Ad ſecundum* dico, imaginem, & ſimilitudinem DEI cum Adamo non conſiſtere in natura corporea; ſed in intellectu, & voluntate, in quibus potentiis nobilibus Adam præ aliis creaturis corporeis DEO aſſimilatur.

4. Dico ſecundò: DEUS habet pro attributo Diuino ſummam veracitatem; unde non eſt defectibilis ad ullum mendacium. Ita Catholici; contra Armenos.

5. Probatur *primò*; S. Scripturæ paſſim prædicant DEUM veracem; unde dicitur Num. 2. *Non eſt DEUS, quaſi homo, ut mentiatur.* & Hierem. 10. *Dominus autem DEUS verus eſt. Secundò*, ſi DEUS eſſet defectibilis ad mendacium perderet omnem authoritatem apud homines; nam ſi ſemel mendacii convincitur, reſtat, ut homines ei nunquam inpoſterum credant: & conſequenter tunc periret omnis lex, omnis convictus, & fides: Ergo &c.

6. Ob-

6. Objiciunt Hæretici Armeni: DEUS dixit Cain, quòd à nullo homine occidetur; & tamen Cain occidit ſeipſum: Ergo DEUS dixit mendacium. Reſpondeo in S. Scriptura non haberi, quòd Cain occiderit ſeipſum; imò nullam prorſus mentionem facit de morte ipſius: ſed tantùm dicit Gen. 4. quòd *omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*; quibus verbis poſuit duntaxat prohibitionem de Cain non occidendo; non tamen negavit ejus occiſionem futuram.

7. Dicò tertiò: DEUS verus quoque habet pro attributo Divino ſummam Bonitatem; unde non eſt author malorum moralium. Ita Catholici; contra Floriniſtas, Gnoſticos, Seleucianos, Marcioniſtas, Cerdonianos, Priſcilliſtas, Manichæos, & noviſſimè contra Calvinum, Melanth. & Zwinglium, &c.

8. Probatur primò: S. Scriptura paſſim DEUM vocat Sanctum; ut Iſai. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth*: ſed non eſſet Sanctus, ſi author eſſet malorum moralium, ſeu peccatorum. Et Oſeæ 13. dicitur, *perditio tua ex te Iſraël, tantummodò in me auxilium tuum*: quibus verbis perditio refunditur in mala perſonalia hominum; in DEUM autem auxilia gratiæ: adeoque ipſe non eſt malorum moralium author. Et Pſalm. 5. dicitur, *non DEUS volens iniquitatem tu es.* Et Habacuc. 1. *mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris*: Ergo &c. *Secundò*; SS. PP. priſci paſſim aſſerunt DEUM non eſſe authorem peccatorum; unde S. Auguſtinus tres libros conſcripſit *de lib. arbit.* hac de cauſa, ut oſtenderet DEUM non eſſe authorem peccati. Et S. Chryſoſtomus *hom. 23. in acta Apoſt.* dicit: *Nullus dicat DEUS nobis auctor malorum eſt.* Et Tertullianus *lib. adversùs Hermog.* ait: *Nec enim fieri poteſt, ut ſit initiator, aut artifex mali operis, qui nomen ſibi perfectè vendicat & parentis, & judicis. Tertiò*: DEUS punit juſtè in hominibus peccata: Ergo eorum author non eſt. Præterea DEUS nec phyſicè, nec moraliter influit in peccata hominum; cùm S. Scriptura dicat penes ipſos homines eſſe libertatem eligendi bonum, vel malum. Joſ. 24. *Optio vobis datur, eligite quod placet*: Ergo &c. Tandem mala moralia ſummè dedecent Divinam potentiam; cùm ejus legibus adverſentur: Ergo ab ea non fiunt, ſed à perverſa hominum voluntate.

9. Objiciunt Hæretici *primò*: varia peccata DEO imputantur in S. Scriptura; ut maledictio Semei 2. Reg. 16. *Dominus præcepit ei, ut malediceret David.* Et incredulitas ob excæcationem, ac indurationem quorundam peccatorum, à DEO factam. Joan. 12. *Propterea non poterant credere; quia iterum dixit Iſaias, excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorũ.* Et proditoria venditio Joſeph Gen. 45. *non veſtrô conſiliô, ſed DEI voluntate huc miſſus ſum.* Idem videtur dicendum de malis crucifigentium Chriſtum; & de peccatis Pharaonis, idololatria decem tribuum, &c. quæ ex excæcatione, & induratione DEI, tanquam cauſa, provenerunt: Ergo &c.

10. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad primum exemplum S. Scripturæ dico; ly *præcepit* juxta phraſim, & modum S. Scripturæ idem ſonat quod *permiſit*; eô modô, quô uſurpatur Mar. 10. *ad duritiam cordis veſtri, ſcripſit vobis præceptum iſtud* (id eſt permiſſionem libelli repudii) juxta illud Matth. 19. *quoniam Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras.* *Ad ſecundum* dico, quòd illa intredulitas principaliter adſcribenda ſit variis peccatis graviſſimis præcedentibus non expiatis illorum incredulorum, ob quæ meritò DEUS excæcavit, id eſt ſubtraxit auxilia gratiæ ſuæ, ſinè eo quod ſe participem, & authorem peccatorum ſubſequentium conſtitueret. *Ad Tertium* dico pariter DEUM ad illam proditoriam venditionem Joſeph tantùm permiſſivè ſe habuiſſe; unde de voluntate DEI non ordinante; ſed permittente duntaxat textus objectus intelligitur. *Ad Quartum* eſt eadem reſponſio, quæ *ad ſecundum* paulò antè.

ARTICULUS III.

De Unitate DEI.

1. DIco primò: Unicus tantùm extat verus DEUS. Ita Catholici; contra omnes Polytheiſtas; & ſignanter contra Manichæos, Marcioniſtas, Gnoſticos, Cerdonianos, &c. ponentes duos Deos, unum bonum, alterum malum; ac contra Gentiles ponentes innumeros Deos, quorum triginta millia Heſiodus teſte Euſebio *lib. 5. Præparat. Evangel. cap. 15.* aſſeruit.

2. *Primum argumentum*, quod tantùm contra Hæreticos Chriſtianos valet, eſt: S. Litteræ DEI veri unitatem adſtruunt: nam Deut. 6. dicitur, *audi Iſraël, Dominus DEUS noſter DEUS unus eſt.* Et Deuter. 32 *videte quòd ego ſum ſolus, & non ſit alius DEUS præter me.* Et Iſaiæ 45. *extra me non eſt DEUS*: Ergo &c.

3. *Secundum argumentum*: Deitas eſt de ſe intrinſecè, & eſſentialiter ſingularis, incommunicabilis; & conſequenter immultiplicabilis; Ergo nequit in plures Deos diſtribui.

Conſeq. patet; quia ſi natura equina eſſet de ſe hæc, ſeu ſingularis, ac incommunicabilis, ſecundùm Philoſophum, non poſſet in plures diſtribui, ſed unus tantùm eſſet equus: Ergo à pari idem dicendum eſt de natura Divina, ſeu Deitate. Prob. itaque Ant. DEUS eſt eſſentialiter exiſtens, ſeu per eſſentiam: Ergo & eſſentialiter, ac de ſe ſingularis. Prob. Conſeq. exiſtentia eſt tantùm rei ſingularis. Ergo &c. Confirmatur: ſi Deitas poſſet multiplicari, & diſtribui in plures Deos, actu eſſet multiplicata, & diſtributa in infinitos Deos; quia ex ſe non determinatur ad certum numerum; & aliunde eſt Ens ſummè neceſſarium, & actu eſſe; ſed defactò actu non eſt multiplicata, & diſtributa in infinitos Deos; horum enim nullum eſt experimentum, aut veſtigium: Ergo &c.

4. *Tertium argumentum;* ſi darentur plures Dii, darentur plures Omnipotentes; DEUS enim eſt formaliter Omnipotens, & independens ab aliis principiis in operando; ſed nequeunt dari plures Omnipotentes; nam ſi unus eorum aliquid operari vellet, vel alter ipſius operationem poſſet impedire, vel non poſſet; ſi non poſſet, is non eſſet Omnipotens; ſi poſſet, ſequeretur alterum non eſſe Omnipotentem, contra hypotheſim: Ergo non dantur plures Dii.

5. *Quintum argumentum:* Si darentur plures Dii, nullus eorum polleret intellectu infinitæ virtutis, ſeu intellectivitatis; atque adeo non eſſet DEUS, qui debet eſſe infinitè perfectus in intelligendo: Ergo &c. Prob. Ant. Statuamus exempli causâ DEUM A. & DEUM B. in hoc caſu DEUS A, nequit DEUM B. perfectiſſimo modo cognoſcere; nec DEUS B. DEUM A. niſi per eſſentiam propriam, vel per eſſentiam ipſiusmet DEI B. non per eſſentiam propriam; quia eſſentia unius DEI non poteſt contineri virtualiter, vel eminenter in eſſentia alterius DEI: neque per eſſentiam alterius DEI, quia tunc actus cognoſcendi DEI cognoſcentis eſſet naturaliter poſterior ipsô Deô cognitô, ſicut omnis effectus eſt poſterior ſuâ causâ: nam omnis actus cognitionis realiter ab objecto cognito diſtinctus eſt poſterior objectô; quod eſt contra perfectionem actûs Divini; & DEUS hoc modô cognoſcens non eſſet DEUS: inſuper DEUS cognoſcens dependeret in comparanda ſua cognitione à DEO cognito, tanquam ab extrinſeco; quod pariter eſt contra perfectiſſimum modum cognoſcendi veri DEI: Ergo ſi darentur plures Dii, nullus eorum polleret intellectu infinitæ virtutis.

6. *Quintum argumentum:* Secundùm bonam Philoſophiam non debent poni plura principia, ſeu cauſæ adæquatæ reſpectu unius effectûs; nec plures fines totales, & adæquati: Et ſecundùm bonam Politicam non ſunt præfigendi plures ſupremi Rectores in perfectiſſimo regimine, quale eſt Monarchicum; quod argumentum eleganter proſequitur D. Cyprianus *lib. de Vanitate Idolorum;* Ergo nec plures Dii, quorum quilibet eſſet Principium primum adæquatum, finis totalis, ac ultimus; atque Monarcha perpetuus hujus Univerſi.

7. Objiciunt Manichæi: ubi ſunt effectus oppoſiti, ſunt etiam cauſæ, & principia oppoſita: ſed in rerum natura dantur effectus plures oppoſiti; ſic dantur multa mala, & multa bona; corpus & anima; vetus, & nova lex, quarum prima erat plena terroribus, & rigore; ſecunda tota miſericors, & gratioſa: Ergo horum effectuum debent dari duo prima Principia, ſeu duo Dii. Reſpondeo diſt. Maj. ſi effectus oppoſiti comparentur ad cauſas, & principia finita, ac limitata, concedo Maj. ſi comparentur ad principia infinita, & omnipotentia, Nego Maj. Itaque cùm Unicus DEus ſit infinitæ, & illimitatæ activitatis, poteſt quoſvis effectus etiam oppoſitos producere, qui ipſum non dedecent.

ARTICULUS IV.

Quis ſit verus DEUS?

1. Dico primò: Nec ſol, luna, ſtella, ſtatuæ ligneæ, lapideæ, æneæ, aureæ, arbores, Mars, Jupiter, Venus &c. nec ulla alia creatura, eſt verus DEUS. Ita Chriſtiani; contra Idololatras.

2. Probatur *primò:* Sol, luna, ſtellæ, ſtatuæ quæcunque, & arbores, non habent vitam intellectivam; nec incurruptibilitatem, ſeu perpetuitatem intrinſecam; quæ ſunt duæ perfectiones neceſſariò convenientes DEO, tanquam Enti perfectiſſimo: Ergo non ſunt verus DEUS. *Secundò:* ſol, luna, ſtellæ, & cætera in concluſione enumerata, ſunt entia creata, & in fieri, ac facto eſſe, dependentia ab aliquo excellentiori Ente effectivo independente: Ergo non illa, ſed hoc ſtatui debet pro vero DEO. *Tertiò:* Mars, Jupiter, Venus, & alii Dii gentium degentes in hac vita erant mortales, & defectibiles; ac variis vitiis moralibus irretiti: Statuæ etiam aureæ, & argenteæ erant opera manuum hominum; quæ omnia indicant imperfectiones DEO vero immortali, indefectibili, incorruptibili, & à manu hominis non plaſmabili repugnantes. *Quar-*

tò

tò: verus DEUS debet eſſe purus ſpiritus, Omniſcius, Omnipotens, Liber, Providus, totius creaturæ Conditor; hæc enim attributa decent perfectiſſimam DEI naturam, & Divinitatem: ſed neque ſol, luna, ſtellæ, ſtatuæ &c. neque Mars, Jupiter, Venus, & ſimiles veteres Dii habent memorata attributa, & prædicata puri Spiritûs, Omniſcientiæ &c. Ergo &c. *Quintò* Dii gentium nulla vera poſſunt patrare miracula; cùm careant Omnipotentiá, Omniſcientia, intellectu, & voluntate: neque valent univerſam hanc mundi machinam gubernare ſufficienter, providè, & ordinatè; cùm habeant naturam limitatam, intellectûs expertem: Ergo &c.

3. Objiciunt Idololatræ: Dii veteres gentium, quorum ingens erat numerus, erant veri Dii; quia habebant characteres, teſtificantes aliquam Divinitatem iis ineſſe; nam patrabant miracula, annuntiabant futura, medebantur repentinis morbis: Ergo &c. Reſp. Neg. Ant. Ad ejus rationem dico cum Tertulliano, vel per potentiam locomotivam celerrimam, vel per ingenii ſagacitatem perfectam, vel illuſionem potentiarum noſtrarum, opera illa mira, & prodigia ope Dæmonum fuiſſe facta; *quia* (ut loquitur citatus Author) *Omnis Spiritus Ales eſt, hoc eſt Angeli, & Dæmones; igitur momentò ubique ſunt, totus Orbis illis locus eſt; quid ubique geratur*, tam facilè ſciunt, ac enunciant; velocitas Divinitas creditur; *quia ſubſtantia ignoratur: lædunt primò, de hinc medea præcipiunt ad miraculum nova.*

ARTICULUS V.

De Identitate attributorum Dei; ejúsque ſimplicitate; æternitate; ubiquitate; & inviſibilitate.

1. DIco primò: Attributa Divina, & Eſſentia Divina ſunt inter ſe eadem realiter; unde nullatenus reali diſcrimine differunt inter ſe. Ita Catholici; contra Gilbertum Porretanum, & Guaterum quemdam.

2. Probatur *primò*: quia ita definitur in Concilio Lateranenſi *cap. Firmiter de ſum. Trin.* ubi dicitur; *confitemur præterea in DEO eſſe Trinitatem ſolummodò, non verò quaternitatem: quia quælibet illarum perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia &c.* Si autem Attributa, & Eſſentia diſtinguerentur realiter inter ſe, eſſet quaternitas; imò major pluralitas: Ergo &c. *Secundò*, idem tenent SS. PP. ſpecialiter S. Bernardus, qui *ſerm. 8. in Cant.* ſcribit, *ſcribatur ſtylo ferreo in ungue adamantino, vel ſculpatur in ſilice, quòd Divina Eſſentia, forma, natura, DEitas, bonitas, ſapientia, virtus, potentia, magnitudo verè DEUS eſt*, ſubaudi per identitatem realem. *Tertiò*, Eſſentia Divina eſt radicaliter infinita, & ſecundùm S. Damaſcenum *lib. 1. de fid. Ort. cap. 12. infinitum eſſendi Pelagus*: Ergo importat, & identificat ſibi realiter omnia attributa Divina.

3. Dico ſecundò: DEUS eſt Ens ſimpliciſſimum; & nullatenus compoſitum ex materia aliqua, & forma. Ita Catholici; contra Antropomorphitas.

4. Probatur *primò*: S. Scriptura appellat DEUM Spiritum, Iſai: *4. Spiritus eſt DEUS*: Spiritus autem non eſt ens compoſitum ex materia, & forma: Ergo &c. *Secundò* ſimplicitatem ſummam DEI excludentem omnem compoſitionem materialem definit in DEO Concilium Lateranenſe in *cap. Firmiter, de Sum. Trin.* & eandem docent SS. PP. ſignanter Juſtinus, Damaſcenus. Et Bernardus, qui *lib. 5. de conſid. cap. 7.* ait: *non eſt compoſitus DEUS, merum ſimplex eſt*: Ergo &c. *Tertiò* ratio eandem ſuadet; DEUS eſt ubique & immenſus: quod autem eſt ens materialiter compoſitum, nequit eſſe ubique & immenſum; ſed certis concluditur locis: Ergo &c. Præterea materialitas entis pugnat cum ejus immortalitate: DEUS autem eſt immortalis 1. ad Tim. 1. Ergo &c. Demum omnis compoſiio materialis involuit imperfectionem aliquam ſcilicet potentialitatem, & perfectibilitatem in materia ad informari, & perfici: ſed à DEO vero abeſſe debet omnis imperfectio: Ergo &c. Objectiones ſolutæ ſunt ſupra *art. 2.* poſt *concluſ. 1.*

5. Dico tertiò: DEUS etiam eſt ens æternum; unde in tempore non incæpit eſſe. Ita Catholici; contra plures Gentiles; qui fingunt Deos in tempore natos à Jove Deorum omnium patre.

6. Probatur *primò*: DEUS eſt ſecundùm Philoſophiam veram Prima cauſa omnium rerum, & ens à ſe, exiſtens per eſſentiam perfectiſſimo, & actualiſſimo modo, ac cum ſumma neceſſitate: hæc enim prædicata omnino decent Divinam ejus naturam, ut contrà diſtinctam à natura creaturarum: aliàs non eſſet DEUS: Ergo DEUS habet totum eſſe ſimul ab æterno, & pro æterno; & conſequenter rectè dicitur ens æternum. *Secundò* æternitatem etiam generaliter Philoſophi melioris notæ agnoverunt in DEO; ut Neumericus Pytagoreus, qui proinde apud Euſeb. *lib. 11. de præpar. Evang.* dixit, *DEUS ens æternum eſt*,

ac

ac ſtabile, ſemper in eodem ſtatu perſeverans. Pro hac aſſertione ſunt etiam apertiſſimæ authoritates S. Scripturæ; ut illa Eccles. *18. qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* & Concilii Lateranenenſis in *cap. Firmiter.* & SS. PP. Anſelmi, Gregorii Niſſeni, Tertulliani, Damiani &c. ſed hæ nil concludunt contra Gentilem. Argumenta oppoſita Gentilium ſunt futilia, & fabuloſa.

7. Dico quartò: DEUS quoque eſt ubique, & immenſus ſecundùm ſubſtantiam: unde non concluditur neceſſariò ullo loco particulari cœli, vel alterius rei. Ita Catholici; contra Judæos; qui teſte D. Hieronymo *in comment. ſuper 66. cap. Iſaiæ* voluerunt DEUM præcisè concludi in templo Hieroſolymitano; vel in cœlo. Et contra Vorſtium, ac alios Calviniſtas in hoc judaizantes.

8. Probatur *primò*: S. Scriptura vetus clamat DEUM eſſe ubique; unde dicitur Jerem. 23. *cœlum & terram ego impleo dicit Dominus.* Et Iſa. 66. *cœlum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum. Secundò,* idem aſſerunt SS.PP. ùt Auguſtinus *Epiſt. 57. an Dardad.* ubi ait, *eſt ergo DEUS per cuncta diffuſus; ipſe quippe ait per Prophetam, cœlum & terram ego impleo. Tertiò* ubiquitas, & immenſitas DEI eſt perfectio decens DEI naturam, eique quà tali neceſſariò conveniens: Ergo &c. Præterea DEUS eſt infinitus omnimodè; juxta illud Scripturæ; *magnus Dominus & magnitudinis ejus non eſt finis:* Ergo nullis circumſcribitur limitibus, & conſequenter eſt ubique.

9. Objiciunt Judæi *primò*: Scriptura vetus Iſa: 66. dicit, DEUM pro ſede habere cœlum: Ergo &c. *Secundò* ſi DEUS eſſet ubique etiam præſentialiter eſſet in dæmonibus, ac fœtidiſſimis locis: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Tertiò* opponunt Calviniſtæ, pſalm. 113. dicitur, *cœlum cœli Domino; terram autem dedit filiis hominum.* Reſpondeo *ad Primum* cum S. Damaſceno, DEUM habere cœlum pro ſede, quia ibi ſpecialiter eſt, ſcilicet cum gloria, & majeſtate, cum quo tamen ſtat, quod in aliis quoque quibusvis locis ſit ſecundùm eſſentiam, præſentiam, & potentiam. *Ad ſecundum* Neg: Min: nam quamvis DEUS ſit in dæmonibus per ſuam præſentiam; nullo tamen gratiæ, aut beatitudinis donô eos afficit; ſed ſolùm ſui indiſtantiam ab eis exercet: unde *ſicut anima rationalis* (verba ſunt D. Auguſtini *lib. de agone Chriſtiano cap. 18.*) *non inquinatur in corpore etiam leproſo; quia ſubſtantia ſpiritualis eſt; multò minùs DEUS, cùm longiùs ſit ab omni materia ſejunctus, nullas ex præſentia ſua in rebus corporeis fæces contrahere poteſt.* Et quamvis ſit in fœtidiſſimis locis, non coinquinatur; cùm ſpiritus ſit *Ad Tertium* eſt reſponſio ſicut *ad primum.*

10. Dico quintò: DEUS pariter eſt realiter inviſibilis oculo corporeo. Ita Catholici; contra Arium; Eunom: Aetium, ac Novatores.

11. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ: nam paſſim in S. Litteris præconizatur DEI inviſibilitas, utique oculô corporeô: ſic dicitur Exod. *33. faciem meam videre non poteris.* & 1. ad Tim. 1. *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili &c.* & Ioan. 1. *DEUM nemo unquam vidit.* & 1. ad Timoth. *6. lucem habitat inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit; ſed nec videre poteſt*: Ergo &c. *Secundò* SS. PP. quoque DEI inviſibilitatem docent; ſic Ambroſius *lib. 1. in Luc.* ſcribit, *nec in loco DEUS videtur; ſed mundo corde: nec corporalibus oculis DEUS quæritur, nec circumſcribitur viſu.* Idem habet Irenæus *lib. 4. contra hæreſes.* & Auguſt: *Epiſt. 6. &c. Tertiò* DEUS eſt ens purè ſpirituale; utì teſtatur Scriptura paſſim: Ergo eſt inviſibilis oculô corporeô; cùm potentia materialis, qualis eſt oculus corporeus, nequeat tendere in objectum ſpirituale.

12. Obiiciunt Hæretici: Iſa. 6. dicit Propheta Iſaias; *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium.* & Gen. 32. dicit Jacob, *vidi Dominum facie ad faciem*: Ergo &c. Reſpondeo gloſſando Scripturas allatas; & dico illas loqui de viſione facta per oculum intellectualem, eò quòd Iſaias, & Jacob pleniùs, ac familiariùs cognoverint DEUM, quàm alii homines. Vel dici poteſt, quòd habuerint de DEO particulares illuſtrationes, vel viſiones extaticas; Vel demum, quòd Angelum in corpore aſſumpto à DEO ſpecialiter miſſum, & DEI vices gerentem viderint.

ARTICULUS VI.

De Scientia viſionis DEI; ejúſque providentia; & Omnipotentia.

1. DIco primò: DEUS cognoſcit per infallibilem ſuam ſcientiam viſionis omnia futura contingentia libera abſoluta. Ita Catholici; contra Wiclephiſtas, Marcioniſtas, Lutheranos, alióſque Novatores.

2. Probatur *primò*: S. Litteræ DEO attribunt præfatam ſcientiam viſionis; unde dicitur Eccleſ. 23. *Domino enim DEO, antequam crearentur, omnia ſunt agnita.* & cap. 39. *opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum*

ditam ab oculis ejus; à ſeculo usque in ſeculum reſpicit &c. Daniel 13. *DEUS æterne, qui abſconditorum es cognitor, qui noſti omnia antequam fiant &c.* Ergo &c. *Secundò* SS. PP. quoque ponunt in DEO eandem ſcientiam viſionis; unde Auguſtinus *lib. ad Aurel. contra Priſcil. & Origen. cap. 8.* ait: *noverat ergo DEUS omnia, quæ fecit antequam faceret; non enim poſſumus dicere, ipſum ignorata feciſſe, & ea non niſi facta didiciſſe.* & *lib. 2. de Civit. cap. 6.* dicit: *confiteri eſſe DEUM, & negare præſcium futurorum, apertiſſima inſania eſt.* Idem docet Tertullianus *in apolog. cap. 20.* & Fulgentius *de Fide ad Petrum. Tertiò* DEUS pollet intellectu infinito: Ergo ejus notitia viſionis attingit omnia futura contingentia libera abſoluta. Præterea DEUS inſpiravit S. Prophetis plura, quæ deinde prædixerunt, & quæ etiam contigerunt; uti conſtat ex S. Scriptura; unde dicit Tertullianus *lib. 2. contra Marcion. cap. 5. Præſcientia DEI tantos habet teſtes, quantos fecit Prophetas:* Ergo DEUS de talibus priùs habuit ſcientiam viſionis infallibilem.

3. Objiciunt Hæretici *primò*: S. Scriptura de quibuſdam eventibus futuris loquitur dubitativè: ut Jerem. 26. *noli ſubtrahere Verbum, ſi fortè audiat*: & Matth. 21. *cap. verebuntur fortè filium meum*: Ergo DEUS non habet ſcientiam infallibilem de omnibus contingentibus, quæ excludit omnem dubitationem.

4. Reſpondo gloſſando S. Scripturam, & dico, quòd ly *fortè* non ſit vox dubitativa ſcientiæ DEI; ſed expreſſiva liberi noſtri arbitrij: audi D. Hieronymi gloſſam in præfata verba, *Verbum ambiguum* Fortè *Majeſtati Domini non poteſt convenire; ſed noſtrô loquitur affectu* (ſcilicet S. Scriptura) *ut liberum hominis ſervetur arbitrium*, Vel dici poteſt cum S. Augu. *tract. 37. in Joan. DEUS, qui omnia ſcit, cùm dicit* Forſitan, *non dubitat; ſed increpat.* Vel tandem per ly *forſitan* S. Scriptura vult eventum futurorum hominibus eſſe incertum; uti vult idem S. Pater ſcribens *in Pſal. 2.* Poſſet etiam dici, quòd ly *fortè*, accipiatur pro *certè*; vel *utique*: unde Matth. 21. pro *fortè* ponit Græcus textus *utique*.

5. Objicit *ſecundò* ſpecialiter Marcion apud Tertul. *lib. 2. cap. 5. Si DEUS bonus eſt præſcius futuri, & avertendi mali potens; cur hominem, & quidem imaginem, & ſimilitudinem ſuam, imò & ſubſtantiam ſuam per anima ſcilicet cenſum, paſſus eſt labi de obſequio Legis in mortem, circumventum à Diabolo?* Reſpondeo cum cit. Tertulliano *cap. 6. oportebat imaginem, & ſimilitudinem DEI, liberi arbitrii, & ſuæ poteſtatis inſtitui; in qua hoc ipſum, imago, & ſimilitudo DEI deputaretur; arbitrii ſcilicet libertas, & poteſtas:* quia ergò DEUS hominem condidit cum libero arbitrio, committere eum debebat libero arbitrio, quô malè utens lapſus eſt de obſequio Legis in mortem, & conſenſit circumventioni diaboli: nec per hoc præjudicatur DEI præſcientiæ de futuro præviſo contingenti lapſu hominis.

6. Dico ſecundò: DEUS omnino exercet ſinceram providentiam circa ſalutem omnium hominum, volens propriè omnes ſalvos fieri. Ita Catholici; contra Calvinum, Bezam, alióſque Novatores.

7. Probatur *primò*: S. Scriptura teſtatur DEUM exercere ejusmodi ſinceram Providentiam circa ſalutem omnium hominum; unde dicitur 1. ad Tim. 2. *qui* (ſcilicet DEUS) *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Et 2. Petri 3. *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*; Ergo &c. *Secundò* idem docent SS. PP. ſignanter S. Ambroſius, qui ſcribens ſuper illa verba Apoſtoli, *qui omnes homines vult ſalvos fieri*, ait; *vult enim DDUS omnes ſalvos fieri; ſed ſi accedant ad eum; non enim ſic vult, ut nolentes ſalventur; ſed vult illos ſalvare, ſi & ipſi velint.* Idem docet Proſper. *lib. de vocat. gent. cap. 19.* Et Damaſcenus *lib. 2. de fid. cap. 29.* Ergo &c. *Tertiò* DEUS habet univerſalem affectum juſtitiæ puniendi omnes peccatores: Ergo & univerſalem affectum miſericordiæ omnes ſalvandi. Præterea Chriſtus paſſus eſt pro omnibus hominibus ex Divina ordinatione ſincera; uti conſtat ex illo Scripturæ 1. ad Tim. 2. *unus mediator DEI, & hominum homo Chriſtus JESUS, qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*: Ergo DEUS circa omnes prorſus exercet Providentiam ſinceram.

8. Objiciunt Hæretici *primò*: DEUS aliquos homines ſpontè excæcat, indurat, & abjicit, ita ut pœnitere nequeant; uti patet Exod. 9. Et ad Rom. 9. Et Eccleſ. 7. Ergo DEUS non habet ſinceram Providentiam circa horum ſalutem. *Secundò* DEUS ad quosdam Gentiles nullos miſit prædicatores; ſícque his non providit de ſufficientibus mediis ad ſalutem: Ergo &c. *Tertiò* nec parvulorum ante baptiſma morientium ſalutem DEUS ſeriò vult; cùm ipſis non curet applicari medium ſalutis. *Quartò*, DEUS aliquos tantùm creavit, ut in eis oſtendat ſuam Potentiam, & Juſtitiam punitivam (inquit Calvinus) uti conſtat ex illo Exod. 9: *idcirco poſui te, ut oſtendam in te fortitudinem meam.* Et illo ad Rom.

9. *DEUS volens oſtendere iram, & notam facere Potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum*: Ergo &c.

9. Reſpondeo *ad primum* Neg. Ant. & dico, quòd DEUS talibus induratis adhuc det media ſaltèm remotè ſufficientia ad pœnitentiam agendam; utì habet Scotus *4. diſt. 20. q. 1.* quia eos adhuc excitat, & vocat ad pœnitentiam; ſicut patet ex illo dicto ſalvatoris ad induratos Judæos Matth. 23. *Hieruſalem quoties volui congregare filios tuos*: ipſi autem obdurati, excæcati, & abjecti, ſunt in cauſa, quòd pœnitentia actu non ſequatur; quia nolunt cooperari præfatæ gratiæ DEI vocanti, & excitanti. *Ad ſecundum* Neg. Ant. nam DEUS quemlibet Gentilem debitè ſervantem legem naturæ, in defectu Prædicatorum ſufficienter internè illuminat de Fide Chriſti; vel ſaltèm ut de ſua ſecta Pagana dubitet; & exinde maneat obligatus indagare meliorem & veriorem Religionem, per quam illuminationem ſalvatur ſincera DEI Providentia circa Gentilium ſalutem: quia autem talem obligationem plerumque Gentiles omnes negligunt; ideo non perveniunt ad ſalutem; ſed ſuâ propriâ culpâ. Præfata porrò doctrina de illuminatione fundatur in illo Joan. 1. *erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* *Ad Tertium* Neg. quoque Ant. quia DEUS pro horum ſalute ordinavit baptiſmum: quòd autem ipſis brevi morientibus non applicetur; non DEUS, ſed cauſæ ſecundæ parvulos extinguentes in cauſa ſunt, quibus DEUS, ut author naturæ ex lege generali Providentiæ tenetur cooperari, & permittere, ut ſuos motus agant; utì loquitur D. Auguſtinus. *Ad quartum* Neg. ſimiliter Ant. nam cùm DEUS invitus puniat reprobos; utì patet Gen. 6. Et Iſa. 1. & Jerem. 8. ſignum eſt, ipſum tales non ideo creâſſe, ut in eis oſtendat ſuam Potentiam, & Juſtitiam punitivam. Ad locum autem primum Scripturæ pro hoc adductum, dico SS. PP. per ly *fortitudinem* intelligere patientiam, & longanimitatem, ut ſit ſenſus, idcirco poſui te, ut oſtendam in te meam patientiam, & longanimitatem in diſſimulando tua peccata. Ad ſecundum locum dico, ex eo tantùm haberi, quòd DEUS aliquando ſecundariò velit oſtendere iram, & juſtitiam punitivam in vaſis iræ; primariò tamen velle eorum converſionem; quam dum negligunt, tunc demum punitionem infert.

10. Dico tertiò: DEUS habet Omnipotentiam, quæ ſe extendit non tantùm ad facta, & fienda aliquando; ſed etiam ad plura alia. Ita Catholici; contra Wiclephiſtas, & Abailardum.

11. Probatur prima pars *primò*: nam S. Scriptura DEO attribuit Omnipotentiam; unde dicitur Job. 42. *Scio quia omnia potes.* Et Gen. 17. *Ego DEUS Omnipotens.* Et Matth. 19. *apud DEUM omnia poſſibilia ſunt.* *Secundò*, decet DEUM habere Omnipotentiam; cùm ſit ens ſupremum, continens omnes creaturarum perfectiones. Præterea DEUS pollet infinitâ potentiâ, & infinitâ ſcientiâ: Ergo & Omnipotentiâ.

12. Probatur ſecunda pars, de extenſione omnimoda Omnipotentiæ, *primò* authoritate S. Scripturæ, quæ aſſerit Omnipotentiam DEI ſe ſe extendere etiam ad varia factibilia, quæ nunquam fient; ſic dicitur Matth. 3. *potens eſt DEUS de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ.* Et Marc. 14. *Abba Pater, omnia tibi poſſibilia ſunt &c.* *Secundò* authoritate SS. PP. idem aſſerentium: unde Hieronymus *in cap. 3. Matth.* dicit: *Eum qui cuncta de nihilo fecit, poſſe etiam de ſaxis duriſſimis populum procreare.* Et Auguſt. *in Enchrid. cap. 95.* ait, *Voluntatem DEI multa poſſe, quæ non velit.* *Tertiò* Divina Potentia eſt infinitæ activitatis; ſicut Divinus Intellectus eſt infinitæ intellectivitatis: Ergo Divina Potentia debet eſſe Omnipotentia, extendens ſe non tantùm ad ſpecies, & individua jam producta, vel producenda: ſed etiam ad plura alia poſſibilia, ſeu quæ contradictionem non involvunt; v. g. ad plures mundos, vel novos Angelos producendos.

13. Objiciunt Hæretici: in DEO nihil fruſtraneum eſt ponendum: ſed talis Omnipotentia eſſet in DEO fruſtranea; quia nunquam egredietur in effectum alium, quàm productionem entium, adhuc producendorum ſecundùm præſens decretum Divinæ Voluntatis: Ergo &c. Reſpondeo Neg: Min: nam ut DEI Omnipotentia non dicatur fruſtranea, ſufficit, quòd terminetur ad productionem rerum poſſibilium; ſicut Omniſcientia DEI non eſt fruſtra, quæ terminatur ad notitiam rerum ſcibilium. Deinde ejusmodi Omnipotentia pertinet ad completam rationem Divinæ Potentiæ & infinitæ activitatis; adeòque ex alio capite adhuc eſt neceſſaria; & non fruſtranea.

ARTICULUS. VII.

De Æternitate; & Decretis DEI.

1. DIco primò: Æternitas DEI nullam dicit diviſibilitatem, & ſucceſſionem; ſed tota ſimul exiſtit, & omnibus temporum differentiis coëxiſtit. Ita Catholici; contra Calviniſtas, ſignanter Vorſtium.

2. Probatur: Æternitas eſt modus intrinſecus identificatus DEI ſubſtantiæ, & ab ea inſeparabilis: Ergo ſicut in ſubſtantia DEI non eſt ſucceſſio aliqua, vel diviſibilitas; aliàs mutaretur, contra illud Scripturæ Mal. 3. *ego enim Dominus & non mutor*; ita nec in æternitate DEI: adeoque ipſa tota ſimul exiſtit, & omnibus temporum differentiis coëxiſtit.

3. Objiciunt Calviniſtæ *primò*: ex ſententia Catholicorum ſequerentur varia abſurda: *primò* omnes partes temporis, ſcilicet præſentis, præteriti, & futuri ſimul coëxiſtere reſpectu æternitatis. *Secundò* DEUM poſſe efficere, ut præteritum non ſit verè præteritum; & futurum non futurum. *Tertiò* primum annum mundi eſſe hunc ipſum annum mundi &c. quæ omnia ſunt abſurda: Ergo &c.

4. Reſpondeo Neg. Ant. nam dum Catholici dicunt, quòd tota æternitas DEI coëxiſtat omnibus temporis differentiis, ſenſus non eſt, quòd æternitas omnibus partibus temporis ſimul ſumptis, & exiſtentibus coëxiſtat; uti ſupponunt Calviniſtæ: ſed quòd ſingulis diviſim ſumptis, & ſibi mutuò ſuccedentibus coëxiſtat; v. g. hodie tota æternitas DEI coëxiſtit hodierno diei; & cras tota æternitas coëxiſtit craſtinæ diei, & ſic deinceps. In hoc itaque ſenſu explicatæ æternitatis non ſequuntur illa abſurda, quæ Calviniſtæ impingunt Catholicis.

5. Dico ſecundò: Decreta DEI non ſunt aliqua accidentia realiter diſtincta à ſubſtantia ejus. Ita Catholici; contra Calviniſtas, ſignanter Vorſtium.

6. Probatur: ſubſtantia DEI eſt infinitè perfecta, & conſequenter ulterius non perfectibilis per ullas formas, vel accidentia realitèr diſtincta; cùm formaliter, vel eminenter contineat omnes perfectiones poſſibiles: ſed ſi Decreta Divina eſſent aliqua accidentia realiter diſtincta, ſubſtantia DEI non eſſet infinitè perfecta; ſed perfectibilis per ea; illa enim eſſent quædam reales formæ perficientes: Ergo &c. Præterea DEUS eſt ſummè ſimplex: Ergo excludit adventum omnis formæ accidentalis realiter diſtinctæ: nam per talem componeretur aliquomodo.

7. Objiciunt Calviniſtæ *primò*: Decreta DEI ſunt libera; cùm poſſint eſſe, & non eſſe; ſubſtantia verò DEI eſt neceſſaria: Ergo illa ab hac diſtinguuntur realiter, tanquam quædam accidentia. *Secundò* Decreta DEI ſunt varia, & plura; nam aliud eſt de creando mundo; aliud de redimendo mundo; ſubſtantia verò DEI eſt unica: Ergo &c. Reſpondeo *ad primum* Neg. Ant. nam Decreta DEI quoad exiſtentiam æquè ſunt neceſſaria, ſicut ſubſtantia DEI; quamvis quoad terminationem ad ſua objecta ſint libera; quod non infert reale diſcrimen eorum à ſubſtantia; nec naturam accidentariam. *Ad Secundum* Neg. Ant. in ſenſu Calviniſtarum prolatum, quô volunt in DEO eſſe entitativè alium actum voluntatis creandi mundum; & alium redimendi mundum; & alium prædeſtinandi &c. ſed eſt unicus actus voluntatis Divinæ, quô hæc omnia decernit; & dicitur tantum varius, vel multiplex ex objectorum varietate: ſicuti unicus in intellectu DEI eſt actus ſcientiæ, quô cognoſcit mundum, & quô cognoſcit Petrum, & Paulum, ac alia objecta.

8. Dico tertiò: Decreta DEI circa prædeſtinationem, & reprobationem ſunt ab æterno. Ita Catholici; contra Calviniſtas.

9. Probatur: reliqui actus Divinarum potentiarum fuerunt in DEO ab æterno, puta actus ſcientiæ Divinæ, amoris ſuæ Eſſentiæ &c. Ergo & Decreta prædeſtinationis, & reprobationis. Præterea ſi DEUS in tempore primò condidiſſet nova Decreta Prædeſtinationis, & reprobationis, mutaretur ejus Divina Voluntas, & ſubſtantia; acciperétque novas formas, & accidentia realiter diſtincta; quod falſum eſt, & ſupra *concl. 2.* reprobatum; Ergo &c. Demum nulla eſt ratio, cur DEUS deberet Decreta prædeſtinationis, & reprobationis condere primò in tempore: imò ratio eſt, ut ea ab æterno eliceat, ne mutetur in tempore per eorum elicitionem: Ergo &c.

10. Objiciunt Calviniſtæ: omnis cauſa libera antecedit ſuum effectum tempore, ſeu duratione; quia libera actio ſupponit deliberationem in intellectu; ſed DEUS eſt cauſa libera reſpectu ſuorum decretorum liberorum: Ergo ea præcedit tempore, ſeu duratione adeoque ipſa ſunt ab æterno. Reſpondeo *primò* Neg. Maj. nam Angelus, & Chriſtus ſunt cauſæ liberæ; & tamen neuter præceſſit tempore ſuum effectum; quia Angelus bonus in inſtanti creationis habuit actum libe-

rum dilectionis DEI; & Chriſtus in inſtanti primo Conceptionis liberè mortem acceptavit pro redemptione generis humani: quod rationabiliter negari non poteſt; cum præfati actus Angelorum, & Chriſti ſint ſpirituales, & indiviſibiles. Quòd ſi tamen Calviniſtæ negant præfatos actus liberos absque prævia deliberatione tempore præcedenti elici non potuiſſe; ſaltèm de DEO concedere fas eſt. Unde Reſpondeo *ſecundò*, & dico Maj. argumenti tantùm procedere de cauſa libera creata; non verò increata DEO, qui ob ſui infinitam perfectionem, non eget ejuſmodi anteceſſione, & deliberatione moroſa.

CAPUT II.

De SS. Trinitate.

ARTICULUS I.

De Exiſtentia Trinitatis.

1. NOta primò: nomine Trinitatis intelligunt veri Catholici, *trium Divinarum Perſonarum conſubſtantialium, coæqualium, & realiter diſtinctarum in unitate Eſſentiæ conſiſtentiam*; ùt patet ex Concil. Lateranenſi *cap. Firmiter, de ſum. Trinit.*

2. Dico primò: In S. Pagina Veteris Teſtamenti extant teſtimonia Divinæ Trinitatis expreſſiva. Ita communis Catholicorum DD. contra perfidam gentem Hebræorum.

3. Probatur *primò*: Gen. 1. dicitur, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; & creavit DEUS hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.* Et *faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*: ubi ponderanda ſunt illa verba *faciamus*, *noſtram*, & *DEUS* nam prima duo indicant pluralitatem perſonarum; tertium verò *DEUS* unitatem Eſſentiæ: Ergo &c.

4. Ad hoc oraculum Scripturæ variè reſpondent Rabbini recentiores: & *primò* aliqui eorum dicunt; DEUM illô terminô plurali *faciamus* ſolum uſum fuiſſe per modum cujuſdam excitationis ſui ad plaſmationem hominis. Contra: dedecet DEUM ſummâ activitate præditum ad operandum, atque creandum hominem excitatione ejuſmodi, ſeu terminis excitativis uti. Et præterea inconveniens videtur, ſeipſum verbis excitare; unde rectè S. Baſilius *hom. 9. Hexamer.* dicit: *Quis faber, aut ærarius, aut lignarius, aut certè coriarius ſutor ſolus ipſe quidem, nec alio quodam ſibi coöperante ſtipatus; inter que ſua artis inſtrumenta deſidens, quis inquam ſibi ſoli admurmurat dicens, faciamus gladium, aut compingamus aratrum, aut conficiamus calceamentum; ac non potiùs ſilentio ſuam, cùm libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? ſunt enim profectò nugationem aliquem invenire, qui ſibi ipſi imperet*: Ergo tantò magis erit nugatoria hæc Rabbinorum reſponſio circa DEUM, nobiliſſimum hominis opificem.

5. Reſpondent *ſecundò* alii: illud verbum plurale *faciamus*, eſſe locutionem DEI factam ad Angelos miniſtrantes, ut ſibi circa animæ creationem occupato in plaſmatione hominis adjutorium præſtent, formando interea corpus primi hominis. Contra: non Angelis; ſed ſoli DEO attribuitur in eadem ſacra Geneſi plaſmatio tota hominis; & conſequenter etiam formatio corporis primi hominis; unde dicitur in *cit. cap. vers. 31. Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: Ergo illud verbum *faciamus* non refertur ad Angelos coadjutores. Addo quòd ly *faciamus* ſecundùm litteræ naturam dirigatur ad illos, ad quorum imaginem factus eſt homo primus: ſed homo primus non ad imaginem Angelorum; ſed ſolius DEI eſt factus, dicente Scripturâ *loc. cit. Creavit DEUS hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem DEI creavit illum*: Ergo &c.

6. Reſpondent tandem *tertiò* alii dicendo; quòd ly *faciamus* in plurali DEUS more Magnatum uſurpaverit, ad deſignandam tantùm ſuam authoritatem, & potentiam. Contra; DEUS in aliis Scripturæ paſſibus plerúmque uſurpat duntaxat numerum ſingularem; ùti patet perluſtranti Sacrum Codicem: Ergo quando uſurpat numerum pluralem; ùti facit in loco allegato, & alio mox adducendo, ſignum eſt adeſſe aliquod myſterium pluralitatis Perſonarum.

7. Probatur *ſecundò* Concluſio: Gen. 11. rurſus DEUS utitur numerô plurali dicendo, *venite deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum*; ex quo textu colligunt SS. PP. S. Chryſoſtomus *ſerm. de Trinit.* S. Baſilius *lib. 5. contra Eunomium*, Nyſſenus *lib. de Trinitat.* myſterium Trinitatis. Illud quoque Triſagium Seraphinorum, apud Iſaiam *cap. 6. clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus DEUS exercituum*, illuſtre præbet teſtimonium Trinitatis, ſecundùm D August. *lib. 2. de Fide ad Gratian. cap. 4.* & ipſoſmet illuminatiores Rabbinos veteres, ſignanter Rabbi Simeonem; qui allegatum textum teſte noſtrô

ſtrò P. Galatinô *lib. 2. de arcanis cap. 4.* ſic gloſſat, *ſanctus hic eſt Pater; ſanctus hic eſt Filius; ſanctus hic eſt Spiritus ſanctus*: Ergo in S. Pagina veteris Teſtamenti extant teſtimonia SS. Trinitatis expreſſiva.

8. Probatur *tertiò*: ille quoque paſſus Scripturæ Gen. 18. *apparuerunt ei* (ſcilicet Abrahæ) *tres viri, ſtantes prope eum; quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio Tabernaculi, & adoravit in terram, & dixit*: *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis ne tranſeas ſervum tuum*, oſtendit Trinitatem Perſonarum illô *apparuerunt ei tres*; & ſimul unitatem Eſſentiæ; quia ad unum DEUM in ſingulari tantùm adorans dixit *Domine*: unde S. Auguſt. *lib. 2. de Trinit. cap. 12.* & S. Cyrillus Alexandrin. *lib. 1. contra Julianum*, ex allegato textu adorandum hoc Trinitatis myſterium eleganter inferunt; & alii ex illa triplici repetitione Pſalm. 67. *benedicat nos DEUS, DEUS noſter; benedicat nos DEUS*; ubi illis vocibus, *benedicat nos DEUS*, Pater deſignatur; illis verò *DEUS noſter* Filius; noſter factus per aſſumptionem carnis noſtræ; & illis *benedicat nos DEUS*, Spiritus ſanctus: Ergo &c.

9. Probatur *quartò* confeſſione, & veneratione hujus myſterii, factâ ab ipſiſmet veteribus inſignioribus Rabbinis: nam ut refert P. Galatinus *cit.* veteres Thalmudiſtæ, firmâ conſtitutione ſancierant, ut hæc eximia Laus Trinitatis ex Seraphinorum Triſagio ſic compoſita, *ſanctus hic eſt Pater, ſanctus hic eſt Filius, ſanctus hic eſt Spiritus ſanctus* à quolibet Judæo, manè, & veſperi attentè, ac venerabundè recitetur in DEI cultum. Et Rabbi Haccados docet hoc nomen ineffabile *Tetragrammaton*, quod Dominum, ſeu DEUM præ cæteris exprimit ſublimiùs, eſſe quadraginta duarum litterarum, ídque ſic interpretatur; *Pater DEUS, Filius DEUS, Spiritus ſanctus DEUS; Trinitas in Unitate, & Unitas in Trinitate*: Ergo ipſimet Rabbini agnoſcunt Trinitatis myſterium, tanquam in Veteri Teſtamento adumbratum.

10. Dico ſecundò: SS. Litteræ Novi Teſtamenti ſanctiſſimæ Trinitatis myſterium quoque adſtruunt ſufficienter: Ita Catholici; contra Montaniſtas, Priſcillianitas, Sabellianos, alióſque veteres Errones; & contra Servetum, alióſque recentiores quoſdam Hæreticos Tranſylvaniæ, unicam Perſonam in Divinis adſtruentes.

11. Probatur inducendo varia teſtimonia Novi Teſtamenti: *Primò*; illud Joan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. Secundò*; illud Matth. *ult. cap. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti. Tertiò*, ad Tit. 3. *apparuit benignitas, & humanitas Salvatoris noſtri DEI, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos; ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs ſancti; quem effudit in nos abundè per JESUM Chriſtum Salvatorem noſtrum*; quô textu oſtenditur Perſona effundens Spiritum ſanctum, ſcilicet *Pater*; & Perſona per quam effunditur, videlicet *Filius*; & Perſona effuſa, puta *Spiritus ſanctus*. *Quartò*, Marci 1. dicitur, *Aperti ſunt Cæli, & vidit Spiritum DEI deſcendentem ſicut columbam; & ecce vox de Cælo dicens, hic eſt Filius meus dilectus*: ex quibus SS. PP. & Eccleſia deducunt Perſonam Patris dicentis, Perſonam Filii ad quem dicit Pater; & Perſonam Spiritus ſancti ſuper Chriſtum deſcendentem: Ergo SS. Litteræ Novi Teſtamenti SS. Trinitatis myſterium ſufficienter adſtruunt.

12. Mirandum proinde; quomodo Hæretici quidam ita denſâ erroris, & contumaciæ caligine ſuum obſcurârint intellectum, ut ad ejusmodi tam clara teſtimonia utriuſque S. Paginæ non captivaverint eundem in obſequium fidei, Diviniſſimas Trinitatis Perſonas agnoſcendo, & credendo; quas quidam Philoſophi Ethnici jam olim agnovêre, ùt refert Juſtinus Martyr in *Orat. ad Gentes.* & Clemens Alexand. *lib. 5. ſtromat.* Cyrillus *lib. 1. & 2. contra Julian. de perenni Philoſop.* Eugubin. &c inter quos primas tenet Plato; de cujus libris S. Auguſt. *lib. 7. Confeſſ. cap. 9.* narrat, *legi ibi non quidem his verbis; ſed hoc idem omnino multis, & multipliciter, ſuaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum.* Et Zoroaſtes Chaldæus Scripſit, *Monas genuit Duadem, & in toto mundo lucet Trias.* Et Triſmegiſtus Philoſoph. *in lib. Himander, Dial. 4.* dixit, *Monas genuit Monadem, & in ſe ſuum reflexit amorem.* Taceo Porphyrium, & Plotinum Platonicum, quibus Trinitatis agnitionem quoque tribuit D. Auguſt. *lib. 10. de Civit. cap. 23.*

13. Dico tertiò: Exiſtentia Trinitatis etiam probabilibus, & congruentialibus rationibus, ex naturalibus deductis ſuaderi poteſt. Ita Theologi communiter; contra eoſdem Hæreticos, *concl. 2.* relatos.

14. Probatur *primò* ratione Scoti Doctoris Subtilis, quam habet *1. diſt. 3. q. 9.* In homine reperitur imago, ſimilitudo, & veſtigium quoddam Trinitatis expreſſum, ex quo formari poteſt ratio probabilis, ſuadens Trinitatem; nam in homine reperitur primò anima unica, tota in toto; cui correſpondet in Trinitate unica natura ſeu Eſſentia Divina,

 tota

tota in omnibus Perſonis. *Secundò* reperitur in homine memoria fœcunda, id eſt intellectus cum objecto, aut ſpecie objecti generativus verbi creati; huic in Trinitate correſpondet memoria fœcunda Patris producentis Verbum. *Tertiò* in homine invenitur intellectus informatus actuali notitiâ de hoc vel illo objecto; cui in Trinitate correſpondet notitia genita, ſeu Filius. *Quartò* in homine deprehenditur voluntas informata volitione; huic correſpondet in Trinitate voluntas Patris, & Filii producens Spiritum ſanctum. *Quintò* in homine invenitur memoria fœcunda intellectûs, ùt afficitur intellectione; & voluntas, ut volitione afficitur, & hæc diſtinguuntur inter ſe realiter; & tamen ſunt idem realiter cum anima, quatenus conſiderantur ut potentiæ animaſticæ in actu primo; quibus in Divinis correſpondent Perſonalitates realiter diſtinctæ inter ſe, & tamen identificatæ realiter uni Eſſentiæ Divinæ. Hanc imaginem Trinitatis obſervat, & aſſerit etiam S. Auguſt. *lib. 15. de Trinit. cap. 20.* Ergo &c.

15. Probatur *ſecundò* iterum ratione Doctoris *1. diſt. 13. q. 5.* veſtigium quoddam Trinitatis relucet in collectione omnium creaturarum ſignanter in unitate, ſpecie, & ordine creaturarum, quem includunt ſecundùm Auguſtinum *6. de Trinit. cap. 10.* dicentem, *hæc igitur omnia, quæ arte Divinâ facta ſunt, & unitatem quandam in ſe oſtendunt, & ſpeciem, & ordinem.* Unitas itaque reperta in creatura adumbrat ſummam unitatem Primi Principii, quæ appropriatur Patri; ſpecies verò creaturæ repræſentat ſummam pulchritudinem, quæ appropriatur Filio; ordo denique creaturæ exprimit operationem perfectiſſimam DEI, quæ eſt beatitudo ejus; & hæc appropriabitur Spiritui ſancto: Ergo &c.

16. Probatur *tertiò* aliis veſtigiis, & ſimilitudinibus, ſuadentibus probabiliter myſterium Trinitatis. Et primò *Sole*, in quo S. Athan. *quæſt. 4.* obſervat tria, nimirum orbem Solarem, radium, & lumen; & dicit; *quemadmodum ſol conſtat tribus ſubſiſtentiis; ita & unus DEUS tribus Perſonis; typus enim Patris eſt Orbis Solaris; typus Filii eſt radius; typus Spiritus ſancti eſt lumen ſolis: proinde ſicut in ſole orbis, radius, & lumen non dicuntur tres Soles, ſed unus Sol; ſimiliter & in DEO Pater, Filius, & Spiritus S. unus DEUS, & non tres.* Secundò alii PP. ex Elementis ùt *Igne* adumbrant, & probant Trinitatem; unde Iſidorus *lib. 2. de differentiis ſpiritualibus cap. 2. ſicut ignis, candor, & calor, tria quidem vocabula; ſed res una; ita in relatione Perſonarum Trinitas eſt; in ſubſtantia verò natura unus DEUS.* Tertiò ad idem inducit Nazian. & Tertullian. elementum *Aquæ*; dum fons unus efficit fluvium, & rivum. Et S. Auguſt. elementum *Terræ*, in qua reperitur radix, truncus, & rami: Ergo congruentibus quibuſdam argumentis ſeu ſimilitudinibus, & imaginibus adumbrari, & ſuaderi poteſt arcanum Trinitatis myſterium.

ARTICULUS II.

De numero; & diſtinctione Divinarum Perſonarum.

1. NOta primò: In SS. Trinitate reperiri verum, & realem numerum, uti definivit Concilium Tolet. XI. *in confeſſ. fid.* dicens: *in relatione Perſonarum numerus cernitur, in Divinitatis verò ſubſtantia quid enumeratum ſit, non comprehenditur.* Et VI. Synodus Generalis *Act. 11.* ait, *Beatam Trinitatem eſſe numerabilem tribus ſubſiſtentiis.*

2. Dico primò: verus, & realis ternarius numerus habetur in SS. Trinitate, ita ut tres omnino, & nec plures, nec pauciores ſint Divinæ Perſonæ in SS. myſterio Trinitatis. Ita Catholici, contra Patripaſſianos ponentes unicam Perſonam Divinam Patris, quæ tamen diverſis nominibus nominetur, nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus ſanctus. Et contra Sabellianos, Noëtianos Montaniſtas, Cataphrygas, Samozateniſtas, Photinianos, Servetum, Blantratam, & Davidiſtas.

3. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ, quæ facit mentionem trium Perſonarum Divinarum; & nec plurium, nec pauciorum; unde dicitur 1. Joan. 5. *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt.* Et Matth. *ult. Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs ſancti.* Et ad Tit. 3. Et Marc. 1. Ergo &c. *Secundò* eundem verum, & realem numerum trium Perſonarum Divinarum dogmatizant omnes SS. PP. ſignanter Athanaſius, Fulgentius Juſtinus, Nazianz. Irenæus, Cyprianus, & Baſilius, qui *lib. 3. contra Eunom.* ſcribit: *ſic in Trinitate unitatis ratio conſervabitur, ſi unum Patrem profiteamur, unum Filium, unum Spiritum ſanctum.* *Tertiò* eandem doctrinam definierunt Concilia Generalia, ut Nicænum I. *in Symbolo Fidei.* Et Conſtantinopolitanum I. pariter *in Symb. Fid.* Et Lateranenſe ſub Innocentio III. *cap. Firmiter, de Sum. Trinit.* *Quartò* in Divinis eſt neceſſariò una Perſona inproducta, ſcilicet Pater, & duæ tantùm productæ; quia duo tantùm ſunt principia productiva adæquata diverſæ rationis,

nis ſcilicet intellectus, & voluntas: Ergo tres erunt, & nec plures, nec pauciores perſonæ in myſterio SS. Trinitatis.

4. Objiciunt Hæretici *primò*: Scriptura S. dicit DEUM eſſe ſolum; ut Pſalm. 85. *tu es DEUS ſolus.* Et 1. ad Tim. 1. *Soli DEO honor, & gloria*: Ergo &c. *Secundò* implicat idem eſſe multiplex, & unum: ſed DEUS eſt unus: Ergo nequit eſſe multiplex in tribus Perſonalitatibus. Reſpondeo *ad Primum* etiam extare alias Scripturas, quæ dicunt, Patrem non eſſe ſolum, ùt Joan. 8. *Solus non ſum.* Itaque pro concordia harum Scripturarum dico, illos duos primos textus Pſalmiſtæ, & Apoſtoli objectos ab Hæreticis tantùm velle excludere pluralitatem Deorum, non autem Perſonarum; cùm hanc alii textus ſupra relati manifeſtè aſſerant. *Ad ſecundum* diſtinguo Maj. implicat idem eſſe multiplex, & unum, ſecundùm eandem formalitatem concedo Maj. ſecundùm diverſam Nego Maj. Itaque cùm DEUS dicat & Eſſentiam, & Perſonalitates, proprerea ſecundùm Eſſentiam eſt unus; & ſecundùm perſonalitates eſt multiplex.

5. Dico ſecundò: tres Divinæ Perſonæ ſunt reali diſtinctione inter ſe diſcriminatæ. Ita Catholici; contra eoſdem Hæreticos, *pro priori concluſ.* recenſitos.

6. Probatur *primò* ex S. Scriptura; quæ loquitur de Divinis Perſonis tanquam realiter diſtinctis; ùt illa 1. Joan. 5. *tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus.* Et Joan. 5. *alius eſt qui teſtimonium perhibet de me.* Et illa, quæ exprimunt proceſſionem, & miſſionem unius Perſonæ ab alia; & rogationem apud alteram; inter quas reale diſcrimen intercedat neceſſe eſt: cùm nemo à ſeipſo procedat; aut à ſeipſo mittatur; aut ſeipſum roget; utì optimè urgent SS. PP. ſignanter S. Athanaſius *orat. contra gregales Sabellii.* Et S. Baſilius *orat. contra Sabellian. & Arian.* Textus autem Scripturæ ſunt illi, Joan. 1. *Ego ex DEO proceſſi.* Et ibidem, *ſolus non ſum; ſed ego, & qui miſit me Pater:* Et cap. 14. *ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.*

7. Objiciunt Hæretici *primò*: S. Litteræ totum eſſe Patris attribuunt Filio; unde nihil remanet, per quod perſona Filii à perſona Patris realiter diſcriminetur; quare dicitur Matt. 11. *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Et Joan. 16. *Omnia quæ habet Pater, mea ſunt.* *Secundò* aliæ Scripturæ docent DEUM eſſe unum, ut Deut. 6. *Dominus unus eſt.* Et cap. 4. *non eſt alius, præter ipſum*: Ergo in DEO nulla Trinitas Perſonarum realiter diſtinctarum ponenda eſt. Reſpondeo *ad Primum* illas Scripturas Matth. & Joan. eſſe intelligendas accommodè; utì eas intelligit Concilium Florentinum *in Litt. union.* ubi ait, *omnia quæ Patris ſunt, ipſe Pater Unigenito Filio ſuo dedit, præter eſſe Patrem* Itaque Filio omnia à Patre tradita ſunt, id eſt Eſſentia cum attributis, modis intrinſecis, ac aliis; præter Paternitatem: quare cùm hæc non ſit tradita Filio, ideo reale diſcrimen inter Filium, & Patrem intercedit. *Ad ſecundum* dico, illas Scripturas Deut. loqui de unitate DEItatis, ſeu naturæ Divinæ & Eſſentiæ; quæ non officit, nec tollit Trinitatem Perſonarum realiter diſcriminatarum.

ARTICULUS III.

De paritate, ac Divinitate Perſonarum; & de unitate DEItatis earum.

1. Dico primò: Omnes tres Perſonæ Divinæ ſunt pares, & formaliter DEUS. Ita Catholici; contra Arianos, & Macedonianos, Filium aſſerentes creaturam DEI; & contra Eunomianos, negantes Spiritum ſanctum eſſe DEUM.

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ: & primò de *Patre*; de hoc dicitur Joan. 20. *aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, DEUM meum, & DEUM veſtrum.* De *Filio* dicitur Joan. 1. *DEUS erat Verbum.* Item ad Rom. 1. *qui eſt DEUS ſuper omnia benedictus.* Et *Iſa. 7. Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, quod Iſaiæ. 9. *eſt nobiſcum DEUS.* Idem ad Rom. 9. *ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus.* Præterea huc faciunt omnes illi Scripturæ paſſus, qui Filio attribuunt Divinas proprietates; ùt Hebr. 1. & 7. & 13. quòd ſit æternus. Item Baruch. 3. quòd ſit excelſus, & immenſus. Item Apocal. 4. & 11. quòd ſit omnipotens. Item Matth. 28. quòd habeat poteſtatem in cœlo, & in terra. Item Joan. 5. quòd ſit operativus ſicut Pater; & ſimiles. Tandem de Spiritu Sancto dicitur Actor. 5. *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto? non es mentitus hominibus; ſed DEO.* Et Apoſtolus Hebr. 2. illum DEUM loquentem in Pſalmo 94. *Nolite obdurare corda veſtra*, interpretatur, eſſe Spiritum Sanctum. Et Matth. *ult.*: non minùs in nomine Patris, qui eſt DEUS; quàm Spiritûs Sancti, jubetur conferri baptiſmus; ex quo infert Nazian. Divinitatem Spiritûs Sancti. Et ſacri Vates inſpirati à Spiritu Sancto, edunt vaticinia Mar. 2. Et 2. Petri 1. Et Lucæ 1. inſpirans autem abdita, & ventura cenſetur eſſe DEUS ſecundùm Iſai. 41.

Annuntiate

Digitized by Google

Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia DEI eſtis vos. Similiter Divinitatem Spiritûs S. comprobant illa Scripturæ teſtimonia, quæ ei attribuunt proprietates, & operationes Divinas; ùt Pſalm. 138. ubi prædicatur immenſus. Et Sap. 7. ubi Omnipotens dicitur. Et 1. ad Cor. 2. ubi omniſcius aſſeritur. Et Pſalm. 32. ubi creans vocatur. Et 1. ad Cor. 6. ubi donans gratiam, & gloriam. Et ad Rom. 15. patrans miracula. Et Matth. 28. æqualiter cum Patre, & Filio in forma baptiſmatis eſt nominandus. Tandem Actor. 20. ubi dicitur gubernans Eccleſiam: Ergo ex SS. Litteris liquet, omnes tres Perſonas eſſe Divinas, & formaliter DEUS.

3. Probatur *ſecundò* authoritate Conciliorum: nam ita definit Concilium II. Nicænum in *Symbolo Fidei*, ubi omnes Perſonas Dominum, & DEUM appellat. Idem facit Concil. Toletanum III. Et IV. Et VI. & XI. inquiens, *DEUS Pater, DEUS Filius DEUS Spiritus Sanctus ſingulariter dicitur.* Et omnia fermè Concilia contra Arianos, Macedonianos, & alios Hæreticos congregata, eandem Divinitatem, ſeu DEItatem, naturam, & Eſſentiam, in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto dogmatizant; ùt Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe IV. Lateranenſe, &c. & ultimò Tridentinum. Accedit præterea ſymbolum D. Athanaſii, in illis verbis, *ita DEUS Pater, DEUS Filius, DEUS Spiritus Sanctus*: Ergo tres Perſonæ Divinæ ſunt DEUS.

4. Probatur *tertiò* authoritate SS.PP. DEItatem æqualem in Patre, Filio, & Spiritu Sancto conſtanter confitentium: & ut prætercam D. Auguſtinum, Hieronymum, Ambroſium, Gregorium, alióſque complures, poſt exortum Arianiſmum viventes, & eum uno ore, atque calamô in, & extra Concilia condemnantes; etiam ante Arii hæreſim Anno Domini 330. conſurgentem, tribus Divinis Perſonis Divinitatem attribuebant complures SS. DD. naſcentis Eccleſiæ; ùt Clemens Alexandrinus *lib. 8. Conſtit. Apoſtol.* & S. Ignatius in *Epiſt: ad Antiochenos*; & *ad Philadelphos*; & *ad Philippenſes.* S. item Dionyſius Areopagita, *lib. de Myſt. Theol. cap. 2.* & *lib. de Div. Nomin. cap. 1.* Et Juſtinus *lib. de Fide*; & alibi ſæpe. Et Ireneus *lib 3. c. 8. 9. 16. & 20.* & Clemens Alexandrinus *lib. 1. cap. 6.* Et Tertullianus *lib. contra Praxeam.* Et Cyprianus *lib. 2. ad Quirin.* & alii; omnes Illuſtres Scriptores viventes ante Concilium Nicænum primum generale, in quo deinde ſolemniter ab Eccleſia damnatus fuit Arianiſmus ſuprà relatus. Objectiones Arianorum, quas faciunt contra paritatem, & Divinitatem Filii, ſolventur *cap. 4. art. 1.* quas verò opponunt Macedoniani contra paritatem, & Divinitatem Spiritus Sancti, ſolvuntur *cap. 5. art. 2.*

5. Dico ſecundò: tametſi autem omnes tres Perſonæ Divinæ ſiut pares, & formaliter DEUS; unicus tamen numerô DEUS eſt. Ita Catholici; contra Tritheitas, ponentes in Trinitate tres naturas, & tres ſubſtantias; & contra Perataras aſſerentes tres Eſſentias;

6. Probatur *primò* omnibus illis Scripturis, quibus ſuprà *cap. 1. art. 4.* Unitas DEI oſtenſa fuit; quibus addo ſequentes; Ioan. 5. dicitur, *tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt,* ſcilicet DEItate. Et illud 1. ad Timoth. 2. *Unus enim DEUS.* Et illud ad Epheſios 4. *Unus DEUS, & Pater omnium.* Et illud ad Galat. 3. *DEUS autem unus eſt.* Et tandem illud Marci 12. *Dominus DEUS tuus unus eſt*: Ergo &c.

7. Probatur *ſecundò* authoritate Sacrorum Conciliorum; in variis Symbolis unitatem DEI confitentium; ſic Nicænum I. *in ſuo Symbolo, dicit Credimus in unum DEUM* Et Conſtantinopolitanum *in ſuo Symbolo* ab iiſdem verbis exorditur, *Credimus in unum DEUM.* Idem præſtat Lateranenſe ſub Innocentio III. *de ſum. Trinit.* dicens, *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus eſt verus DEUS.* Et Tridentinum *ſeſſ. 3. in Symbolo Fidei,* ubi ait, *Credo in unum DEUM*: Ergo &c.

8. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. eandem Catholicam veritatem de unitate DEI unanimiter ter Sanctè profitentium; ſic loquitur S. Dionyſius *lib. 1. de Divin. Nom. cap. 1.* Et S. Epiphanius *in Anchorato.* S. Athanaſius in Symbolo per illa verba: *non tamen tres Dii, ſed unus eſt DEUS.* Et *in Dialogo 1. de Trin. contra Anomeum.* Et S. Bernardus *Epiſt. 190. ad Innocent.* S. Ambroſius *lib. 5. de Fide, cap. 1.* Et S. Auguſtinus *lib. 7. de Trinit.* & alibi. Et Niſſenus *lib. ad Ablabium* in fine; & plurimi alii. Unde anathematizat S. Damaſus Papa *in Profeſſione Fidei illum, qui diviſerit DEUM Patrem, & DEUM Filium, & DEUM Spiritum Sanctum, affirmans DEOS dici, & non DEUM, propter unam DEItatem, ac Poteſtatem, quam eſſe credimus Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti*: Ergo omnes tres Perſonæ Divinæ ſunt unus DEUS.

9. Probatur *quartò* ratione: & primò huc valent omnia argumenta Doctoris Subtilis, quæ contra Polytheiſmum propoſui ſupra *cap. 1. art. 3. Secundò*: hæc unitas DEI à SS. PP. ſignanter D. Dionyſio, & Nazianzeno citatis oſtenditur ex ſumma ſimplicitate Eſſentiæ DEI; cum qua ut tali non eſt compoſſibilis

multiplicitas

Digitized by Google

multiplicitas numeralis Deorum; unde ait S. Dionyſius, *in omnibus ferme Sacris Libris advertimus DEItatem ſanctè prædicari, ut Singularem quidem, atque unicam, ob ſimplicitatem, atque unitatem illius excellentis individui. Tertiò:* ex infinitate omnimoda Eſſentiæ DEI, quæ quâ talis non finit eſſe alium DEUM; nam aliàs careret aliquâ perfectione, quæ in illo alio DEO iucluderetur; & ſic non eſſet infinita omnimodè; ſed potiùs circumſcripta, & finita; quod eſt contra rationem veri DEI: Ergo tametſi tres numerentur Perſonæ Divinæ; unicus tamen numerô eſt DEUS.

10. Objiciunt Hæretici *primò*: ſi Perſona Filii, & Perſona Spiritûs Sancti eſſent pares Perſonæ Patris, haberent eandem Divinam Subſtantiam: ſed tunc eſſent tres Dii: Ergo &c. *Secundò* SS. PP. dicunt Divinas Perſonas convenire in unitate Divinitatis, ſicut duo homines conveniunt in unitate humanitatis, ita loquitur Gregorius Niſſ. *de Fide ad Simplic.* Et Athanaſius *contra Macedon. 1. Dial.* ſed duo homines ſic convenientes ſunt reverâ duo: Ergo ſi tres Perſonæ convenirent, & pares eſſent in unitate Divinitatis, ſequitur quòd tres ſint Dii.

11. Reſpondeo *ad Primum* Negando Min: quia potius ex unitate Divinæ Subſtantiæ, quam æqualiter habent omnes tres Perſonæ, unitas DEI infertur, quàm trinitas Deorum. *Ad Secundum* quod maximè urgent Hæretici, dico, SS. Patres non feciſſe omnimodam paritatem inter Divinas Perſonas, & duos homines; ſed in quibusdam tantùm; nam agebant contra Hæreticos negantes in Filio eandem ſubſtantiam cum Patre; ad hos itaque convincendos adducebant exemplum duorum hominum, ſcilicet Adami Patris, & filii Abelis; & ſic arguebant, uti habet textus Gregorii Niſſeni *cit. quemadmodum in Adamo, & Abele una humanitas, ſive natura humana eſt; eodem modo in Patre quoque ac Filio DEitas, ſeu Divina natura una eſt*: ſed non intendebant per hoc paritatem quoque facere quoad pluralitatem DEorum, ſicut Adam, & Abel faciunt duos homines: quare hic verificatur commune dictum, quòd non omnis paritas currat quatuor pedibus.

CAPUT III.

De prima Perſona Trinitatis, Patre.

ARTICULUS UNIC.

Prima Trinitatis Perſona Pater non eſt miſſa, nec incarnata, nec paſſa.

1. Dico primò: Pater, ſeu prima Trinitatis Perſona, non eſt miſſa in hunc mundum; nec incarnata; nec paſſa pro redemptione, & ſalute peccatoris. Ita Catholici; contra Noëtianos, ſeu Patripaſſianos, & Sabellianos.

2. Probatur *primò* de *miſſione*: ſolus Filius legitur in S. Sciptura à Patre miſſus ad opus redemptionis humanæ, & non Pater; unde dicitur Joan. *3. miſit DEUS Filium ſuum in mundum* Et cap. *5. qui miſit me, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* Et *cap. 6. ſicut miſit me vivens Pater.* Ergo Filius, & non Pater eſt miſſus. Idem confirmant omnes SS. PP.

3. Probatur de *incarnatione*: eadem S. Scriptura teſtatur ſolam ſecundam Perſonam Trinitatis fuiſſe Incarnatam; ſic dicitur Ioan. *1. Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Et Ioan. *3. ſic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret*; Et ad Galat. *4. miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere.* Et ad Rom. 8. *DEUS Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati.* Et Symbolum Nicænum de ſolo Filio DEI, ſecunda Perſona, ait: *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex MARIA Virgine, & homo factus eſt.* Idem habet Symbolum Apoſtolicum. Idem aſſerunt omnes SS. DD. Eccleſiæ.

4. Probatur *de paſſione*: eadem pariter S. Scriptura opus redemptionis humanæ à peccatis, & conſequenter Paſſionis adſcribit ſoli Filio, ſeu ſecundæ Perſonæ Trinitatis; unde dicitur Luc. 19. *venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere quod perierat.* Et 1. ad Timoth. 1. *Chriſtus Jeſus venit in mundum peccatores ſalvos facere.* Et Joan. 1. *Ecce agnus DEI, ecce qui tollit peccata mundi.* Et 1. Joan. 1. *ſanguis JESU Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Et ad Gal. 2. de Chriſto Filio DEI dicitur, *dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Et Symbolum Nicænum, ac Apoſtolicum dogmatizant ſolum Filium verè pro nobis paſſum fuiſſe,

Idem faciunt SS. PP. uno ore; unde Auguſtinus, *nulla cauſa veniendi Chriſti fuit, niſi peccatores ſalvos facere*; utique per paſſionem ſuam.

5 Objectiones Hæreticorum fundantur in illo falſo principio, quòd putent unam duntaxat in divinis eſſe Perſonam Patris, & Filii, variis nominibus appellatam; ac proinde opus Miſſionis, Incarnationis, Redemptionis, ac Paſſionis Patri æquè debere adſcribi, ac Filio. Sed hæc doctrina erronea, ejúſque fundamenta jam ſunt rejecta ſupra *cap. 2. art. 2.*

CAPUT IV.

De ſecunda Perſona Trinitatis, Filio, & Chriſto.

ARTICULUS I.

Secunda Trinitatis Perſona eſt conſubſtantialis primæ.

1. Dico primò: Secunda Trinitatis Perſona, ſeu Filius eſt verè homouſion, ſeu conſubſtantialis primæ Perſonæ Patri; & conſequenter non eſt creatura; nec purus homo. Ita Catholici; contra Arianos, Sabellianos, Cerinthianos Samoſatenianos, Eunomianos, Donatiſtas, Neſtorianos, Servetianos &c. Filium Patre minorem, creaturam, & purum hominem aſſerentes.

2 Probatur *primò* illis authoritatibus S. Scripturæ ſupra adductis *cap. 2. art. 3.* pro æquali Divinitate Filii cùm Patre. Deinde addo ſequentes: nam Joan. 10. Chriſtus DEI Filius dicit de ſe, *ego, & Pater unum ſumus*; id eſt unū ſubſtantiâ ut infert S. Auguſtinus; cùm perſonaliter non ſint unum. Et alibi paſſim Filius dicitur verè gigni, generari à Patre; eſſe Filius verus Patris; Primogenitus Patris, proprius Filius Unigenitus &c. quæ locutiones eum non adoptivum; ſed naturalem DEI Filium, & de Patris ſubſtantia, atque natura verè generatum; ac conſequenter conſubſtantialem, ejuſdémque Divinæ naturæ oſtendunt: ſic dicitur ad Hebr. 1. *cui enim dixit aliquando Angelorum Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Joan. 1. *ut ſimus in vero Filio ejus.* Et Matth. 16. *tu es Chriſtus Filius DEI vivi.* Et Joan. 3. *ſic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret.* Et ad Rom. 8. *qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit.* Et ibidem, *ut ſit ipſe Primogenitus*: Ergo Filius eſt verè conſubſtantialis Patri æterno.

3. Probatur *ſecundò* authoritate Oecumenicorum Conciliorum; nam Concilium I. Nicænum generale hanc Arianorum perfidiam unà cum aliis dogmatibus Hæreticis, condemnavit ſolemnibus decretis, & compoſuit Symbolum, à pluribus deinde ſubſequentibus Generalibus Synodis ratificatum, firmatum, & canonizatum, in quo ad propoſitum ponit ſequentia; *Credimus & in unum Dominum JESUM Chriſtum, Filium DEI, natum ex Patre unigenitum, hoc eſt ex ſubſtantia Patris; DEUM ex DEO, lumen ex lumine, DEUM verum ex DEO vero, natum non factum, homouſion, hoc eſt conſubſtantialem Patri.* Eandem Conſubſtantialitatem definit, & repetit Concilium Conſtantinopolitanum *in Symbolo* dicens; *credimus & in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium DEI unigenitum Homouſion Patri, hoc eſt ejuſdem cum Patre ſubſtantia.* Et ſeptima Synodus generalis *in Symbolo* ait; *credimus & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei conſubſtantialem Patri.* Idem repetit Lateranenſe; & Tridentinum: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. ex omnibus ſæculis Conſubſtantialitatem Filii liberâ voce profitentium; ità fecit Clemens Romanus, Ignatius, Dionyſius, Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus. Item D. Auguſtinus, Hieronymus, Fulgentius, Beda, & torrens DD. ùt videre eſt in monumentis eorum. Ex quibus D. quoque Ambroſius, qui *lib. 1. de Fide Trinit.* diſſerens ſuper illud Joan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* dicit: *ſi Deus erat Verbum ſempiternæ Divinitatis, in Patre, & Filio inſeparabilis unitas, & conſubſtantialitas eſt, ut erubeſcant Eudoxius, & Eunomius.*

5. Objiciunt Ariani varias Scripturas: *Primò* producunt illas, quæ innuunt Filium eſſe Creaturam; & conſequenter non conſubſtantialem Patri in DEItate; ut ad Coloſſen. 1. ubi dicitur Chriſtus Dei Filius, *imago Dei inviſibilis, primogenitus omnis Creaturæ.* Et Prov. 8. dicitur *Sapientia, quam Deus creavit in initio viarum ſuarum in opera ſua:* Ergo &c. *Secundò* proferunt illas Scripturas, quæ indigitant Filium Patre inferiorem; Patri ſubjectum; & conſequenter non ejuſdem dignitatis, & ſubſtantiæ cum Patre; ùt Joan. 14. *Pater major me eſt.* Et ad Philipp. 1. *factus eſt obediens uſque ad mortem* Et 1. ad Cor. 15. *tunc & Filius ſubjectus erit ei*: Ergo &c. *Tertiò* illas obtrudunt,

obtrudunt, quæ inſinuant Chriſtum ignorare aliqua; ut Marci 15. *de die autem illo, vel hora nemo ſcit, nec Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater*; quod verum non eſſet, ſi Filius eſſet conſubſtantialis; & ejusdem conſequenter perfectionis cum Patre: Ergo &c.

6. Reſpondeo cum SS. PP. Ambros. Athanas. Nazian. &c. ad has omnes Scripturas; illas & ſimiles loqui de Filio DEI, ùt incarnato, & naturâ humanâ prædito; ſecundùm quam dici poteſt *creatura* per communicationem idiomatum, & conſequenter primogenitus omnis creaturæ; non tamen creatura pura; unde Auguſtinus *Epiſt. 57. quod Verbum attinet, Chriſtus eſt Creator; quod verò ad hominem, creatum eſt Chriſtus.* Similiter poteſt dici *minor*, & *ſubditus* ſecundùm eandem naturam humanam; unde S. Athanas. *in Symbolo* ait, *æqualis Patri ſecundùm Divinitatem; minor Patre ſecundùm humanitatem.* Et tandem ſecundùm eandem naturam dici poteſt habere aliquam ignorantiam ultimi Judicii; quia ùt ait idem S. Athanaſius *Orat 4. manifeſtum eſt & finis univerſitatis horam ùt Verbum eſt, eum cognoſcere; ùt autem homo eſt, ignorare; eſt enim proprium hominis ignorare; non puduit propter carnem ignorantem dicere, non novi, ut oſtenderet ſe ùt Deum ſcientem neſcire carnaliter.*

7. Objiciunt Secundò: hæc vox *homouſion*, ſeu Conſubſtantialis eſt vox nova, à PP. Concilii Nicæni primò inventa; & in Litteris S. nullatenus reperta. *Secundò*; eadem vox eſt reprobata in Concilio Antiocheno, teſte Hilario *lib. de Synodis*; utì & in Concilio Ariminenſi, teſte Epiphanio *hereſi 73.* Et Conventu Sirmienſi: Ergo Filius non eſt dicendus homouſion ſeu conſubſtantialis Patri. *Tertiò*; quædam Scripturæ aſſerunt ſolum Patrem Deum eſſe; & conſequenter Filius debet eſſe creatura; ſic dicitur Joan. 17. *ut cognoscant te ſolum Deum.* Et 1. ad Cor. 8. *nobis eſt unus Deus.* Idem faciunt SS. PP. ſignanter S. Ignatius *Epiſt. ad Magneſianos*, ubi de Chriſto dicit, *unum & ſolum verum Deum Patrem ſuum annunciavit*: Ergo &c.

8. Reſpondeo ad *Primum* primò; negando hanc vocem *homouſion* primò eſſe inventam à PP. Concilii Nicæni: nam teſte S. Athanaſio in *Epiſt. de ſent, S. Dionyſii.* Et in *lib. de Decretis Nicænæ Synodi*; ac teſte Theodoreto *lib. 1. Hiſt. cap. 12.* hoc vocabulô uſi fuère SS. Patres, antiquiores illô Conciliô, ſignanter Tertul. *lib. 4. contra Marcion.* Prochorus, S. Martialis &c. unde dicit S. Athanaſius in *Epiſt. ad Africa. Novimus quoſdam ex priſcis, eruditos & præclaros Antiſtites, alioſque Scriptores, cùm de Patris, & Filii Deitate loquerentur, voce ſubſtantiali uſos fuiſſe.* Reſpondeo ſecundò; datô non conceſsô, quòd Patres Concilii Nicæni hanc vocem invenerint, & Symbolo inſeruerint; non idcirco erit reprobanda; nam Synodus Generalis in Spiritu S. congregata ad confutandas hæreſes de novo emergentes, authoritatem habet novas voces appropriatas, magiſque explicativas Fidei inſtituendi; modò res ipſa contineatur in S. Scriptura; ſicut reverà Conſubſtantialitas Filii cum Patre quoad rem continetur in illo Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus*, quod idem eſt ac *conſubſtantiales*, ùt eleganter reſpondet D. Auguſt. *Tract. 97. in Joan.* Ad *ſecundum* dico, in Concilio Antiocheno hanc vocem *homouſion* non ſimpliciter; ſed in ſenſu Samoſateni Hæretici eſſe reprobatam, qui Filium aſſerebat Patri *homouſion* ſecundùm Divinitatem tantùm participatam, id eſt, ſecundùm gratiam tantùm, per quam homines dicuntur fieri conſortes Divinæ naturæ; ùti refert S. Athanaſius. Ariminenſe etiam Concilium ly *homouſion* non reprobavit; imò Valentem, & Urſatium Arianos Epiſcopos cum aſſeclis hanc vocem explodentes, condemnavit. Verum tamen eſt, quòd diſſolutô jam Concilio nonnulli Patres partim metu Imperatoris Conſtantii Arianorum fautoris; partim fraude inducti ab Arianis ſubſcripſerint cuidam formulæ Fidei, in conciliabulo Ariano Nicæno poſt Synodum præfatam Ariminenſem factæ, in qua formula locô *homouſion*, poſitum fuit aliud quaſi pariforme vocabulum *omiouſion*, id eſt *ſimilis*: ſed & hi Patres deinde, *ad meliorem* (inquit Theodoretus *lib. 2. hiſtor. cap 22.*) *mentem denuo reducti, planè teſtati ſunt, hanc formulam ſibi magnopere diſplicere.* De Sirmienſi Conventu parum eſt curandum; quia ejus acta fuère pleraque Ariana; nam in eo Prævaluerunt in initio Epiſcopi Ariani, præſente, & favente Conſtantio Imperatore, qui & Synodum illam coëgerat. Ad *tertium* dico, in allegatis textibus excludi duntaxat pluralitatem Deorum; non autem negari Divinitatem de Filio, & Spiritu Sancto; ùt bene obſervant SS. Patres Baſilius, Athanaſius, Nazianzenus, & Auguſtinus *lib. 6. de Trinit. cap. 9.* Ad Patres, ſignanter Ignatium, idem eſto reſponſum: & ſanè memoratus Pater in ſua *Epiſtola ad Tarſen.* expreſſum ponit teſtimonium DEItatis Filii.

ARTICULUS II.

Secunda Trinitatis Perſona eſt propriè Verbum.

1 Dico primò: Secunda Trinitatis Perſona propriè dicitur Verbum; quare datur Verbum Divinum. Ita Catholici; contra Alogianos.

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ, prædicatum Verbi propriè ſecundæ Trinitatis Perſonæ, ſeu Filio Divino adſcribentis; ſic dicitur 1. Joan. 5. *tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum &c.* Et Apocal. *cap. 19. Filii DEI nomen dicitur eſſe Verbum Dei* Et Joan 1. *Verbum caro factum eſt*; quæ authoritates ſunt clariſſimæ ad propoſitum; unde hæretici Alogiani, id eſt *Averbii*, ne cogerentur fateri aliquam Trinitatis Perſonam eſſe Verbum, repudiârunt Evangelium S. Joannis; utì & ejuſdem S. Apocalypſim; referente D. Auguſtino, & Epiphanio *hæreſi 51.*

3. Probatur *ſecundò* authoritate SS. PP. ſignanter Cyrilli *lib. 7 theſaur. cap 1.* qui expendens *caput* 1. Joan. ubi ſæpius nomen Verbi reperitur. ait, *ut hoc nomen quaſi proprium Filii elegiſſe videatur, in principio inquit erat Verbum, & Verbum erat &c. Vides quomodo ipſum eſſe Filii ſecundùm naturam hoc nomen ſignificat.* Eandem Verbi Appellationem ùt propriam tribuit Filio S. Auguſtinus *lib. 7. de Trinit. cap. 2.* Et *lib. 15. de Trinit. cap. 17.* inquiens, *in hac Trinitate non dicitur Verbum, niſi Filius*: Ergo ſecunda Trinitatis Perſona, ſeu Filius Divinus propriiſſimè dicitur Verbum. Et eſt Ratio Theologica; quia eſſe propriè Verbum Divinum, eſt eſſe terminum productum per dictionem repræſentantem objectum: ſed hoc propriiſſimè convenit ſecundæ Trinitatis Perſonæ, ſeu Filio Divino: Ergo &c.

4. Objiciunt Hæretici *primò* quidam SS. PP. faciunt nomen Verbi commune omnibus tribus Perſonis: Ergo non eſt prædicatum ùt proprium Filio conveniens: Prob. Ant. quia ſic loquitur S. Irenæus *lib. 2. cap. 48.* ubi totum DEUM dicit eſſe *Logon*, id eſt Verbum. Et D. Ambroſius *lib. unico de Filii Divinit. cap. 5.* ait, Filium eſſe *Verbum de Verbo, ſicut Lumen de Lumine.* Et S. Dionyſius inter nomina communia DEI *lib. de Divin. Nomin.* præter Vitam Sapientiam, Mentem, Largitorem, etiam commemorat *Verbum*, *Secundò*: alii PP. ùt Theophil. in *cap. 1. Joan.* & Chryſoſtomus docent, nullum nomen proprium poſſe inveniri in DEO. *Tertiò*: alii ùt Baſilius *lib. 5. contra Eunom. cap. 11.* dicunt appellationem Verbi etiam Spiritui Sancto convenire, fundantes ſe in illo ad Hebr. 1. *portans omnia Verbo virtutis ſua. Quartò* tandem uni Perſonæ nequeunt convenire duæ proprietates hypoſtaticæ: Ergo nec Filio eſſe Verbum propriè, cùm ſit Filiatione propriè conſtitutus.

5. Reſpondeo Neg. Ant. & gloſſo SS. PP. relatos; ac primò ad *Irenæum* dico, eum ſolùm velle, quòd tota Perſona ſecunda Trinitatis, quæ eſt *Logos*, ſeu *Verbum*, ſit tota Logos, ſeu totus DEUS; & non pars DEI. Ad *Ambroſium* dico, eum non loqui ex mente propria. Ad *Dionyſium* dico, eum *loco cit.* complecti adunatim omnia nomina tam perſonalia, quàm attributa DEO eſſentialia à Theologis, adeoque & nomen Verbi cum aliis perſonalibus commemorat. Ad *Chryſoſtomum*, & *Theophilact.* dico, eos tantùm velle, quòd à nobis non poſſit inveniri prædicatum, vel nomen Eſſentiæ illius, utì eſt in ſe, quidditativè, & quietativè expreſſivum. Ad *Baſilium* dico, Spiritum S. vocari tantùm per figuram, & metaphoram Verbum; quæ in hoc conſiſtit, quòd ſicut Verbo proprium eſt ab aliqua Perſona procedere, & emitti ad exprimendum ejus ſenſum, & voluntatem; ita Spiritus S. dicitur Verbum Filii eò quòd à Filio emittatur, ad ejus ſenſum, & voluntatem intimandam ſecundùm illud Joan. 16. *ille me glorificabit; de meo accipiet, & annunciabit vobis.* Ad *textum D. Pauli* dico, ſenſum eſſe, quòd Filius DEI portet omnia Verbô, id eſt imperiô ſuô omnia conſervat eâdem facilitate, quâ producit. Ad *ultimum* Neg. Ant. nam Patri convenit tum proprietas hypoſtatica Paternitatis; tum Spirationis activæ. Deinde dico, eſſe unam eandemque proprietatem hypoſtaticam Filii, quæ dicitur Filiatio, & ratio Verbi; & ſolùm ratione, ac conceptu noſtrô diſtinctam, utì ſentiunt SS. PP. Auguſt. Athan. Nazianz. &c.

ARTICULUS III.

Secunda Perſona Trinitatis eſt incarnata; & eſt verus Meſſias.

1. Dico primò: Secunda Trinitatis Perſona ſeu Filius Divinus reverà eſt incarnatus; de quo myſterio prodiit Chriſtus Salvator mundi: Ita Catholici; contra Arianos, Sabellianos, Cerinthianos, & alios plures Hæreticos, qui negant in Chriſto eſſe aliquam Perſonam Divinam; ſed humanam duntaxat.

Probatur

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ, quæ fatetur Incarnationem factam in ſecunda Perſona Trinitatis; ſic dicitur Joan. 1. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*. Et ad Galat. 4. *Miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere*. Et ad Rom. 8. *DEUS Filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati*: Ergo &c. *Secundò* ex Symbolis Oecumenicis Fidei, ut Nicæno, Conſtantinopolitano, & Apoſtolico, in quibus Incarnatio ſecundæ Perſonæ Trinitatis apertiſſimè credenda proponitur. *Tertiò* ex SS. PP. qui uno ore omnes fatentur Filium DEI ſeu ſecundam Trinitatis Perſonam verè & propriè fuiſſe incarnatam: Ergo &c.

3. Objectiones Hæreticorum huic doctrinæ Catholicæ oppoſitæ fundantur in eo potiſſimè, quòd ex reali Incarnatione ſecundæ Perſonæ Trinitatis ſeu Filii ſequeretur, Chriſtum ex tali myſterio conſurgentem eſſe verum DEUM, haberéque etiam naturam Divinam: quod ajunt eſſe falſum: ſed hæ ſolventur infra *artic. ſequenti* agendo de Chriſti Divinitate.

4. Dico ſecundò: ſecunda Perſona incarnata fuit verus Meſſias in lege promiſſus; ſicque Meſſias jam venit, qui fuit JESUS Chriſtus natus ex MARIA Virgine. Ita Catholici; contra Judæos.

5. Probatur *primò*: omnia vaticinia veteris Teſtamenti facta de adventu Meſſiæ, & aliis eundem concernentibus ſunt adimpleta per Incarnationem ſecundæ Perſonæ Trinitatis, & in JESU Chriſto: Ergo ipſe fuit verus Meſſias in lege promiſſus. Prob. Ant. afferendo celebriora vaticinia veteris Teſtamenti de futuro Meſſia, & Chriſto loquentia. Et *primum* habetur Gen. 49. quod ſecundùm vulgarem Latinam editionem ſic ſonat; *non auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium*; ſecundùm verò Hebraicam ſic; *non recedet Sceptrum de Juda, & Scriba ſive Legum Lator de medio pedum ejus, donec veniat Siloh* (id eſt Meſſias, ùt interpretatur Barrad. & noſter Galat. *lib. 4. cap. 4.*) *cui nationes ſervient*. Secundùm autem paraphraſim Chaldaicam ſic, *non auferetur, qui facit poteſtatem, de domo Juda, & Scriba de filiis filiorum ejus, uſque in ſæculum, donec veniat Meſſias, cujus eſt regnum, & ei obedient populi*. Secundùm tandem 70. Interpretes, *non deficiet princeps de Juda, donec veniant, quæ repoſita ſunt ei*, id eſt, inſignia beneficia, per Meſſiam promiſſa generi humano, ùt legit S. Auguſtinus *lib. 12. contra Fauſtum cap. 42*. Sed jam ab annis 1687. irrecuperabiliter Sceptrum (id eſt Regia dignitas) & Scriba (id eſt poteſtas legislativa) ablata ſunt à Juda, & tota gente Hebræorum, cum eorundem diſperſione per orbem; unde de eis jam olim rectè dixerat vetus Scriptor Tertullianus *in Apolog. cap. 21. diſperſi, palabundi, & cœli, & ſoli ſui extorres vagantur per orbem, ſine homine, ſine DEO Rege, quibus nec advenarum jure terram patriam ſaltem veſtigiò ſalutare conceditur*. Et in hujus diſperſionis Judæorum, & ablationis Sceptri, atque Scribarum, tempora incidit Nativitas Meſſiæ JESU Chriſti: Ergo hoc vaticinium de adventu Meſſiæ jam eſt adimpletum per Incarnationem ſecundæ Perſonæ Trinitatis, & in JESU Chriſto. Prob. Min. Herodes alienigena excluſis Machabæis arripuit Sceptrum Judæ, & teſte Joſepho Judæo regnavit annis 37. ſub cujus regni finem natus eſt JESUS Chriſtus ex MARIA Virgine; nec amplius ab illo tempore Regiam dignitatem, aut poteſtatem legislativam adepti fuêre Hebræi: Ergo jam annis 1687. irrecuperabiliter Sceptrum, & Scribæ ablata ſunt à Juda, & tota gente Hebræorum.

6. Hebræi ad elidendum hoc argumentum varia excogitârunt effugia. *Primò* enim quidam eorum cum Rabbi Moyſe Ægyptio apud Burgen. *1. par. Scrutinii, diſt. 3.* contendunt Sceptrum, & Regiam dignitatem reſpectivè ad ſuos Judæos adhuc remanere penes principales quoſdam Hebræos de tribu Juda, in Babylone commorantes, quos dicunt eſſe reliquias Judæorum; eò in captivitatem olim translatorum: vel certè penes alios inter montes Caſpios incluſos tempore ejusdem captivitatis. Contra: hoc effugium fundatur in mero fabuloſo commento; nam neque ex ullis veridicis hiſtoriis, Cosmographiis, aut relationibus authenticis conſtat, hujuſmodi Hebræos Regiâ dignitate fulgentes adhuc reperiri in Babylone: & ſanè cùm hæc urbs cum ſua ditione tota ſub faſtuoſo, atque Tyrannico Turcarum imperio vaſalla gemat, quod ſocium regiminis nequaquam tolerat, præſumendum eſt, nullum Hebræum Regis charactere ibidem pollere. Addo, quòd olim circa decimum ab hinc ſæculum, Perſarum Califfæ potiti Babylone, omnes Judæorum Scholas, Synagogas, & Academias penitus everterint, ac omnis eorum exigua dignitas, & præeminentia Patriarchalis duntaxat, quæ adhuc poſt transmigrationem eò remanſerat, inter eos totaliter extincta ſit.

7. *Secundò* reſpondent alii: memoratum vaticinium non colſimare ad adventum veri Meſſiæ; ſed ad adventum Regis Saulis in Silo; unde tunc venit *Siloh*, quia venit Saul ad oppidum Silo, ut ungeretur in Regem. Contra; de Saule veniente in Silo non verificantur

ficantur aliæ partes hujus vaticinii; nam ejus tempore non fuit ablatum Sceptrum de Tribu Juda; cùm Tribus Juda illud tunc non tenuerit; ſed Tribus Ephraim, de qua erat Samuel anteceſſor Saulis, qui cum charactere Judicis ſupremi rexerat Hebræos; nec ipſe fuit unctus in Silo; ſed in Ramatha, quando Samuel effudit Lenticulam olei ſuper caput ejus.

8. *Tertiò* dicunt alii hoc vaticinium loqui vel de Salomone, qui fuit Siloh, id eſt Rex pacificus, & Meſſias; quia liberavit populum Iſraëlitarum ab infeſtatione hoſtium, pacémque univerſalem invexit in Judæam, utì patet 3. Reg. 4. undè meritò dicitur *Siloh*, id eſt Rex pacificus, & Meſſias. Vel certè loquitur de Jeroboam Rege in Silo coronato. Vel de Nabuchodonoſore captivante Judæos ex Divino decreto. Contra: nec Salomoni, nec ulli ex memoratis conveniunt alia prædicata, præfato vaticinio inſerta; nam Salomon non fuit *expectatio gentium*, ſiquidem nil beneficii eis contulit: nec ejus tempore fuit ablatum Sceptrum de Juda; cùm ipſe fuerit Rex ſuper Juda, utì & filius ejus Roboam. Jeroboam autem non fuit in Silo in Regem coronatus; ſed in Sichem: utì colligitur ex 3. Reg. 12. Nec abſtulit Sceptrum à Juda, ſed illud remanſit penes Tribum Judæ uſque ad captivitatem Babylonicam. Nabuchodonoſor verò captivando filios Iſraël in Babylonem, pariter regiam dignitatem tunc non extinxit in Juda; quia poſt illam captivitatem fuerunt nonnulli Supremi Principes ſuper Juda, ùt Zorobabel, Eſdras, & alii, nati de eadem Tribu.

9. *Quartò* alii reponunt; iſtud vaticinium adimpletum eſſe tempore captivitatis Babylonicæ: Ergo aut Incarnatio Verbi jam pridem peracta fuit, Meſſiáſque venit ante JESU Chriſti adventum: aut certè ex illo nihil probatur. Ant. patet ex *cap. ult. Reg.* ubi habetur omnes Hebræos cum ſuo Rege vaſtatâ Judæâ, & Jeruſalem, à Nabuchodonoſore ductos fuiſſe in captivitatem; atque ita ablatum quoque fuiſſe ſceptrum à Juda. Contra; tempore captivitatis penes Judices aliquos ſupremos remanebat ſpecies quædam poteſtatis ſaltèm legislativæ, ſeu Scribarum; utì conſtat ex hiſtoria Suſannæ Dan. 13. & conſequenter iſtud vaticinium quoad hanc partem non fuit adimpletum. Inſuper poſt mortem Regis Judæ, Joachim ſimul captivati in Babylone, Zorobabel de Tribu Juda conſtitutus fuit Præfectus, & Dux ſuper Judæos.

10. Sed inſtant Rabbini RR. Saltèm poſt hunc Ducem, & Eſdram per 400. annos fermè nulla Species dignitatis Regiæ, Ducalis, vel poteſtatis legislativæ ampliùs fuit viſa penes deſcendentes ex Tribu Juda; quia Machabæi tunc regnantes non erant de Tribu Juda; ſed de genere Levitico, & ordine Sacerdotali: Ergo totis illis 400. annis tempore Machabæorum ſceptrum fuit ablatum à Juda; & conſequenter antequam Chriſtus naſceretur. Contra: Machabæi poſt mortem Eſdræ per annos circiter 400. habentes Sceptrum ſuper Judæos, revera cenſendi ſunt de Tribu Juda; nam poſt diviſionem decem Tribuum à Tribu Juda tempore Schiſmatis Jeroboam, Tribus Levi, ex qua deſcendunt Machabæi, utì & Benjamin, coäluerunt cum Tribu Juda per perpetuam confœderationem, & cohærentiam; utì colligitur ex 2. Paralip. 11. ubi dicitur, quòd Roboam, audiens defeciſſe à ſe decem Tribus, *convocavit univerſam domum Juda, & Benjamin centum octoginta millia Electorum, atque bellantium, ut dimicaret contra Iſraël & converteret ad ſe regnum ſuum.* Et infra, *imperavit ſuper Judam, & Benjamin; Sacerdotes autem & Levitæ, qui erant in univerſo Iſraël, venerunt ad eum* (videlicet Roboam Regem Juda) *de cunctis Sedibus ſuis, relinquentes ſuburbana, & poſſeſſiones ſuas, & tranſeuntes ad Judam, & Jeruſalem*: & per ejuſdem confœderationem, atque coaleſcentiam Tribus Levi (de qua prodierunt Machabæi) una quaſi Tribus effecta eſt; & à Scriptura pro una reputatur illis verbis, *iratúſque eſt Dominus vehementer Iſraëli, & abſtulit eos à conſpectu ſuo, & non remanſit niſi Tribus Juda tantummodo*; in quo tamen Sacerdotes, & Levitæ quoque erant. Unde cùm Machabæi ſic inſerti Tribui Juda poſt captivitatem Babylonicam regnaverint uſque ad tempora Chriſti, Regia vel Ducalis ſaltèm Dignitas remanſit penes Judam.

11. Probatur *ſecundò* Concluſio: ex alio quoque vaticinio, regiſtrato Daniel. 9. patet factum Incarnationis ſecundæ Perſonæ, adventusquè, & paſſio Meſſiæ jam peracta: nam *loc. cit.* dicitur, *animadverte Sermonem, & intellige Viſionem; ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum; & ſuper Urbem Sanctam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctiorum. Scito ergo, & animadverte ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum Ducem hebdomades 62. & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomadas 62. occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et Civitatem & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio: confirma-*

bit autem pactum multis hebdomada una; & in medio hebdomadæ deficiet Sacrificium, & hoſtia, & erit in templo abominatio deſolationis; & uſque ad conſummationem, & finem perſeverabit deſolatio: ſed iſtæ hebdomadæ 70. quæ faciunt 490. annos, intelligendo per unam hebdomadam 7. annos uti habetur Gen. 29. *vers. 26.* jam effluxerunt à tempore prædictionis: ſive capiantur anni pro annis Lunaribus, qui 11. diebus ſunt breviores, ùt vult Julius Affricanus: ſive prò ſolaribus, uti vult Lyra, Euſebius, Ambroſius, & communis Interpretum, ac TT. ſententia: Ergo jam peracta eſt Incarnatio, & venit verus Meſſias. Subſumo; ſed nullus convenientiùs aſſignari poteſt, quàm JESUS Chriſtus; nam ipſi ſoli conveniunt prædicata in præfato Vaticinio poſita, cùm ſolus ipſe ſit *Juſtitia ſempiterna, Sanctus Sanctorum: occiſus à populo ſuo*, is circa quem adimpletæ ſunt Prophetiæ variæ, *finis prævaricationis Judæorum; deletionis peccati* per occiſionem Filii DEI, & cui exactè computatio 70. hebdomadarum competit, ùt paulò poſt oſtendam: Ergo &c.

12. Ad hocquoque argumentum infringendum proterviendo reſpondent Rabbini Hebræorum; quòd in allegato Vaticinio ſit ſermo de hebdomadibus longioribus, quàm 7. annorum; unde dicunt ibi Sermonem eſſe de hebdomadibus, vel Olympiadum, vel Jubilæorum, vel Sæculorum, notabiliter longioribus ſecundùm ipſos; ac idcirco eaſdem necdum eſſe terminatas, & conſequenter nec Meſſiam adveniſſe; quia ſi per olympiades fiat numeratio illarum hebdomadarum, reſultant duo ferme millia annorum. Contra *primò*; S. Scripturæ mos non eſt per olympiades computare annos, ſicut faciunt Græci. Contra *ſecundò*; hebdomadæ ſecundum morem Scripturæ, uti patet Gen. 29. computantur ſecundùm ſeptennium, ita ut una hebdomas complectatur 7. annos, & non plus. Contra *tertiò*: ſi hebdomades iſtæ Danielis per Olympiades, Jubilæa, vel ſæcula deberent ſupputari, ſequeretur, Templum Jeroſolymitanum, & Civitatem non fore diſſipandam à populo cum Duce venturo (uti loquitur idem Vaticinium) niſi v. g. poſt 49. millia annorum correſpondentium 70. ſæculis; quod falſiſſimum eſt; cùm Templum, & Civitas Jeroſolymæ jam dudum ſub Tito, & Veſpaſiano Romanis Ducibus fuerint devaſtata, juxta prophetiam Chriſti dicentis, non remanſurum ibi lapidem ſuper lapidem.

13. Nota hìc; circa initium computandi memoratas 70. hebdomadas, eſſe ſententias varias, & intricatas: ego judico earum exordium cæpiſſe ſub imperio Perſarum, puta anno 28. Regis Artaxerxis Longimani, quò Edictum ejus de reædificanda Urbe Jeroſolymæ fuit executioni mandatum; & tunc propriè fuit *exitus ſermonis*, ſcilicet hujus edicti, *ut ædificetur Jeruſalem*, ſicut dicit textus citati Vaticinii; continuatio autem earundem contigit ſub Monarchia Græcorum; & tandem terminatio incidit in initium Monarchiæ Romanorum, à cujus Monarchiæ initio uſque ad Chriſti baptiſmum calculantur 59 anni videlicet 44. Imperii Auguſti, & 15. Tiberii, ſub cujus decimo quinto anno, referente D. Lucâ Evangeliſtâ, Chriſtus baptiſma ſuſcepit in Jordane. Itaque ſi annos computes ab anno 28. Artaxerxis Longimani uſque ad mortem Chriſti, reperies 490. qui faciunt exactè 70. hebdomadas, calculando pro una hebdomada 7. annos ſolares.

14. Probatur *tertiò* Concluſio variis aliis Prophetiis, & vaticiniis Veteris Teſtamenti; quibus varia circa verum Meſſiam venturum prædicuntur à ſanctis Prophetis; quæ omnia adimpleta ſunt in JESU Chriſto; & conſequenter jam Incarnatio eſt peracta, in perſona ſecunda Trinitatis, & JESU Chriſto, & conſequenter venit verus Meſſias: ſic Iſaiæ 7. habetur prophetia de ejus nativitate ex Virgine, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium,* JESUS Chriſtus autem conceptus eſt ex Virgine Luc. 1. Et Mich. 5. habetur Prophetia de ejuſdem nativitate in Bethlehem, *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio æternitatis &c.* JESUS Chriſtus autem natus eſt in Bethlehem Luc. 2. Et Zachariæ 9. habetur vaticinium de ejus paupertate, *Ecce Rex tuus venit tibi juſtus, & Salvator, ipſe Pauper, & aſcendens ſuper aſinam:* quod totum verificatur de JESU Chriſto, qui dicit de ſe Luc. 9. *vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.* Similiter Zachar. 11. ponitur prædictio de appretiatione Meſſiæ 30. argenteis, *appenderunt mercedem meam 30. argenteis*, Et Sap. 2. de morte turpiſſima ejusdem, *morte turpiſſima condemnemus eum* Et Pſal. 21. de crucifixione, & flagellatione, *foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Et Pſal. 56. de Reſurrectione: *Exurgam diluculò.* Et Pſal. 62. de Aſcenſione, *aſcendiſti in altum &c.* Et Joël vaticinatur Spiritûs S. miſſionem dicens, *effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem.* Et Baruch. 2. Legis novæ lationem, *& ſtatuam illis alterum Teſtamentum*; quæ ſingula, & complura alia vaticinia futuri Meſſiæ ad amuſſim in Chriſto impleta leguntur in hiſtoria Evangelica; & deberent

Digitized by Google

berent ſanè movere intelligentiores Rabbinos ad credendum in eum: ſed ùt bene hic advertit noſter eruditiſſimus Lyranus, ſola obſtinatio tenet eos in perfida expectatione Meſſiæ: Ergo jam Incarnatio eſt peracta, in ſecunda perſona, & venit verus Meſſias, qui eſt JESUS Chriſtus.

15. Fundamentum potiſſimum, ob quod Hebræi negant Incarnationem jam eſſe peractam, & veniſſe verum Meſſiam, eſt, quòd S. Litteræ Veteris Teſtamenti promittant tempore veri Meſſiæ quædam mira occurſura; eundémque varia beneficia, & bona temporalia allaturum populo Iſraëlitico; nam in adventu ejus juxta vaticinium Iſaiæ 11. *habitabit lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit, vitulus & leo, & ovis ſimul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.* Item *cap.* 2. idem S. Vates dicit, quòd *erit in noviſſimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium, id eſt elevatus ſuper omnes montes*: quæ omnia necdum contigerunt: Ergo necdum venit verus Meſſias. Reſpondeo; hæc & ſimilia plura alia in S. Scriptura regiſtrata non eſſe accipienda in ſenſu litterali, qui occidit; ſed in ſenſu ſpirituali, qui vivificat, ùt eruditè exponit Lyranus, & alii poſt eum interpretes. Itaque, illa habitatio agni cum lupo &c. intelligitur vel de futura pace, tranquilla habitatione, & gloria Eccleſiæ militantis, per Meſſiam aliquando extinctis Tyrannis inducenda; Vel de cohabitatione Gentilium converſorum, & omnium Nationum barbararum mundi (quæ rectè dicuntur Lupi, Pardi, Leones) cum mitibus Chriſtianis, ceu agnis & ovibus in eadem Eccleſia.

ARTICULUS IV.

De natura Divina, ſeu Divinitate Chriſti.

1. Dico primò: Chriſtus habet veram Divinam naturam; ſicque eſt verus DEUS. Ita Catholici; contra Ebionitas, Cerinthianos, Samoſatenianos, Photinianos, Arianos &c. aſſerentes Chriſtum purum hominem.

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; in qua extant complura aperta teſtimonia de natura Divina, ſeu Divinitate Chriſti: ſic dicit DEUS Pater Pſalm. 2. de Chriſto *Filius meus es tu* (ſubaudi naturalis) *ego hodie genui te.* Et Matth. 3. de eodem Chriſto dicit idem Pater *hic eſt Filius meus dilectus.* Et rurſus de eodem dicit Petrus Matth. 16. *Tu es Chriſtus Filius DEI vivi.* Et Luc. 1. dicitur, *quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Et 1. Joan. c. 5. *ſimus in vero Filio ejus* JESU Chriſto. Et alibi paſſim extant complura alia teſtimonia quibus Chriſtus vocatur Filius DEI: Sed eſſe Filium DEI natutalem, eſt habere Divinam naturam, ſeu Divinitatem: Ergo Chriſtus habet veram Divinam naturam, ſeu Divinitatem.

3. Reſpondent Hæretici: hæc & ſimilia teſtimonia tantùm velle, quòd Chriſtus ſit Filius DEI adoptivus; ac proinde carens naturâ eâdem Divinâ cum Patre. Contra: Filius per adoptionem eſt omnis juſtus: at teſtimonia præfata altiorem, & nobiliorem probant filiationem, quæ eſt ſpecialiſſima Chriſto; nam dicunt illam eſſe veram, & provenire à vera generatione æterna, ac Divina Patris; utì rectè obſervant SS. PP. ſignanter S. Ambroſius ſcribens in *Epiſtolam ad Hebr.* ubi ait, *quod verò dixit, filius meus es tu, ego hodie genui te, apertè manifeſtat, quod idem, de quo ait, ero ei in Patrem, ex ipſa eſſentia Patris ſit genitus.* Et S. Chryſoſtomus, S. Athanaſius, S. Cyrillus, & Cyprianus *lib. 2. contra Jud.*

4. Probatur *ſecundò*: in eadem Scriptura de Chriſto dicitur ad Hebr. 1. *Et cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit; & adorent eum omnes Angeli ejus.* Et 1. Petri 3. *per reſurrectionem JESU Chriſti, qui eſt in dextera DEI.* Et Joan. 10. *Ego & Pater unum ſumus.* Et Luc. 5. dimittit Chriſtus peccata. Et Luc. 11. cognoſcit cogitationes Judæorum ſeu ſecreta cordium. Et Matth. 9. verbô ſuſcitat mortuam puellam: ſed adorari ab Angelis, ſedere in dextera DEI; eſſe unum cum Patre, dimittere authoritativè peccata, cognoſcere Secreta cordium, & unico verbo ſuſcitare mortuum, non conveniunt puro homini; ſed habenti Divinam naturam: Ergo &c.

5. Probatur *tertiò*: Chriſtus eſt verus Meſſias in lege promiſſus, utì *priori art.* probatum eſt: ſed verus Meſſias habet Divinam naturam ſeu Divinitatem, eſtque propterea verus Deus utì dicitur de eo Iſaiæ 38. *DEUS ipſe veniet, & ſalvabit nos.* Et *cap. 43. in te eſt Deus, & non eſt Deus abſque te; verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Salvator.* Et Baruch 3. *cap. hic eſt DEUS noſter &c. & cum hominibus converſatus eſt.* Et tandem de Chriſto procedit illud dictum Iſa. 9. ejus Divinitatem comprobans; *parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis &c. & vocabitur nomen ejus admirabilis, DEUS &c.* Et illud Joan 1. *In principio erat Verbum & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum &c. omnia per ipſum facta ſunt &c.* Et *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.*

5. Objici-

6. Objiciunt Hæretici *primò*: Chriſtus eſt verus Meſſias in lege promiſſus: ſed verus Meſſias non habebit naturam Divinam; neque erit DEUS; ſed purus homo: nam de eo dicitur Gen. 3. *erit ſemen mulieris conterens caput ſerpentis.* Et Deut. 18. de eodem dicitur, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me, Suscitabit tibi Dominus DEUS; ipſum audies.* Et Pſalm. 102. *de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Min. & ad objectas Scripturas, quæ revera loquuntur de Meſſia Chriſto, dico, ex illis quidem conſtare, Meſſiam, & Chriſtum habiturum veram naturam Humanam, foréque hominem non tamen excludunt ab eodem Divinam naturam, quam aliæ Scripturæ ſupra allatæ eidem attribuunt.

7. Objiciunt *ſecundò*: Chriſtus oravit, & invocavit Patrem: Ergo non eſt DEUS. Præterea Chriſtus ponitur à Scriptura Mediator apud DEUM: ſed Mediator nequit eſſe ſimul DEUS; quia aliàs ſequerentur ſequentia abſurda. *Primò* quòd DEUS fieret ſeipſo inferior. *Secundò* DEUS oraret ſeipſum: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Diſt. Ant. Secundùm naturam humanam oravit, & invocavit Patrem Concedo Ant. Secundùm naturam Divinam Neg. Ant. *Ad ſecundum* Neg. Min. & ad primum abſurdum dico, illud non ſequi: quia DEUS Mediator ratione officii tantùm cenſetur fieri inferior: non autem ratione naturæ Divinæ. Ad ſecundum dico; cùm Chriſtus Mediator oret ſecundùm naturam humanam, nullum abſurduminde ſequitur; cùm hæc ſit alia à natura Divina.

ARTICULUS V.

De natura humana, ſeu humanitate Chriſti.

1. DIco primò: Chriſtus præterea habet veram naturam humanam, & conſtantem animâ rationali, ac corpore humano; ſícque eſt verus homo. Ita Catholici; contra Cerdonianos, Proclianitas, Appellitas, Manichæos, Priſcillianiſtas, Valentinianos, & Apollinariſtas, qui omnes, etſi per diverſas vias gradientes, negant Chriſtum eſſe perfectum hominem.

2. Probatur *primò*: S. Scriptura dicit Chriſtum venire de ſemine Abrahæ Gen. 22. & ad Gal. 3. *Abrahæ dicta ſunt promiſſiones, & ſemini ejus.* Et ad Rom. 1. dicitur eſſe de ſemine David, *qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem*: ſed quod deſcendit ex ſemine humano Abrahæ, & David, habet veram naturam humanam conſtantem animâ rationali & corpore: Ergo Chriſtus habet veram naturam humanam; ſícque eſt verus homo. *Secundò*: S. Scriptura ſæpe facit mentionem ſanguinis veri, & animæ veræ Chriſti, quæ comprehendunt veram naturam humanam, ſeu humanitatem: ſic dicitur de ſanguine ad Hebr. 9. *ſi enim ſanguis hircorum, aut taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis; quantè magìs ſanguis Chriſti.* Et 1. Pet. 1. *non corruptibilibus, auro, & argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati, & immaculati Chriſti.* Et 1. Joan. 1. *Sanguis JESU Chriſti Filii DEI emundat nos ab omni peccato.* De anima verò dicitur Joan. 12. *nunc anima mea turbata eſt.* Et Matth. 26. *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: ſed quod conſtat ſanguine vero, & anima rationali vera, habet humanam naturam: Ergo talem habuit Chriſtus. *Tertiò*: eandem veritatem determinarunt Concilium Nicænum I. *in Symb.* Et Conſtantinopolitanum II. *in Epiſtola ad Damaſum Papam.* Et Chalcedonenſe *in Decreto Fidei.* Et SS. PP. Theodoretus *lib. 1. contra Hæret. cap. 14.* Et Tertullianus *lib. de carne Chriſti.* Et Fulgentius Martyr, Gregor. Nazianz. &c. *Quartò*: Chriſtus fuit Mediator hominum; ſuſtinuit vera vulnera, ac alias paſſiones, ſitim, habuit veram nativitatem, conceptionem, ambulavit, comedit, fuit fatigatus; quæ omnia arguunt in eo eſſe veram naturam humanam, ipsúmque eſſe verum hominem. Ergo &c.

3. Objiciunt Hæretici *primò* ſignanter Manichæi: Chriſtus fuit tantùm *in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ad Philip. 2. Ergo non fuit verus homo, ſed ſimilitudinarius tantùm. *Secundò* Appollinariſtæ: ſi Chriſtus haberet naturam humanam ſicut nos, eſſet pars mundi, inquit Apollinaris: ſed hoc dici nequit; quia pars mundi non poteſt afferre ſalutem mundo: Ergo &c. *Tertiè* iidem: duæ naturæ, humana ſcilicet, & Divina in Chriſto nequeunt ſimul coäleſcere: Ergo Chriſtus humanam non habuit. Reſpondeo ad Primum Neg. Conſeq. quia ly *in ſimilitudinem* non excludit realitatem, & veritatem naturæ humanæ in Chriſto; utì conſtat ex illo Gen. 5. ubi dicitur, quòd Adam genuit filium *ad ſimilitudinem ſuam*; qui tamen erat verus homo: quæ ergo ſunt ejusdem

ſpeciei in Scriptura ſimilia dicuntur. Vel dici poteſt, quòd Chriſtus dicatur in ſimilitudinem hominum factus; quia habuit naturam in ſimilitudinem carnis peccati, ùt dicitur ad Rom. 8. licèt ipſum peccatum non habuerit. *Ad ſecundum* Neg. Min. cum ſua Ratione; quid enim obſtat, quò minùs pars mundi, ſeu unum individuum à DEO determinatum ſalutem afferat toti mundo? & ſanè decebat, ut homo nobis ſimilis eam afferret; cùm ſcriptum ſit in Pſalm. 48. *Frater non redimit, redimet homo.* Ad *Tertium* Neg. Ant. nam cùm duæ naturæ Chriſti unicâ duntaxat conſtent perſonâ; idcirco ſimul coaleſcere poſſunt unione hypoſtaticâ.

4. Dico ſecundò: Anima Chriſti, fuit vera Anima rationalis, ejusdem ſpeciei cum noſtris animabus rationalibus. Ita Catholici; contra Arianos, & Apollinariſtas.

5. Probatur *primò*: S. Scriptura aperta profert teſtimonia de vera anima rationali Chriſti, ejusdem ſpeciei cum noſtris animabus; ſic dicitur Joan. 12. *nunc anima mea turbata eſt.* Et Matth. 26. *triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*; quæ intelligi nequeunt ſecundùm Arium de Verbo, quod eſſet loco animæ; quia Verbum nequit turbari, triſte fieri, & ſimilibus paſſionibus ſubjacere. Item Iſaiæ 12. dicit Chriſtus, *poteſtatem habeo ponendi animam meam*; quæ verba libertatem arbitrii, & conſequenter animam rationalem ſimilem noſtris indicant: Ergo &c. *Secundò*: Chriſtus totum hominem redemit, unde dicit Joan. 7. *totum hominem ſanum feci in Sabbatho*: Ergo etiam totum hominem aſſumpſit; & conſequenter veram animam rationalem ſimilem noſtris animabus, utpote quæ vera pars hominis eſt. *Tertiò*: eandem doctrinam definivit Concilium Epheſinum *cap.* 13. Et Chalcedonenſe; & Romanum ſub Damaſo Papa. Et tenent uno ore SS. PP. Leo in *Epiſt.* 11. Et 72. Et 93. Et Auguſtinus *contra Felician. Arian. cap.* 13. *Quartò*: DEUS nequit fieri forma corporis, cùm hoc dicat imperfectionem, & rationem partis: Ergo nec Verbum in Chriſto fieri potuit anima.

6. Objiciunt Hæretici, ſignanter Apollinaris *primò*: ſi Chriſtus habuiſſet veram animam rationalem, ſimilem noſtris animabus, habuiſſet cogitationes peccatorum, & maximè illecebrarum carnis: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Secundò* Chriſtus non habuit humanam mentem; quia hæc fuiſſet ſuperflua, aut extincta per Divinam mentem: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam cogitationes peccatorum, maximè illecebrarum carnis ſecundùm S. Athanaſium *lib. de ſalute advenarum* oriuntur in animabus noſtris ob transgreſſionem, ſeu peccatum Adæ; unde & fœtus peccati appellantur: at in Chriſti anima non conſurgunt ejusmodi cogitationes, utpote quem Adæ transgreſſio non concernit. Et quia anima Chriſti ab inſtanti creationis fuit ſancta, beata, & ita unita Divinitati, ut ſimilibus cogitationibus exerceri non poſſet. *Ad ſecundùm* Neg. Ant. cum ſua Ratione: nam quamvis mens creata animæ rationalis Chriſti moderationem acciperet à Divina mente; ipſa tamen integra in ſua entitate perſiſtebat: nec ſuperflua fuit; quia ad actiones humanas creatas quà tales neceſſaria erat; quas natura humana Chriſti edere debebat in teſtimonium veræ humanitatis ejuſdem Chriſti.

7. Dico tertiò: ſimiliter corpus Chriſti, fuit verum phyſicum, ſublunare corpus, & caro ejuſdem ſpeciei cum noſtris corporibus humanis. Ita Catholici; contra Appellitas, Cerdonianos, Marcion: Proclianitas, Priſcillianos, Valentinianos, Manichæos, Eutychianos, & Apollinariſtas.

8. Probatur *primò*: S. Scriptura enumerat veram generationem, filiationem, & nativitatem Chriſti ſecundùm carnem phyſicam, veram; unde dicit Matth. 1. *Liber generationis JESU Chriſti Filii David, Filii Abraham, Abraham genuit Iſaac &c.* & infra, *Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS, qui vocatur Chriſtus*: Et Luc. 1. vocatur Filius B. Virginis; *Ecce concipies, & paries Filium &c.* Et ad Gal. 4. dicit eum *factum ex muliere*: Sed ſi Chriſtus haberet fictam carnem, ùt volunt Cerdoniani; vel carnem phantaſticam, ùt ſomniant Manichæi; vel de cœlo tractam, ùt autumant Valentiniani; vel de ſolis elementis conflatam, ùt fabulantur Appellitæ; vel ex aliqua parte Verbi Divini converſi aptatam, ùt contendunt Apollinariſtæ; malè enumeraretur generatio Chriſti ſecundùm carnem veram, & falsè vocaretur filius Abrahæ, & David; cùm carnem ab eis derivatam non haberet: Ergo Chriſtus revera habet corpus phyſicum verum ſublunare, & carnem ejusdem ſpeciei cum carne noſtrorum corporum. *Secundò*: Chriſtus more aliorum hominum comedit, ſitim, & dolores in Cruce & alibi ſenſit, fixuras à clavis ſuſtinuit, carnem palpandam præbuit, aliáque ſigna corporalia veræ carnis ſublunaris, & ejusdem ſpeciei cum noſtra carne edidit: Ergo &c. *Tertiò*: eandem conditionem carnis veræ phyſicæ, & ſimillimæ noſtris carnibus definierunt Concilium Chalcedonenſe, Nicænum I. & Romanum ſub Damaſo, Et Epheſinum

ſinum *can.* 3. Et Hiſpalenſe II. *cap.* 13. Et Braccarenſe I. *cap.* 4. Et Nicænum *in ſymb.* Et ſubſcribunt omnes SS. PP. Fauſtinus *lib. contra Arian. cap.* 3. Et Ambroſius, Gregor. Nazianz. Fulgentius & Tertullianus *lib. de carne Chriſti*: Ergo &c.

9. Objiciunt Hæretici, & *primò* Valentiniani: 1. ad Cor. 15. dicitur; *primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de cœlo cœleſtis*: Ergo corpus & caro Chriſti fuit materiæ cœleſtis. *Secundò* Manichæi dicunt; 2. ad Cor. 5. dicitur, *ſi cognovimus Chriſtum ſecundùm carnem; ſed jam non novimus*; quem textum Fauſtus Manichæus ſic gloſſat, quòd Paulus primò exiſtimabat habere veram carnem; poſteà verò doctior factus mutavit ſententiam, & agnovit Eum non verâ carne; ſed apparenti duntaxat carne velatum: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Scripturam, & dico, quòd ſecundus homo, ſeu Chriſtus dicatur *cœleſtis* non à materia cœleſti carnis; ſed à Divina perſona, & natura. Vel quia cœleſtem duxit vitam. Vel quia ſtatim ab initio ejus anima habuit gloriam cœleſtem, licèt in corpus non redundaverit ſtatim; quem ſenſum affert S. Chryſoſtomus *hom.* 42. *in* 1. *ad Cor.* Et S. Auguſtinus *lib.* 15. *de Civit. cap.* 23. *Ad ſecundum* dico, illam Fauſti gloſſam eſſe blaſphemam: itaque vera gloſſa illius Scripturæ eſt, quòd Paulus loquatur de conditione carnis paſſibilis, in qua cognovit Chriſtum, dum vitam mortalem ageret: ſed jam Eum ita mortalem non novit; quæ expoſitio traditur in Syn. VII. *act.* 6. quadrátque Pauli verbis deinde ſubtextis, *& qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed Ei, qui pro eis mortuus eſt, & reſurrexit.*

10. Dico quartò: natura humana Chriſti permanſit ſtabiliter in Chriſto impermixta, ſalvis ſuis proprietatibus; quare caro ejus vera non fuit converſa ullatenus in Divinitatem, vel Verbum. Ita Catholici; contra Eutychianos, Apollinariſtas, Dioſcorianos, & Acephalos.

11. Probatur *primò* omnibus illis authoritatibus Scripturæ, quibus *prior conclu.* oſtenſum eſt, Chriſtum peractô jam myſteriô Incarnationis & Nativitatis habuiſſe veram humanam naturam, & corpus phyſicum ejuſdem ſpeciei cum noſtris corporibus, & carne humana: Ergo gratìs fingitur in ipſo Incarnationis momento eadem converſa in Divinitatem. *Secundò*: hoc dogma erroneum damnatum fuit à generali Concilio Chalcedonenſi, quod *act.* 5. *in Symb.* ait, *confitemur in noviſſimis diebus Filium DEI in duabus naturis inconfuſè &c. ſalvâ utriuſque naturæ proprietate. Tertiò* peractô myſteriô Incarnationis in Chriſto remanſerunt omnes ſignaturæ humanitatis; unde eſuriebat, patiebatur ab elementis calorem, & frigus, aliáſque miſerias corporales: Ergo &c.

12. Dico quintò: Chriſtus ſecundùm naturam humanam fuit verè paſſus, crucifixus, & mortuus; & non ſecundùm Divinam. Ita Catholici; contra Eutychianos, & Anacephalos, aſſerentes Divinitatem in cruce paſſam: & contra Baſilidianos, dicentes Simonem, Cyrenæum, quem teſte Scripturâ angariaverunt Judæi, ut ſuſtolleret Crucem crucifixum fuiſſe: & contra Marcitas, volentes Chriſtum tantùm putativè eſſe paſſum.

13. Probatur *primò*: S. Scriptura in quatuor Evangeliis narrat diſtinctè Chriſtũ ſecundùm naturã humanam verè, & realiter eſſe paſſum; & non Divinitatem; vel ſimonem Cyrenæum; vel aliquod phantaſma Chriſti. Item 1. Petri 4. dicitur, *Chriſtô igitur paſſô pro nobis in carne, & vos eadem cogitatione armamini*: carne dicit paſſum, non DEItate, vel in Cyrenæo, vel phantaſmate. Et 2. ad Cor. 13. dicitur, *nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate.* Prophetiæ etiam Veteris Teſtamenti de paſſione Chriſti, loquuntur de paſſione in carne humana vera peragenda; ſic dicitur *Pſalm.* 21. qui eſt de perſona Chriſti, *foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea.* Et Iſa. 64. *corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Secundò*: eandem veritatem Orthodoxam definierunt Concilium Chalcedonenſe, Epheſinum; & Hiſpalenſe II. *cap.* 13. Et habetur *in Symbolo* Athanaſii; *unus autem non converſione Divinitatis in carnem.*

14. Objectiones Hæreticorum contra 4. & 5. concluſ. innituntur meris conjecturis, & figmentis, arbitrariíſque aſſertionibus, directè adverſantibus S. Scripturæ adductæ; ideóque eaſdem non recenſui: ſed ſimpliciter negandæ ſunt.

ARTICULUS VI.

De unica perſona Chriſti.

1. DIco primò: In Chriſto datur unica duntaxat Perſona Divina perſonans naturam Divinam, & Humanam; unde non eſt alius Filius DEI, & alius Filius Virginis. Ita Catholici; contra Neſtorianos, & Gnaphæanos.

2. Probatur *primò*; S. Scriptura paſſim appellat eundem Chriſtum Filium DEI, & hominem: ſed ſi in ipſo eſſent duæ perſonæ, deberet unum ab altero diſtingvere: Ergo non ſunt ibi diverſæ Perſonæ, ſcilicet humana, & Divina; ſed Divina duntaxat. Major conſtat ex illo ad Gal. 4. *miſit DEUS Filium ſuum, factum ex muliere.* Et Marci 14. *tu es Chriſtus Filius DEI benedicti? ego ſum.* Et Joan. 9. *credis in Filium DEI? quis eſt Domine, ut credam in eum? vidiſti eum, & qui loquitur tecum ipſe eſt.* Et ad Rom. 9. *Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt DEUS ſuper omnia benedictus in ſecula.* Et Luc. 1. *quod enim ex te naſcetur Sanctum, vocabitur Filius DEI.* Et de eadem prorſus Divina ſecunda Perſona Trinitatis, quæ per Incarnationem conſtituit Chriſtum, dicitur Joan. 1. *Verbum erat apud DEUM & DEUS erat Verbum.* & infra, *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis*; Ergo idem eſt Filius DEI & homo, ſeu Filius Virginis; ac proinde unica tantùm in Chriſto Perſona Divina. *Secundò*: unicam in Chriſto dari Perſonam Divinam definiunt antiqua Concilia contra Neſtorianos, ſcilicet Epheſinum, Chalcedonenſe, Lateranenſe & Toletanum. Idem tenent SS. PP. unanimiter, ùt Athanaſius *in Symbolo: qui licèt DEUS ſit & homo; non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus; unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ.* *Tertiò*, otiosè ponitur perſona creata in Chriſto; cùm totum munus ejus ſuppleatur ſufficienter per Divinam: Ergo &c.

3. Objiciunt Neſtoriani *primò*: ipſi SS. PP. diſtingvunt in Chriſto duas perſonas: unde dicit Leo Papa, *aliud eſt quod coruſcat miraculis; & aliud, quod ſuccumbit opprobriis in Chriſto*: Ergo &c. *Secundò* Joan. 2. dicitur, *ſolvite templum hoc*; ubi, inquit Neſtorius, *non ait, Chriſtus ſolvite me*; quaſi eſſet unus: ſed *ſolvite templum*, quaſi quoddam diverſum, in quo habitat DEUS, qui eſt omnino à templo ſuo, in quo habitat, diſtinctus: Ergo &c. *Tertiò*: Matth. 27. dicit Chriſtus, *DEUS meus, ut quid dereliquiſti me*: ex quo habetur, quod Divinitas, & conſequenter Divina Perſona Chriſtum dereliquerit: Ergo ſaltèm pro tempore paſſionis in natura humana Chriſti fuit propria perſona: ſi autem tunc adfuit, argumento eſt, eam ſemper adfuiſſe. *Quartò* niſi MARIA dicatur ſimul generâſſe perſonam Humanam Chriſti, non poſſet dici Mater Chriſti: Ergo eandem genuit; & ſic ſunt in Chriſto duæ perſonæ. *Quintò* MARIA non eſt *Theotocon*, id eſt Mater DEI; cùm ipſius perſonam Divinam Chriſti non genuerit: Ergo humanam genuit. *Sextò* Qui fieri poteſt, inquit Neſtorius, ut duæ naturæ in unam Perſonam coëant in Chriſto, & quodammodo monſtrum efficiant? *ſeptimò* ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas vix intelligitur quid ſit; & multi eam in negatione, vel modo indiſtincto à natura collocant: Ergo ea remanſit in natura humana Chriſti: ſicque in Chriſto ſunt duæ perſonæ.

4. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad authoritatem S. Leonis dico, ipſum tantùm velle, quòd in Chriſto ſint diſtinguendæ duæ naturæ, quarum una ſcilicet Divina miraculis coruſcat; altera id eſt humana, opprobriis ſuccumbat. *Ad ſecundum* dico, Chriſtum in illo textu loqui de ſua morte, quæ eſt diſſolutio humanitatis, ſeu corporis & animæ, quæ ſunt partes humanitatis conſtituentes *templum*: cum qua ſolutione ſtat, quòd ſit in tali templo unica perſona Divina, quæ etiam in ſolutis partibus templi, ſeu humanitatis Chriſti remanſit unita hypoſtaticè. *Ad Tertium* dico, illum textum tantùm velle, quòd Chriſtus tempore Paſſionis fuerit à Deo derelictus quoad aſſiſtentiam, & favorem, non autem fuit à DEO derelictus quoad Divinitatem, & Perſonam Divinam, quæ ſemper manſerunt hypoſtatcè unitæ cum anima, & corpore Chriſti per mortem ſeparatis. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam ut B. V. MARIA dicatur vera Mater Chriſti, ſufficit, quòd genuerit ejus verum corpus, ſtatim ſuppoſitatum ſeu perſonatum Perſonâ Divina, etſi ſuppoſitum, ſeu perſonam non genuerit. *Ad Quintum* Neg. Ant. nam ut B. V. MARIA dicatur vera Mater DEI, ſeu *Theotocon*, ſufficit, quòd generaverit naturam humanam, quæ à Verbo DEI hypoſtaticè fuit aſſumpta ad unitatem Perſonæ Divinæ. *Ad ſextum*, in quo Neſtorius ponit ſummam vim, dico, quòd unio duarum naturarum Divinæ, & humanæ in Chriſto fuerit effectus Divinæ Omnipotentiæ, cui non repugnat intimo nexu hypoſtaticè unire duas naturas, & perſonare unicâ Perſonâ Divinâ; nam per talem nexum coëunt hac ratione in unam perſonam abſque ulla monſtroſitate, ut Perſona Divina unita humanæ naturæ præveniendo reſultantiam perſonæ eam reddat ſubſiſtentem, & ſuppleat ea omnia munera, quæ præſtare deberet perſona creata, ſi reſultaret & adeſſet. *Ad ſeptimum* dico, ſive ponatur creata perſona conſiſtere in negatione, quæ eſt minima entitas; ſive in aliquo poſitivo, illa diſtingvitur realiter à ſua natura humana, & ſeparabilis eſt unde tametſi à Verbo aſſumatur natura humana, non eſt neceſſe, ut ipſa perſona aſſumatur; ſed ſi ponatur eſſe pura negatio, ea tollitur per aduentum formæ Divinæ, ſeu perſonæ ac ſubſiſten-

tiæ

tiæ Divinæ; imò ea non permittit antecedere illam negationem; quia non aſſumit naturam humanam ſubſiſtentem humanitùs; ſed reddit illam ſubſiſtentem divinitùs. Si verò ponatur eſſe forma, vel modus poſitivus; talis non reſultat in natura humana Chriſti; ſed ejus locô ſubſtituitur Perſona Divina Verbi.

ARTICULUS VII.

De facultatibus animæ Chriſti.

1. DIco primò: Chriſtus habet duplicem verum intellectum, Divinum ſcilicet, & humanum; unde in eo eſt vera ratio mentis humanæ, ſeu facultatis intellectivæ. Ita Catholici; contra Apollinariſtas, aſſerentes Verbum in Chriſto supplere rationem mentis humanæ.

2. Probatur *primò* de humano (de Divino enim non dubitat Apollinaris) omnibus illis textibus S. Scripturæ, qui inſinuant Chriſtum exercuiſſe operationes intellectûs veri humani, veræque mentis humanæ; maximè illis, quibus dicitur admirationem edidiſſe Matth. 8. ubi admiratur fidem Centurionis, *audiens autem JESUS miratus eſt*. Item illis paſſibus Scripturæ, qui dicunt Chriſtum habuiſſe ſcientiam, & ſapientiam, conſilium, cæteraſq; perfectiones ad intellectum verum Humanum pertinentes; ut Luc. 2. *JESUS proficiebat ſapientiâ &c.* Et demum illis quibus dicitur Chriſtus oràſſe; *erat pernoctans in oratione*: Oratio autem eſt creatæ mentis in DEUM elevatio: Ergo &c. *Secundò* intellectum verum humanum in Chriſto probant illa argumenta ſuprà *art. 5. pro conclus. 1.* de humanitate completa Chriſti facta; nam ad completam naturam Humanam ex anima rationali, & corpore phyſico humano conſtantem requiritur etiam intellectus; cùm ſit facultas animæ rationalis.

3. Objiciunt Apollinariſtæ *primò*: Inſtrumentum non habet ex ſe operationem, ſed duntaxat ab agente principali: ſed natura humana Chriſti fuit inſtrumentum Divinitatis ſecundùm SS. PP. maximè Cyrillum *in Dial. de Incarnat: Verbi parte* 5. Et Athanaſium *Orat.* 4. Ergo humana natura Chriſti non fuit ex ſe operativa per intellectum, ſeu mentem humanam. *Secundò*, Verbum ſufficienter per intellectum Divinum ſupplere potuit operationes intellectûs creati: Ergo talis intellectus fruſtra ſtatuitur in Chriſto. Reſpondeo *ad Primum*: Majorem tantùm procedere de inſtrumento artificiali, quod caret principiô agendi: non verò de naturali, & ſubſtantivo, quod præditum eſt propriâ forma, & principiô agendi: & tale inſtrumentum fuit natura humana Chriſti, prædita formâ intrinſecâ, & principio intelligendi, ſcilicet mente humana, ſeu facultate intellectivâ. *Ad ſecundum* dico, etſi Verbum ſufficienter poſſit ſupplere vices intellectûs creati, expediebat tamen eundem aſſumere cum natura humana; cùm ſit potentia identificata animæ rationali, tanquam parti phyſicæ eſſentiali naturæ humanæ. Et quia Chriſtus debuit aſſumere totum hominem cum ſuis potentiis; cum venerit ſanare totum hominem læſum; & conſequenter etiam intellectum humanum vulneratum tot peccatis incredulitatis. Alias Objectiones Apollinariſtarum vide ſolutas ſupra *art. 5. concl. 2.*

4. Dico ſecundò: intellectus animæ Chriſti non laborat ullâ ignorantiâ. Ita Catholici; contra Ignoitas, docentes Chriſtum ignoraſſe ultimum diem. Et contra Bucerum, Lutherum, & Calvinum, ponentes in Chriſto multarum rerum ignorantiam.

5. Probatur *primò*: S. Scriptura Chriſto attribuit omnimodam ſcientiam, & notitiam; ſic Paulus de Filio DEI, qui eſt Chriſtus, loquens dicit, *in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi*: Ergo in eo non fuit ulla ignorantia ultimæ diei. Rurſus Joan. 17. Chriſtus dicit ad Patrem, *omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt*: Ergo omnimoda ſcientia Patris eſt etiam ſcientia Filii; & ſic ſicut Pater novit ultimum diem; ita & Chriſtus. *Secundò* cognovit ſecreta cordium, juxta illud Matth. 9. *cùm vidiſſet JESUS cogitationes eorum.* Et *cap. 12. JESUS autem ſciens cogitationes eorum*: Ergo à fortiori cognovit omnia alia: & conſequenter nulla fuit in ejus creato Intellectu ignorantia. *Tertiò* Concilium Romanum ſub Agathone; Et Lateran. *coll. 1.* Et Chalcedonenſe *act. 4.* Et Conſtantinopolitanum *coll. 8.* ponunt in Chriſto ab inſtanti ſcientiam omnium rerum increatam, & creatam: Ergo &c.

6. Objiciunt Ignoitæ: Marc. 13. dicitur *de die autem illo, vel hora nemo ſcit; neque Angeli in cælo; neque Filius, niſi Pater*: Ergo Filius DEI Chriſtus habet ignorantiam ultimæ diei. Reſpodeo cum S. Auguſtino *lib. de Doctr. Chriſt.* Filium DEI dicere *cit. loc.* ſe neſcire diem illum ultimum ſic tantùm, ut eam nobis revelare non debeat: quatenus nos incautos reddat cautos, & vigilantes: unde ibidem ſtatim ſubditur, *vigilate, & orate; neſcitis enim, quando tempus erit.*

7. Dico tertiò: Chriſtus habet quoque duplicem voluntatem; Divinam ſcilicet & humanam

bumanam. Ita Catholici; contra Monothelitas, docentes in Chriſto eſſe tantùm Divinam voluntatem.

8. Probatur *primò* Scriptura ſacra ponit in Chriſto duas voluntates; unde dicitur Luc. 22. *verumtamen non mea voluntas; ſed tua fiat;* quibus verbis voluntas Divinitatis, & humanitatis diſtinguitur. Et ad Philip. 2. Chriſtus dicitur *factus obediens usque ad mortem:* ſed Obedientia denotat voluntatem creatam humanam: Ergo hæc fuit in Chriſto. Sed fuit etiam in ipſo Divina; utì concedunt Monothelitæ; & inde conſtat, quia talis voluntas fuit identificata cum natura Divina Chriſti: Ergo &c. Et Joan. 3. apertiſſimè diſtinguit ipſemet Chriſtus in ſe duas voluntates, dum ait; *deſcendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam; ſed ejus qui miſit me Patris,* id eſt non humanam meam, ſed Divinam, quæ eſt eadem cum voluntate Patris. *Secundò* duplicem quoque voluntatem præfatam definit in Chriſto Conſtantinopolitanum ſub Agathone Papa. Et Concilium Romanum ſub Damaſo Papa. Et Epheſinum, Chalcedonenſe, Lateranenſe &c. *Tertiò* eandem ſententiam uno ore proferunt SS. PP. ſignanter S. Auguſtinus *lib. contra Felic. cap. 13.* Et S. Leo *Epiſt. 72.* Et Damaſus *lib. 13. cap. 15.* *Quartò* variæ operationes in Chriſto procedebant præter voluntatem ejus Divinam, etiam aliam voluntatem creatam; ſic Chriſtus nolebat aliquomodo Paſſionem ſibi imminentem dicens; *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Matth. 26. ſic volebat congregare filios Iſrael errantes, Matth. 23. *quoties volui congregare filios tuos.* Sic pariter voluit mundare leproſum Mar. 1. *volo, mundare:* Ergo &c.

9. Objiciunt Monothelitæ *primò*: ſi Chriſtus haberet duas voluntates; inter eas nonnunquam eſſet pugnatio, & colluctatio: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Secundò* aliqui SS. PP. ut Cyrillus *lib. 4. in Joan.* dicunt, in Chriſto fuiſſe unam duntaxat operationem per ambas naturas diffuſam: Ergo unica etiam voluntas principium talis operationis. *Tertiò*: Summi Pontifices Vigilius, & Honorius approbarunt ſententiam Monothelitarum, de unica tantùm voluntate Divina Chriſti, utì conſtat ex libelli Mennæ approbatione, quam fecit Vigilius; etſi in eo eſſet doctrina de unica voluntate. Et ex approbatione doctrinæ Sergii Monothelitæ, quam ratificat Honorius in ſuis duabus Epiſtolis lectis in IV. Synodo: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Maj. quia voluntas humana Chriſti per omnia obediebat voluntati Divinæ; utì conſtat ex illo Matth. 26. *non mea voluntas, ſed tua fiat.* *Ad ſecundum* dico, S. Cyrillum per operationem intelligere unitionem, ſeu unionem hypoſtaticam duarum naturarum Chriſti inter ſe per ambas naturas diffuſam; non veró unicam operationem Divinæ voluntatis tantùm. *Ad Tertium* Neg. Ant. & ad Vigilium Papam dico, illum libellum nunquam fuiſſe Vigilio oblatum, nec conſequenter ab eodem approbatum, utì oſtendit S. Maximus: ſed factum hoc confingitur à Monothelitis; aut certè doctrina hæc de unica voluntate Chriſti fuit per fraudem dicto libello ex poſt facto intruſa à Monothelitis; utì patet ex *Syn. VI. act. 13.* Ad Honorium dico, in illis duabus Epiſtolis ejus nullam doctrinam Monotheliticam contineri. Et quamvis ibidem neget in Chriſto duas voluntates; id tantùm intelligit de duabus voluntatibus carnis ſibi contrariis; quales non erant duæ voluntates Chriſti ſibi per omnia conformes.

ARTICULUS VIII.

De merito; ſatisfactione; & Redemptione Chriſti.

1. Dico primò: Chriſtus non meruit ſubſtantiam Incarnationis per ulla merita naturæ humanæ præexiſtentis ante opus Incarnationis Verbi. Ita Catholici contra Neſtorianos &c.

2. Probatur *primò*: S. Litteræ ſubſtantiam Incarnationis refundunt in puram miſericordiam, & benignitatem DEI: Ergo eandem non meruit Chriſtus per ulla merita, elicita à natura humana præexiſtente. Prob. Ant. 1. ad Tim. 3. dicitur, *apparuit benignitas, & humanitas ſalvatoris noſtri DEI, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit.* Et Luc. 1. *per viſcera miſericordiæ DEI noſtri viſitavit nos Oriens ex alto* Ergo &c. *Secundò*: SS. PP. communi oraculo tenent Chriſtum non promeruiſſe ſubſtantiam Incarnationis; ſic dicit D. Auguſtinus *lib. de corrept. & grat. cap. 11. ille homo quid egit ante, ut ad hanc excellentiam ineffabilem* (ſcilicet Unionis hypoſtaticæ) *perveniret?* quaſi diceret, nihil. *Tertiò*; erroneum eſt, naturam humanam Chriſti præextitiſſe ante opus Incarnationis; nam ipſa primò formata fuit à Spiritu Sancto in utero Virginis tempore Incarnationis; unde dicitur Luc. 1. *Spiritus S. ſuperveniet in te & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, quod enim ex te naſcetur Sanctum vocabitur Filius DEI.* Et *ibidem, ecce concipies in utero, & paries filium &c.* *Quartò* in omni bona Philoſophia, operari præſup-

præſupponit eſſe: ſed mereri ſubſtantiam Incarnationis dicit operationem quamdam: Ergo præſupponit eſſe. Natura autem Chriſti non habuit ante Incarnationem eſſe ſufficiens ad operandum; aliàs haberet etiam perſonam creatam ad operandum requiſitam, quod ſupra *art. 6.* refutatum fuit: Ergo &c.

3. Objiciunt Neſtoriani: Pſalm. 44. dicitur de Chriſto, *dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem; propterea unxit te DEUS*: quem locum SS. PP. exponunt de unctione humanitatis Chriſti per Divinitatem: Ergo præceſſit in Chriſto meritum juſtitiæ, cùm propterea ſit unctus. Reſpondeo *primò*: ſi unctio *loc. cit.* intelligatur revera facta per Divinitatem; tunc ly *proptèrea* non exprimit cauſam meritoriam; ſed finalem, ut ſenſus ſit; propterea incarnatum eſt Verbum in te, ut diligeres Juſtitiam. Reſpondeo *ſecundò*: Neg. quod illa unctio exprimat Incarnationem Divinitatis: ſed ſignificat potiùs declarationem, & exaltationem nominis, quæ facta ſunt ex meritis Chriſti, & dilectione juſtitiæ; & ita intelligendi ſunt SS. PP. citati à Neſtorianis.

4. Dico ſecundò: Chriſtus ſibi aliquid meruit; ſcilicet Nominis ſui exaltationem, gloriam corporis, dominium orbis, & poteſtatem judiciariam ſaltèm indirectè. Ita Catholici; contra Calviniſtas.

5. Probatur authoritate S. Scripturæ de exaltatione Nominis, & gloria corporis: Luc. 24. dicitur *nonne hæc oportebat pati Chriſtum, & ſic intrare gloriam ſuam.* Et ad Hebr. 2. *vidimus JESUM propter Paſſionem mortis gloriâ, & honore coronatum.* Et ad Philip. 2. *factus eſt obediens uſque ad mortem; propter quod & DEUS exaltavit illum, & donavit illi Nomen, quod eſt ſuper omne nomen*: Ergo Chriſtus ſibi meruit Nominis exaltationem, & gloriam corporis. Idem ſentiunt SS. PP. ſignanter Auguſtinus *tract. 104. in Joan.* Chryſoſtomus, Ambroſius, Beda &c.

6. Probatur etiam de dominio Orbis Pſalm. 2. de Chriſto dicitur, *poſtula à me, & dabo tibi gentes.* Et *ad Rom. 14. in hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur*: Ergo &c.

7. Probatur tandem etiam de poteſtate judiciaria: *Joan 5.* dicitur, *non enim Pater judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio*: Ergo Chriſtus à Patre ob ſua merita obtinuit judiciariam poteſtatem.

8. Objiciunt Hæretici *primò* debebatur corpori Chriſti gloria ante omnem actum meritorium; quia gloria animæ redundat in corpus ſibi unitum; niſi miraculoſè à DEO impediatur: anima autem Chriſti habuit antè omne meritum ejus gloriam: Ergo &c. *ſecundò* Chriſtus tantùm nobis meruit; unde dicit Joan 17. *pro eis ego ſanctifico meipſum.* Reſpondeo *ad Primum* ex hoc argumento tantùm ſequi, Chriſtum non meruiſſe directè gloriam corporis ſui; cum quo ſtat, quòd indirectè illam meruerit, uti limitat concluſio. Merere autem Chriſti indirectè in hoc conſiſtit, ut explicat Scotus *3. diſt. 18. q. un.* quòd Chriſtus meruerit ablationem illius miraculi, quô impediebatur redundantia gloriæ animæ Chriſti in corpus unitum *Ad ſecundum* Neg. Ant. ex hac ſcriptura Joan. 17. habetur quidem, quod Chriſtus ſe ſanctificaverit pro aliis, quod verum eſt; ſed non habetur, quòd ſolùm pro aliis. Quare aliæ Scripturæ dicunt, quòd etiam ſibi meruerit.

9. Dico tertiò: ſatisfactio Chriſti extendit ſe generaliter ad omnes, etiam reprobos; unde Chriſtus ſangvinem fudit, & mortuus eſt pro omnibus prorſus, etiam pro reprobis. Ita Catholici; contra Calviniſtas, & Janſeniſtas, &c.

10. Probatur *primò*: S. Scriptura paſſim dicit, Chriſtum pro omnibus prorſus abſque ulla exceptione fuiſſe mortuum; ſic dicitur 2. ad Corinh.: *5. ſi unus pro omnibus mortuus eſt; ergo omnes mortui ſunt & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Et ad Hebr. 2. *vidimus JESUM propter Paſſionem gloriâ & honore coronatum, ut gratiâ DEI pro omnibus guſtaret mortem.* Et 1. Joan. 2. *ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non autem pro noſtris tantùm; ſed & totius Mundi. Ergo* &c. *Secundò*: eandem doctrinam habent SS. PP. ſignanter Auguſtinus, qui *in enarrat. Pſalm. 95.* dicit, *judicabit orbem terrarum in æquitate; non partem; quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Et S. Ambroſius *ſerm. 8. in pſalm. 118.* ait, *myſticus ſol juſtitiæ omnibus ortus eſt, omnibus venit, omnibus paſſus &c.* Idem habet Trident. *ſeſſ. 6. cap. 3.* ubi ait, *verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt; non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed ii duntaxat, quibus meritum Paſſionis ejus communicatur.*

11. Objiciunt Calviniſtæ, Janſeniſtæ *primò*: Matth. 26. dicit Chriſtus de ſuo ſangvine, *qui pro vobis, & multis effundetur*; & non dicit, *qui pro omnibus effundetur*: Ergo &c. *Secundò* Joan. 10. dicit idem Chriſtus; *ſe animam ſuam ponere pro ovibus ſuis*; id eſt pro ſolis prædeſtinatis: Ergo &c. *Tertiò* ad Ephes. 5. dicitur pariter Chriſtus ſe tradidiſſe pro Eccleſia: Ergo non pro gentilibus, qui extra Eccleſiam ſunt. *Quartò* DEUS ab æterno voluit ſolos prædeſtinatos admittere ad vitam æternam: Ergo pro his ſolis eſt mortuus. Reſpondeo *ad Primum*,

& dico

Google

& dico veram gloſſam illius particulæ *pro multis* eſſe, quòd ſanguis Chriſti pro multis efficaciter; pro omnibus tamen effundetur quantum ad ſufficientiam. Poſſet etiam dici juxta conſvetam phraſim S. Scripturæ ly *pro multis* idem importare, quod *pro omnibus*; ſicut Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa*, id eſt, omnia peccata. *Ad ſecundum*, & *Tertium* dico, per illas authoritates Scripturæ non excludi reprobos, & gentiles, qui per alios textus in *probatione Conclus.* allatos includuntur: dicitur autem Chriſtus pro prædeſtinatis, & Eccleſia animam ſuam tradidiſſe ſpecialiori modo, ſcilicet efficaciter, & cum effectu ſalvationis infallibilis; quô modô non ſe tradidit pro reprobis, & gentilibus. Hâc viâ ſolvuntur plures alii textus Scripturæ S. & paſſus aliqui SS. PP. maximè Auguſtini *Epiſt.* 102. ubi dicit, *non perit unus ex illis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt*; in quibus ſe fundant Janſeniſtæ. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam 1. ad Tim. 2. dicitur, *DEUS vult omnes ſalvos fieri.*

12. Dico quartò; Chriſtus ſuâ morte exercuit veram redemptionem generis humani à poteſtate, & captivitate Diaboli. Ita Catholici; contra Neſtorianos, Baſſum vetuſtum hæreticum, Abailardum, Socinum, &c. errones.

13. Probatur *primò* omnibus textibus S. Scripturæ, quibus *priori concl.* offenſum eſt, Chriſtum pro omnibus hominibus peccatoribus eſſe paſſum & mortuum; & conſequenter is totum genus humanum redemit à poteſtate, captivitate Diaboli, quæ à peccato ortum duxit. *Secundò* addo ſequentes, quibus redemptio generis humani à Chriſto facta manifeſtatur; quibus etiam utitur S. Bernardus contra Abailardum: nam 1. ad Tim. 2. dicitur, *unus enim DEUS, unus & mediator DEI, & hominum Chriſtus JESUS, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Et ad Hebr. 9. *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum per proprium Sangvinem introivit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inventa.* *Tertiò* idem dogma habet Trident. Concilium *ſeſſ. 6. cap. 2.* Et Innocentius II. qui contrarium errorem Abailardi damnavit *in epiſt. ad Epiſcopos Senonenſes, & Rhenenſes.* Et SS. PP. præſertim Auguſtinus *ſerm. 114. de temp.* dicens, *hodie Dominus noſter in ſtatera Crucis pretium noſtræ ſalutis appendit, & una morte univerſum mundum, ſicut omnium Conditor, ita & omnium Redemptor, abſolvit.*

14. Objiciunt Hæretici ly *redimere* in Sacris Litteris ſemper uſurpatur tantùm metaphoricè, nempe pro liberare ſinè ſolutione veri pretii; ùti *primò* patet Exod. 15 Et Deut. 7. Et 2. Reg. 7. ubi DEUS dicitur redemiſſe Iſraëlem ex ſervitute Ægyptiorum; id eſt, liberâſſe abſque ſolutione ullius pretii: Ergo Chriſtus non fuit verus; ſed tantùm metaphoricus Redemptor. *Secundò*; quia D. Stephanus Actor. 7. vocat Moyſen Redemptorem: ſed Moyſes non redemit præbendo pretium: Ergo nec Chriſtus; & conſequenter fuit tantùm metaphoricus Redemptor. *Tertiò*; quia In vera Redemptione pretium perſolutum pro captivo percipit, qui captivum detinet; ſed Diabolus detinens captivos homines nullum pretium accipit à Chriſto; ſed DEUS: Ergo Chriſtus non præſtitit veram Redemptionem.

15. Reſpondeo *ad Primum*; Neg. Ant. nam extant plures paſſus Scripturæ, ſcilicet illi ſuprà *Conclus. 2.* relati, in quibus ly *redimere* capitur verè, & realiter, ſcilicet pro liberatione à captivitate cum ſolutione pretii, quam præſtitit Chriſtus. Unde ad *probationem primam* Ant. dico negando paritatem; quia DEUS liberando Iſraelem ex ſervitute nullũ effudit ſangvinem, nec quidquam paſſus eſt pro eo; uti fecit Chriſtus liberando genus humanum â captivitate Diaboli. *Ad ſecundam* Probationem ejuſdem iterum Nego paritatem; diſparitas eſt; quia Moyſes fuit tantùm particularis Redemptor à Tyrannide Pharaonica, ad quod exeqvendum opus erat duntaxat authoritate, & poteſtate Divina: ſed Chriſtus fuit Redemptor Mundi ab ira ad Rom. 5. & 9. & à poteſtate tenebrarum, Diaboli, & Mortis ad Coloſſen. 1. Et ad Hebr. 2. idque per ſanguinem ſuum, dicente Apoſtolo; *in quo habemus redemptionem per ſangvinem ejus*: adeoque in Redemptione Chriſti debebat intervenire ſolutio pretii. *Ad Tertiam* Diſt. Maj. in vera Redemptione pretium accipit is, qui captivum detinet principaliter & authoritativè: Con. Maj. qui captivum detinet minùs principaliter, & tantùm ex delegatione, ſeu commiſſione Neg. Maj. Itaque DEUS eſt principalis detinens peccatores captivos, quatenus eos ſua authoritate, & verè detruſit ad carceres damnationis; unde ei meritò à Chriſto perſolvi debuit pretium Redemptionis; Diabolus autem ſolùm ex ordinatione, & commiſſione Divina; unde ſe habet tantùm ùt lictor, & Apparitor Judicis DEI, ac Tortor; utì patet ex illa parabola Regis irati, tradentis Tortori ſervum nequam, Matth. 18.

ARTICULUS IX.

De Pontificatu, & Sacerdotio Chriſti.

1. **D**Ico primò: Chriſtus fuit verus Pontifex; verúſque Sacerdos ſecundùm naturam humanam. Ita Catholici; contra Neſtorianos, Semi-Arianos, &c.

2. Probatur de Pontificatu *primò*: S. Scriptura vocat Chriſtum Pontificem; ſic dicitur ad Hebr. 5. *appellatus à DEO Pontifex juxta ordinem Melchiſedech.* Et ad Hebr. 9. dicitur idem Chriſtus *Pontifex futurorum bonorum*: Ergo &c. *Secundò* SS. PP. pariter Chriſtum dignificant Pontificatu; unde S. Epiphanius *hær. 55.* de Chriſto loquens ait, *ipſe Rex, ipſe Pontifex &c.* Et S. Leo *epiſt. 83. cap. 4.* dicit, *quod unquam ſacrificium ſacratius fuit, quàm quod verus Pontifex* (Chriſtus ſcilicet) *altari Crucis per immolationem ſuæ carnis impoſuit?* Ergo &c. *Tertiò*; vera definitio Pontificis convenit Chriſto, quæ tradita eſt ab Apoſtolo ad Hebr. 5. in hunc modum, *Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad DEUM, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*: Ergo &c. Prob. Ant. imprimis Chriſtus fuit ex hominibus aſſumptus; quia fuit verus homo; ut ſupra *art. 5.* probatum eſt. Item fuit à Patre æterno conſtitutus ad offerendum dona, & ſacrificia; juxta illud Pſalm. 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Obtulit etiam actu ſacrificium pro peccatis; quia in ultima cœna obtulit ſacrificium incruentum ſui corporis; & in ara Crucis cruentum; uti luculenter explicat S. Tridentina Synodus *ſeſſ. 22. cap. 1.* Ergo definitio vera Pontificis tradita ab Apoſtolo, convenit Chriſto; atque adeò eſt verus Pontifex.

3. Probatur etiam de Sacerdotio *primò*, ex mox adductis argumentis pro Pontificatu; nam verus Pontifex eſt ſimul Sacerdos. *Secundò*, adſunt ſpeciales etiam Scripturæ pro Sacerdotio Chriſti; nam ad Hebr. 7. dicitur de eodem, *hic autem, eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium.* Et Pſalm. 109. *Tu es Sacerdos in in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Et ad Hebr. 12. *hic autem* (ſcilicet Chriſtus) *pro peccatis unam offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextera DEI, &c.* *Tertiò*, Concilia generalia agnoſcunt in Chriſto Sacerdotium verum; ut videre eſt in Epheſino *can. 10.* Et Tridentino *ſeſſ. 22. cap. 1.* Idem præſtant SS. PP. præſertim Auguſtinus *in Pſalm. 132. quis eſt Sacerdos, niſi unus Sacerdos, qui intravit in Sancta Sanctorum? quis eſt Sacerdos? niſi qui fuit victima, & Sacerdos; quod ſoli Chriſto convenit.*

4. Objiciunt Hæretici: verus Pontifex, & Sacerdos debet phyſicè agere circa ipſam victimam, eandem vel mactando, vel igne abſumendo, vel aliter immutando: ſed impium eſt dicere, Chriſtum ſeipſum occidiſſe: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Maj. ſufficit enim ad verum ſacrificium, ut ſacerdos aſſumat victimam, illámque DEO offerat oblatione morali, & ſpontanea; quod præſtitit Chriſtus; quando mortem ſibi illatam, tanquam rem ſacram voluntariè ſubiit; illámque DEO Patri in ſacrificium obtulit.

ARTICULUS X.

De ſpe Chriſti in Cruce retenta; & ejus deſcenſu ad inferos.

1. **D**Ico primò: Chriſtus ſemper retinuit ſpem; unde in Cruce non deſperavit. Ita Catholici; contra Calvinum, oppoſitum aſſerentem.

2. Probatur Chriſtus viator in Cruce, & toto tempore ſuæ converſationis in terris, jam erat comprehenſor ſimul, & in ſtatu beatitudinis; uti conſtat ex illo Joan. 12. *Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, & ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit*; ubi per ly *ubi ego ſum* ſtatus beatitudinis inſinuatur: ſed ſtatus beatitudinis non compatitur ſecum ullam deſperationem; cùm amitti non poſſit; & dicatur *vita æterna*: Ergo Chriſtus in Cruce non deſperavit. Deinde quando Chriſtus in Cruce protulit illa verba, quæ tantopere urget Calvinus, *DEUS DEUS meus, ut quid dereliquiſti me*, eodem tempore dixit & illa alia, *Pater in manus tuas commendo Spiritum meum*; quæ non protuliſſet, ſi propriè per priora deſperâſſet: Ergo &c.

3. Objicit Calvinus: illa verba Chriſti Matth. 27. *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquiſti me*, apertè indicant deſperationem ejus in Cruce: Ergo &c. Reſpondeo, Neg. Ant. nam illa verba non ſunt Chriſti deſperantis; ſed tantùm admirantis; quibus Chriſtus admirabatur, quare in tanto cruciatu corporis non habuerit aſſiſtentiam, & favorem DEI; ſed permittat ipſum tanta pati pro ſalute mundi.

4. Dico ſecundo : Chriſtus ſecundùm realem præſentiam deſcendit ad inferos. Ita Catholici; contra Calvinum, ejúſque ſequaces.

5. Probatur *primò* : Scriptura S. clarè teſtatur Chriſtum ſecundùm realem præſentiam deſcendiſſe ad inferos ; unde dicitur ad Epheſ. 4. *quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ* ; per partes autem inferiores terræ intelliguntur inferi. Et 1. Pet. 3. *ut nos offerret DEO, mortificatos quidem carne, vivificatos autem ſpiritu; in quo, & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit* ; ex quibus verbis conſtat Chriſtum prædicâſſe animabus juſtis veteris Teſtamenti in carcere terræ, ſeu in loco inferorum : Ergo eò deſcendit ſecundùm realem præſentiam : prædicatio enim petit realem præſentiam prædicantis. *Secundò* omnes SS. PP. adſtruunt realem deſcenſum Chriſti ad inferos : unde Auguſtinus *epiſt. 22. ad Dardan. q. 1.* ait, *neque enim ipſo die in cœlo futurus erat homo Chriſtus JESUS: ſed in inferno ſecundùm animam; in ſepulchro autem ſecundùm carnem.* Et Tertullianus *lib. de anima cap. 55.* dicit, *nec antea aſcendit in ſublimia cœlorum, quàm deſcendit in inferiora terrarum, ut illic Patriarchas, & Prophetas compotes ſui faceret.*

6. Objicit Calvinus: Scripturæ, quæ loquuntur de deſcenſu Chriſti ad inferos, loquuntur tantùm de metaphorico deſcenſu ejus; ut ſenſus ſit, Chriſtum innumerabilibus animæ anguſtiis, cruciatibus, & terroribus in Cruce demerſum fuiſſe; ſicut qui vi detruditur ad inferiora aliqua loca. Vel certè ut ſenſus ſit, Chriſtum omnes pœnas, & cruciatus damnatorum in inferno perpeſſum eſſe in anima ſua : quem ſenſum elicit ex illis verbis Act. 2. *quem DEUS ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni.* Contra : uterque iſte ſenſus metaphoricus eſt merum figmentum, & apertè contradicit Litteræ illarum Scripturarum, ſuprà *pro concluſ.* adductarum; nec eſt ulla ratio, illas Scripturas in ſenſu metaphorico intelligendi. Deinde refellitur primus ſenſus ex hoc, quòd perturbet ordinem, & connexionem Symboli Apoſtolici; nam juxta iſtam Gloſſam Calvini eſſet horum articulorum *Crucifixus, mortuus, & ſepultus, tertia die reſurrexit à mortuis*, iſta connexio, Chriſtus primò eſt Crucifixus, deinde mortuus in Cruce; mox poſitus in ſepulcho, inde rediens ad Crucem *innumerabilibus cruciatibus demerſus eſt*, poſtea reſurrexit à mortuis; qui ordo eſt ſanè præpoſterus; & contra Symbolum, & ſancta quatuor Evangelia. Secundus etiam ſenſus inde rejicitur, quòd illa Scriptura Actor. 2. nihil aliud intendat aſſerere, quàm quòd Chriſtus ſolverit, id eſt irritos fecerit, & evitaverit dolores inferni; non quibus tenebatur, ſed ne teneretur ; ſicut dum Leo diſrumpit laqueos venantium, dicitur illos ſolvere, id eſt, rumpere, & ſic evitare, né iis teneatur. Unde additur in objecta Scriptura, *juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* Vel certè vult, quòd Chriſtus ſolverit dolores inferni, quibus animæ juſtorum Veteris Teſtamenti ibi detentæ tenebantur ; id eſt, quòd liberaverit eas à doloribus inferni. Utrumque iſtum ſenſum approbat D. Auguſtinus *epiſt. 99. ad Enod.*

ARTICULUS XI.

De Chriſti timore; reſurectione; & in cœlos aſcenſione.

1. Dico primò : in Chriſto ſecundùm naturam humanam reſidet ſpiritus timoris Domini. Ita Catholici; contra Abailardum.

2, Probatur primò : S. Scriptura attribuit Chriſto ſpiritum timoris; unde de eo dicitur Iſai. 11. *egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus timoris Domini.* Et Marci 14. *cœpit JESUS pavere* : pavere autem eſt habere timorem : Ergo &c. *Secundò* eandem paſſionem timoris Chriſto adſcribunt SS. PP. ſignanter S. Leo *ſerm. 7. de paſſ. Domini.* Et S. Chryſoſtomus *hom. 24.* Et S. Cyrillus *lib. 4. in Joan.* Ergo &c. *Tertiò* timor eſt paſſio arguens in Chriſto veritatem naturæ humanæ aſſumptæ ; exprimit enim affectum naturalem hominis paſſibilis, cui imminet aliquod malum : Ergo eſt concedenda Chriſto.

3. Objicit Abailardus: Timor eſt paſſio imperfectorum, & non habentium perfectam charitatem; uti conſtat ex illo 1. Joan. 4. *perfecta charitas foràs mittit timorem* : ſed Chriſtus fuit perfectus, & habens perfectam charitatem Ergo non habuit timorem. Reſpondeo duplicem eſſe timorem, ſervilem & filialem. *Servilis* eſt, quô quis ob metum pœnæ infligendæ fugit peccatum; & dicitur *ſervilis*; quia ſervi communiter illum habent reſpectu ſuorum Dominorum: & hic eſt imperfectorum; quia perfecta cujuscunque operis executio debet habere ortum à charitate: ſervilis autem non oritur à charitate ; ſed à metu pœnæ infligendæ. *Filialis* eſt, quô quis fugit malum ex ſolo amore patris, ne videlicet eum offendat; & *filialis* dicitur, quiâ à bono filio exercetur.

cetur. Et hunc non ſolùm non expellit charitas; ſed producit eum, & ab eo ortum habet Nunc *ad Objectionem* Diſt. Maj. timor ſervilis eſt paſſio imperfectorum, & non habentium charitatem Con. Maj. timor filialis Neg. Maj. & Diſtingvo eodem modô Conſeq: Ergo Chriſtus non habuit timorem ſervilem Con. Conſequen. filialem Neg. Conſequen. Chriſt' itaque habuit timorem filialem; quia declinavit ab omnibus malis, ex amore Divini Patris.

4. Replicat Abailardus: etiam timor filialis dedecet Chriſtum: quia præjudicat ejus beatitudini, quam habuit ab inſtanti Conceptionis; cùm habeat admixtam aliquam pœnam: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. quia ſicut triſtitia Chriſti non præjudicat ejus beatitudini; ita nec timor: unde dicit Pſalmiſta pſalm. 18. eum manere in beatitudine æterna; *timor Domini Sanctus permanens in ſæculum ſæculi.*

5. Dico ſecundò: Chriſtus revera reſurrexit à mortuis tertia die. Ita Catholici; contra Cerinthianos, docentes Chriſtum necdum reſurrexiſſe; ſed reſurrecturum tamen.

6. Probatur: ex S. Scriptura conſtat Chriſtum jam peregiſſe ſuam reſurrectionem ex mortuis utì teſtantur omnia quatuor S. Evangelia Matth. *ult.* Marci *ult.* Luc. *ult.* & Joan. *penult. cap.* Et Act. 1. dicitur, quòd Chriſtus peracta reſurrectione apparuerit multis hominibus, *quibus & præbuit ſeipſum vivum poſt Paſſionem ſuam in multis argumentis per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno DEI.* Et 1. ad Cor. 1. argumentatur D. Paulus ſic. *ſi Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra; inanis & fides veſtra; invenimur & falſi teſtes DEI, quoniam teſtimonium diximus, adversùs DEUM, quòd ſuſcitaverit Chriſtum, quem non ſuſcitavit.* Fundamentum Cerinthi conſiſtit in ſola perverſitate arbitrariè oppoſitum aſſerentis.

7. Dico tertiò: Chriſtus aſcendit cœlos veſtitus ſuâ humanâ carne. Ita Catholici; contra Apellitas, docentes Chriſtum ſinè carne cœlos aſcendiſſe.

8. Probatur *primò*: S. Scriptura Act. 7. teſtatur D. Stephanum vidiſſe in ſua perſecutione cœlos apertos, & Chriſtum ſtantem ad dexteram Patris, *ecce video cœlos apertos, & Filium hominis ſtantem à dextris virtutis DEI*: filius autem hominis debet habere carnem veram: Ergo &c. Rurſus Act. 1. dicitur, *hic JESUS qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum*: ſed Chriſtus veniet ad judicium in forma humana Ergo: in eadem aſcendit, ſeu aſſumptus eſt in cœlum. *Secundò*; S. Scriptura docet Chriſtum reſurrexiſſe in vera carne; & poſt reſurrectionem eandem carnem conſervâſſe; unde Joan. 20. narratur ſtetiſſe poſt reſurrectionem in medio diſcipulorum, & Thomam tetigiſſe ejus latus, & loca clavorum, ſeu cicatrices veras, quas accepit in ſua vera carne tempore Paſſionis. Et Luc. *ult.* dicit eiſdem Diſcipulis, *videte manus meas, & pedes meos quia ego ipſe ſum: palpate & videte, quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Nec reperitur ullibi in S. Scriptura Chriſtum ejuſmodi carnem ſuam veram depoſuiſſe ante, vel in aſcenſione: Ergo cum illa aſcendit. Fundamentum quoque hujus Erronis Apellis non eſt aliud, quàm arbitrarium ejus dictum, & imaginata fabula.

ARTICULUS XII.

De non ubiquitate Chriſti quà hominis.

1. DIco primò: Chriſtus ſecundùm humanam naturam non eſt ubique. Ita Catholici; contra Lutheranos ubiquiſtas.

2. Probatur *primò* authoritate S, Scripturæ, quæ apertè docet Chriſtum ſecundùm humanitatem non eſſe ubique locorum; ſed nunc in iſto; nunc in alio: unde dicitur Joan. 6. *cùm vidiſſet turba, quòd JESUS non eſſet ibi.* Et Mar. 16. *JESUM quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit non eſt hìc.* Idem conſtat ex hiſtoriæ Evangelicæ decurſu, narrantis Chriſtum locum mutâſſe; ac primò fuiſſe in utero Matris; deinde extra uterum in ſtabulo; mox in Ægypto; & inde rediiſſe in Judæam; habitâſſe cum Joſeph, & Maria in Nazareth; aſcendiſſe cum illis Hieruſalem ad templum; inde in Galilæam reverſum eſſe, &c quæ & ſimilia manifeſtè oſtendunt, Chriſtum non fuiſſe ubique ſecundùm humanitatem; nec defacto ubique eſſe ſecundùm eandem; utpote quæ defacto eſt ejusdem ſpeciei, & numeri cum humanitate Chriſti in terris exiſtentis: Ergo &c. *Secundò*; ſi corpus, & ſangvis Chriſti, ſeu ejus humanitas eſt ubique in omni pane, vino, & cibo &c. quid neceſſe eſt ire ad templum pro corpore & ſangvine Chriſti cùm domi haberi poſſit. Et quid conqueruntur Lutherani de ſubtracto calice? ſumant domi calicem; cùm ibi Chriſtum habeant æquè, ac in calice in Eccleſia.

3. Replicant Lutherani: præmiſſas ſimi-

rea dixi, quia de meo accipiet : Ergo etiam vis ſpirandi, quæ eſt in Patre in ordine ad ſpirationem Spiritûs ſancti eſt communicata Filio; uti colligunt SS. PP. mox citati: & præterea Eugenius IV. *in Litter.* unionis; & Joannes Theologus Concilii Florentini; Et Beſſarion Orator ejuſdem. Unde & D. Auguſtinus *lib. 3. contra Maxim. cap. 14. Qui talem filium genuit, gignendo dedit, ut etiam de ipſo procederet Spiritus ſanctus. Tertio*; Joan. 5. dicit idem Filius DEI, *cùm venerit Paraclytus, quem ego mittam vobis à Patre.* In quo textu ponderanda eſt illa particula *mittam*, quæ juxta conſuetam phraſim Scripturæ, & PP. ſignificat proceſſionem; ita ut Perſona miſſa, ſcilicet Spiritus ſanctus, dicatur à mittente Filio procedere. Et licèt juxta litteræ corticem allatus textus non loquatur de proceſſione æterna uti docet S. Thomas; ſed de temporali; tamen hæc ita connexa eſt, ut æternam prorſus ſupponat : quare proceſſionem æternam ex memorato textu rectè colligunt S. Hilarius, Cyrill. Alexand. Hygin. Nazianz. Athanaſ. Damaſc. Iſidor. Ambroſ. & Greg. *hom. 26. in Evang.* inquiens, *Spiritus S. nequaquam incarnatus eſt; ſed ejus miſſio ipſa proceſſio eſt, quâ de Patre procedit, & Filio.*

3. Probatur *ſecundò* : nam plura Concilia œcumenica, & generalia docent eandem proceſſionem Spiritûs S. à Patre, & Filio: Ergo &c. Probat. Ant. *primò* ex Conciliis Græcis; nam Concilium Epheſinum approbat, & recipit epiſtolam D. Cyrilli *ad Neſtor.* quæ eſt 10 ejus, in qua adſtruitur proceſſio Spiritûs S. à Patre Filióque. Idem facit Concilium Chalcedonenſe *Act. 5.* Et Synodus V. *Act. 6.* Et Synodus VI. *Act. 17.* Et Synodus VII. *Act. 7.* Et Synodus VIII. *Act. 10.* Et Concilium Nicænum II. *in Symb. Fidei*, ibi, *qui ex Patre, Filióque procedit. Secundò*, ex Conciliis Latinis; nam eandem proceſſionem dogmatizat Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. (cui Græci quoque interfuerunt) *cap. 1.* Et *cap. 2.* Et Concilium Lugdunenſe II. ſub Gregorio X. in quo Imperator Græcorum Michaël Palæologus, & omnes Græci Patres præſentes ſubſcripsêre huic formulæ definitivæ S. Concilii; *fatemur quòd Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio; non duabus ſpirationibus, ſed unicâ ſpiratione procedat.* Et Florentinum in Decreto Eugenii condito *ſeſſ. 25.* Et Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ. 11.* Et Tridentinum *in Symb. Fidei ſeſſ. 3.*

4. Probatur *tertiò* torrente SS. PP. utriuſque Eccleſiæ; nam ex Græcis illuſtriores fuêre, qui hanc Spiritus S. proceſſionem ab utroque profeſſi ſunt. Athanaſius Didymus, Nazianzenus Chryſoſtomus, Tharas, Philo, Epiphanius, Ignatius, S. Maximus. Gregorius Thaumaturgus, Nyſſenus, Damaſcenus, Metaphraſtes, & magnus Baſilius, cujus authoritate potiſſimè in Concilio Florentino deciſa eſt hæc controverſia, qui *lib. 3. contra Eunom.* dicit, *Cur neceſſe eſt, ſi dignitate, & ordine tertius eſt Spiritus, naturâ quoque ipſum tertium eſſe; dignitate namque ipſum ſecundum à Filio, cum ab ipſo eſſe habeat, & omnino ab ipſa cauſa dependeat, pietatis ratio tradit : natura verò tertium, uti neque ex S. Scriptoribus didicimus, neque ex prædictis colligere poſſibile eſt.* Et S. Cyrillus Alexandrinus *lib. de recta fide ad Reginam.* Ex Latinis autem Cyprianus, Hilarius, Hieronymus, Ruffinus, Proſper, Fulgentius, Leo, Mart. Boëtius, Hormisdas, Gregorius Magnus, Beda, Anſelmus, S. Bonaventura, S. Ambroſius, qui *lib. de Symb. cap. 3.* ait, *Spiritus autem ſanctus verè Spiritus eſt, procedens quidem à Patre, & Filio.* Et S. Auguſt. *lib. 4. de Trinit. Nec poſſumus dicere, quòd Spiritus ſanctus à Filio non procedat; neque enim fruſtra idem Spiritus, & Patris, & Filii Spiritus dicitur.* Hanc incuſſam veritatem orthodoxam, non tantùm enumerati SS. PP. Græci, & Latini; ſed omnes ſancti Scriptores à naſcente Eccleſia teſtati ſunt; unde noſter P. Macedo *Schol. 4. cap. 3. ſect. 3.* celebria complura pro ea adducit Patrum teſtimonia, ex quovis ſæculo.

5. Probatur *quartò* ratione Scoti *1. diſt. 11. q. 1.* Filius Divinus habet voluntatem fæcundam, communem cum Patre, quæ eſt principium productivum Amoris adæquati, & quidem priusquam intelligatur exire in actum Spirationis: Ergo illô produxit, ſeu ſpiravit Spiritum S. Conſeq. tenet; quia in Divinis potentia ad intra non eſt ſeparabilis ab actu; prout generatim in æternis eſt idem *eſſe, & poſſe.* Prob ergo Ant. ſicut inter actiones intellectûs, & voluntatis eſt ordo, ita ut intellectus priùs intelligat, quàm voluntas velit; ſic etiam eſt ordo inter actiones utriuſq;, ita ut intellectus priùs producat Verbum; quàm voluntas ſpiret Amorem : & conſequenter Verbum ſic productum accipit à Patre communem voluntatem, ùt principium Amoris adæquati, antequam illa voluntas intelligatur exire in actionem ſpirationis; atque illâ deinde unà cum Patre ſpirat Spiritum Sanctum.

6. Objiciunt *primò* Græci Schismatici S. Scripturam, quæ mentionem faciens Proceſſionis Spiritûs S. nuſquam clarè exprimit, eum procedere à Filio; ſed à Patre; uti videre eſt Joan. 15. *Cùm venerit Spiritus Paraclytus*

 quem

quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum Veritatis, qui à Patre procedit. Et rurſus Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis.* Et Luc. ult. *Ecce ego mitto promiſſum Patris mei in vos:* Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. & ad allatas ſcripturas dico, iis ſufficienter etiam exprimi Filium, ùt principium Spiritûs S. procedentis; nam verbum *mittam*, & *mitto*, apertè deſignat actionem Spitationis Spiritûs S. in Filio: per hoc autem quòd Filius Spiritum S. vocet *Spiritum à Patre procedentem, & promiſſum Patris*, ſolùm vult innuere, quòd Pater ſit author principalis & ſui, & Spiritus S. quia nempe eſt principium ſinè principio, ad quod Filius totum refert, quod habet, ei attribuendo etiam ſuam fœcunditatem reſpectu Spiritûs S. quam Filius habet à Patre acceptam; eô modô, quô dixerat Joan. 7. *Mea doctrina non eſt mea; ſed ejus, qui miſit me Patris*; quæ tamen revera erat etiam doctrina Filii; utì obſervat D. Auguſtinus *Tract. 29. in Joan.* dicens *Quia Verbum non poteſt eſſe nullius, ſed alicujus; & ſuam doctrinam dicit ſeipſum; & non ſuam, quia Patris eſt Verbum: quid enim tam tuum, quàm tu; & quid non tam tuum, quàm tu, ſi alicujus es, quod es.*

7. Objiciunt *Secundò* Concilia Oecumenica; quæ fortiſſimè urſit Marcus Epheſius Græcus Theologus: nam in *Symb. Niceno Fidei* (quod in Concilio Nicæno veluti nobile oraculum, intra cortinam Spiritûs S. conceptum, editum fuit) nulla fit mentio proceſſionis Spiritûs Sancti à Filio. Et Concilium deinde Conſtantinopolitanum etſi diſtinctius exprimeret Divinitatem, & Proceſſionem Spiritûs S. ſolùm ait, eum à Patre procedere, addendo Symbolo Nicæno, *Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem.* Et in Concilio Epheſino lectum fuit Symbolum Neſtorianum, continens doctrinam negantem Spiritum S. à Filio procedere; & tamen Patres Concilii tacuerunt; per hoc tacitè approbando illam doctrinam. Et in aliis Conciliis, ùt Conſtanrinopolitano, & Chalcedonenſi in *formulis Fidei* ſolùm ponitur, Spiritum S. à Patre procedere; nullâ factâ mentione Filii, ùt Principii Spirituûs S. Ergo &c. Reſpondeo *primò*: hoc argumentum eſſe deductum ab authoritate negativa, & ſilentio, ſeu taciturnitate PP. in Conciliis illis congregatorum; adeoq; exigui, imò nullius ponderis: ſicut hoc, quò PP. Latini contra Græcos uſi fuêre in Florentino, exempli gratiâ; *Scriptura S. non exprimit; ſed tacet, B. V. MARIAM eſſe perpetuò Virginem; Ergo non eſt credendum, eam perpetuò eſſe Virginem*; quod eſt falſum. Reſpondeo *ſecundò*: PP. in adductis Conciliis fuiſſe occupatos circa explicationem aliorum articulorum Fidei controverſorum; ſignanter in Epheſino, & Conſtantin. de Divinitate Spiritûs S. negata à quibusdam Hæreticis; idcirco illam de proceſſione Spiritûs S. à Filio non retigerunt; ſed ſuppoſuerunt, ejuſmodi proceſſionem eſſe ab omnibus tunc creditam. Reſpondeo *tertiò* memorata Concilia ſufficienter exprimere proceſſionem Spiritûs S. à Filio per hoc, quòd, ùt ſupra oſtendi *Prob. 2.* approbaverint, & receperint Epiſtolas ſynodales D. Cyrilli, clarè aſſertorias hujus proceſſionis.

8. Objiciunt *tertiò* ingentem farraginem SS. PP. Græcorum, & Latinorum, quorum authoritate Marcus ille Epheſius cum Joanne Theologo in Florent. acerrimè digladiatus fuit; pro ſua ſententia adducendo, & extorquendo S. Dionyſium, Athanaſium, Nazianzenum, Baſilium, Cyrillum, Niſſenum Juſtinum, Theodor. Ambros. Damaſcenum, Leonem Papam III. & alios complures; quorum textus adducere, foret nimìs prolixum; unum ergo alterumque adferam; & primò Damaſcenum *lib. 1. de Fide cap. 8.* dicentem; *Spiritus S. à Patre procedit, & in Filio quieſcit*; & paucis interpolatis, ait, *Spiritum S. dicimus ex Patre; ex Filio non dicimus.* Et S. Dionyſium *lib. de Divin. Nomin. cap. 2.* ſcribentem: *ſolus fons ſuperſubſtantialis DEItatis eſt Pater.* Et Nazianzenus *in Orat. 24. Omnia, quæ habet Pater, habet etiam Filius; exceptâ causâ* id eſt, ùt vertunt alii, cauſalitate, ſcilicet reſpectu proceſſionis Spiritûs S. Ergo Spiritus S. non procedit ex Filio.

9. Reſpondeo: nec hos, nec ullos alios etiam Græcos Patres, ſi Theophilactum & Eutymium excipias, ſavere huic Græcorum ſchiſmati. Unde *ad Damaſcenum* (quem alii, ſed malè putant fuiſſe in contraria ſententia) dico, cum Beſſarione *orat. pro unione Græcorum cap. 6.* eum ſolùm per allegata verba putare, quòd tutior ſit locutio, aſſerere Spiritum ſanctum *per Filium*, quàm *ex Filio procedere*; eò quòd ſibi videretur ly *Ex* denotare primam cauſam, non procedentem ex alia cauſa; ly verò *per* importare vim, & rationem quamdam cauſalem, ab alio, ſcilicet Patre acceptam: rem ergo, id eſt proceſſionem Spiritûs S. à Patre, & Filio pariter non negabat hic S. Pater; ſed modum duntaxat loquendi, ſibi non placentem. *Ad Dionyſium* dico; ideo ipſum appellare Patrem ſolum fontem ſuperſubſtantialem; quia ſolus eſt principium ſinè principio: Filius verò quaſi fluvius ab ipſo fonte emanans, à quo, utì & fonte Patre derivatur ſtagnum Spiritûs ſancti. *Ad Nazianzenum* dico, ipſum loqui de cauſalitate,

quâ

quâ Pater, & Filius mutuò referuntur; non verò quâ Spiritum Sanctum reſpiciunt. Alia Græcorum argumenta, vide adducta fusè, & ſoluta apud P. Macedo *cit. cap. 3.*

ARTICULUS II.

De conſubſtantialitate Spiritûs S. cum Patre, & Filio.

1\. Dico primò: Spiritus S. eſt Patri, Filioque conſubſtantialis; unde nequit dici creatura. Ita Catholici, contra Arianos, & Macedonianos, qui *Pneumatomachi*, id eſt, Spiritus S. impugnatores, dicuntur; ac alios eidem Divinitatem ſubtrahentes, rationémque puræ creaturæ attribuentes.

2\. Probatur *primò* illis argumentis, quæ ſupra *cap. 2. art. 3.* adduxi, pro Divinitate, æqualiter reperta in omnibus Perſonis Divinis SS. Trinitatis; quæ conſequenter quoque Spiritûs S. conſubſtantialitatem cum Patre, & Filio probant; cujus fundamentum eſt Divinitas, & Eſſentia Divina.

3\. Probatur *ſecundò* authoritate ſpeciali Conciliorum Generalium; conſubſtantialitatem námque S. ſpiritûs cum Patre, & Filio definivit claris teſtimoniis (ut alias ſynodos Provinciales prætercam) Concilium Lateranenſe generale, ſub Innocentio III. celebratum; unde *in Profeſſione S. Trinitatis*, relata *in cap. Firmiter, de ſum. Trinit*: dicit *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus eſt verus DEUS Pater, & Filius, & Spiritus S. conſubſtantialis, & coæqualis.* Et Florentinum *ſeſſ. 25.* dicit, *Credimus & in unum Spiritum Sanctum ex Patre quidem habentem Eſſentiam; quemadmodum etiam Filius, verum ex Filio quoque procedentem*; ſi ergo Spiritus S. habet ex Patre Eſſentiam, & ex Filio procedit, ſequitur neceſſariò, eum eſſe ipſis conſubſtantialem. Et Eugenius ſummus Pontifex *in Bulla definitiva*, in memorato Concilio confecta dicit; *definimus ut hæc Fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur; ac ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur; quia Spiritus Sanctus ex Patre, Filióque æternaliter eſt, & Eſſentiam ſuam, ſuúmque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul, & Filio*: Ergo Spiritus Sanctus Patri, & Filio eſt conſubſtantialis.

4\. Probari poteſt *tertiò* authoritate plurium qui conſtanter Spiritui Sancto attribuunt eandem Eſſentiam, & ſubſtantiam Divinam, cum eadem æqualitate, & perfectione, quam habet Pater, & Filius; & conſequenter conſubſtantialitatem: unicum adduco Athanaſium in Symbolo *Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum DEUM in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur; neque confundentes Perſonas neque ſubſtantiam ſeparantes*; en conſubſtantialitatem Spiritûs Sancti. Et iterum, *tota tres Perſonæ coæternæ ſunt, & coæquales*: Ergo ejuſdem DEItatis, & ſubſtantiæ.

5\. Objiciunt Macedoniani varios Scripturæ paſſus; quos putant probare, Spiritum Sanctum eſſe creaturam tantùm; & conſequenter non conſubſtantialem Patri: Primus paſſus eſt ille Amos *4. Dominus creans Spiritum*; ſi Spiritus Sanctus eſt creatus; Ergo, inquiunt, creatura eſt. Et Joan. *1. Omnia per ipſum facta ſunt*, ſcilicet per Verbum: ſi omnia; Ergo & Spiritus S. & conſequenter eſt factura, ſeu creatura; non conſubſtantialis. Item ad Rom. 8. dicitur, *Spiritus poſtulare pro nobis*; quod perſonæ conſubſtantiali repugnat; & ſoli creaturæ convenit. Item Joan. 16. dicitur, *Spiritus ſanctus audire, loqui, & annuntiare nobis*. Perſona autem Divina, & conſubſtantialis non audit, ſeu non inſtruitur prævio ſermone, ut aliis deinde loquatur. Item Zachariæ 4. Spiritus S. in Prophetis loquens vocatur *Angelus*; & conſequenter creatura. Tandem ubicunque nomen ſpiritûs Scriptura profert, loquitur de DEO eſſentialiter ſpectato, non perſonaliter, ſeu ut importat aliquam diſtinctam Perſonam: Ergo &c.

6\. Reſpondeo *ad primum paſſum*: ly *ſpiritus* ibi non ſignificare Spiritum Sanctum; ſed ventum, qui quandoque in Scriptura ſpiritus dicitur; unde ſeptuaginta addunt, *& firmans tonitru*; noſtra verò vulgata Editio locò *ſpiritûs* expreſſè ponit ly *ventus* ſic, *Dominus creans ventum*. Ad *ſecundum* dico; ly *omnia* cadere ſolùm ſuper omnia illa, quæ facta ſunt; inter quæ non continetur Spiritus Sanctus, utpote *non factus, nec creatus; ſed procedens*, ùt loquitur S. Athanaſius *in Symbolo*; Et Nazianz. *Orat. 5. de Theologia*. Et Epiphanius, *in Anchoreto*. Ad *Tertium* gloſſo ſcripturam, & dico, quòd Spiritus Sanctus ſolùm in hoc ſenſu dicatur poſtulare, & orare pro nobis, quatenus ſuâ arcanâ gratiâ docet, excitat, & juvat nos, ut poſtulemus, atque oremus ad Patrem; uti exponit D. Auguſtinus *lib. contra ſerm. Arian.* Nazianzenus, Chryſoſtomus, & alii PP. unde dicit rectè idem Apoſtolus ad Gal. 4. *Miſit DEUS Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem* (id eſt clamare facientem) *Abba Pater.* Ad *Quartum* cum S. Baſilio *lib. contra Eunom.* gloſſando textum dico, ly *audire* non ſignificare inſtructionem quandam, & diſciplinam, in tempore emendicatam ex dictis Patris; ſed notitiam æternam acceptam à Patre, & Filio per æternam proceſſionem. Ad *Quintum* dico;

co; ex hac Scriptura ſolùm haberi, quòd Spiritus aliquando aliqua revelet Prophetis per Angelos miſſos, ùt obſervat D. Athanaſius. Ad *ultimum* Neg. Ant. nam Scriptura quandoque etiam loquitur perſonaliter, juxta occaſionem materiæ, dequa agit.

ARTICULUS III.

An Spiritus Sanctus ſit anima mundi.

1. DIco primò: Spiritus Sanctus non eſt anima mundi. Ita Catholici; contra Abailardum.

2. Probatur *primò*: anima habet rationem partis informantis; ſed DEUS nequit habere rationem partis informantis: Ergo &c. Prob. Min. quia aliàs circumſcriberetur à mundo, quem informat: ſed DEUS circumſcribi nequit, juxta illud Job. 22. *DEUS excelſior cœlô eſt, & ſuper ſtellarum verticem ſublimatur.* Et illud 2. Paral. 2. *ſi cœlum, & cœli cœlorum eum capere non poſſunt*: Ergo etiam nequit habere rationem partis informantis. *Secundò*; ex nullo S. Scripturæ textu, vel Concilio generali, vel ſancto Patre conſtat, Spiritum Sanctum eſſe, & dici animam mundi; Ergo hoc aſſerere eſt merum figmentum hæreticum.

3. Fundamenta alicujus momenti pro oppoſita Abailardi ſententia non invenio: niſi quòd fortaſſis velit ex illo errorem ſuum ſtabilire, quod dicitur Gen. 1. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Reſpondeo enim, quòd per hæc verba ſecundùm SS. PP. tantùm inſinuetur, Spiritum Sanctum ſua virtute incubuiſſe aquis primævis, in principio creationis cæli & terræ productis; *quia eas* (inquit D. Baſilius) *fovebat, & vivificabat preparans eas ad mox futuram fecunditatem*; quod fiebat abſque omni informatione phyſica. Vel ùt interpretatur Toſtatus hìc Spiritus Domini, id eſt, *voluntas & mens DEI opificis ferebatur ſuper aquas, quaſi mente pertractans, & deſignans quæcunque ſtatuerat ex aquis facere.*

LIBER

LIBER II.

Continens Controverſias de Eccleſia vera DEI, & Chriſti; ejusdem vero Capite; Conciliis: vocatione Miniſtrorum Eccleſiæ veræ; eorumquè cœlibatu, & votis; ac immunitate Eccleſiæ.

CAPUT I.

De Eccleſiâ; & ejus Notis.

ARTICULUS I.

De quidditatę, & conſtitutione veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

1. NOta primò: hoc vocabulum *Eccleſia* eſt Græcum, & Latinè idem ſignificat quod *evocatio*, ſeu convocatio hominum, ſeu cœtus hominum evocatorum. Et in hac ſignificatione procedit illud Num. 20. *cur eduxiſtis Eccleſiam Domini*. Et illud ad Ephes. 1. *ſicut Chriſtus eſt caput Eccleſiæ*.

2. Nota ſecundò: circa quidditatem, ſeu conſtitutionem Eccleſiæ varii ſunt errores Hæreticorum. Nam Pelagiani contendunt Eccleſiam veram conſtare ex ſolis perfectis, & nullo unquam peccatô maculatis; utì refert S. Auguſtinus *de Hæres. c.* 88. Donatiſtæ clamabant, ad Eccleſiam non ſpectare manifeſtos malos; ùt habet idem Auguſt. Novatiani ſemel lapſos in Fide, etſi reſipiſcentes excludebant ab Eccleſia totaliter, tanquam non Membra ejus. Huſſitæ ex ſolis juſtis, & prædeſtinatis conflabant Eccleſiam veram: quibus in re conſentiunt noſtri Novatores Lutherus, & Calvinus: contra quos.

3. Dico primò: legitima Eccleſiæ veræ DEI, & Chriſti in terris conſtitutio eſt hæc (& ſit ſimul definitio veræ Eccleſiæ) quòd *ſit cœtus hominum, Chriſtiana Fides profeſſione, & quidem ejusdem communionis Fidei, & ſeptem ſacramentorum communione colligatus, ac ſub regimine unius in terris Chriſti Vicarii coordinatus; eſto in illo cœtu multi ſint etiam peccatores occulti, & manifeſti, ac reprobi.* Ita Catholici; contra citatos ſectarios.

4. Probatur prima pars; per quam *Judæi, Pagani, & Apoſtatæ à Chriſtiana Fide* excluduntur à ſyſtemate veræ Eccleſiæ: quia ſectæ non profitentes Religionem Chriſtianam nequeunt eſſe de vera Chriſti Eccleſia: cùm prima principia, & characterem eſſentialem talis Eccleſiæ non habeant: ſed tales ſunt Judæi, Pagani, & Apoſtatæ præfati: Ergo &c. Nec de hoc eſt ulla controverſia inter Chriſtianos.

5. Probatur ſecunda pars; per quam *Catechumeni, Excommunicati*, & *Hæretici* excluduntur à gremio veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti. Et primò *Catechumeni* necdum ingreſſi ſunt Eccleſiam per januam Sacramentorum, ſcilicet Baptiſmum; unde non ſunt actu de corpore Eccleſiæ; ſed potentiâ tantùm; ſicut homo conceptus, & necdum formatus non dicitur homo; niſi in potentia. Quod totum confirmat Concilium Florentinum *in inſtruct. Armen.* Et S. Cyrillus *lib. 12. in Joan. cap. 50.* Ergo &c. Secundò nec *Excommunicati* ſunt de vera Eccleſia DEI; tales enim privantur commerciô ſpirituali, quod habent membra Eccleſiæ inter ſe: adeoque cenſentur ſeparati ab iisdem membris. Unde dicitur in Jure Canonico *cauſ. 11. q. 3. Canonica inſtituta, & SS. PP. exempla ſequentes, Eccleſiam DEI violantes, authoritate DEI, & judiciô Spiritus S. è gremio S. Matris Eccleſiæ, & à conſortio totius Chriſtiani-*

tatis eliminamus. Tertiò: Nec *Heretici* pertinent ad veram Eccleſiam; quia hi non profitentur eandem, ſeu communem veram, & priſcam Fidem Chriſtianam, ab Eccleſia vera requiſitam; ſed particularia ſibi fingunt dogmata: & plerumque in numero ſeptenario Sacramentorum hallucinantur. De his dicitur 1. Joan. 1. *ex nobis exierunt; ſed non erant ex nobis*; id eſt non pertinebant amplius ad veram Eccleſiam: Ergo &c.

6. Probatur tertia pars; per quam excluduntur *Schismatici*: hi licèt aliquando profiteantur eandem communem Fidem Chriſtianam, & teneant ſeptem Sacramenta cum vera Eccleſia: quia tamen à communione aliorum Fidelium, & Obedientia unius veri Capitis Eccleſiæ, ac Chriſti in terris Vicarii, ſeu ſummi Pontificis ſe ſeparant; ideo ad Eccleſiam non ſpectare dignoſcuntur.

7. Probatur quarta pars; per quam in Eccleſia remanere ſtatuuntur *peccatores etiam graviſſimi occulti, & manifeſti, ac reprobi*, dummodo circa Fidem orthodoxam non errent: quia hujusmodi peccatorum permanſio in Eccleſia conſtat ex variis parabolis Evangelicis, quibus Eccleſia in Chriſtianis exiſtens, comparatur nunc reti congreganti bonos. & malos piſces; nunc Arcæ habenti frumentum, & paleas; nunc Convivio nuptiali, ubi comparuit unus ſinè veſte nuptiali, id eſt gratia; nunc Ovili, in quò reperiuntur oves, & hædi; quibus parabolis teſte S. Auguſtino ita olim fuerunt convicti Donatiſtæ, ut propterea palam confiterentur, in Eccleſia eſſe bonos, & malos: Ergo &c. Præterea Chriſtus ad Hebr. 13. mandat, ut *obediamus Præpoſitis etiam malis*: Ergo ſuponit aliquando dari in Eccleſia Præpoſitos malos, ſeu peccatores. Et demum tales dari, conſtat ex conſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, quod ordinatum eſt in Eccleſia pro expiandis peccatis: Ergo &c.

8. Objiciunt Hæretici contra quartam partem concluſionis *primò*: Scriptura S. ad Epheſios 5. dicit; *ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi*: Ergo &c. *Secundò*: Qui non habet DEUM Patrem, non habet Eccleſiam Matrem; ſed nulli reprobi habent DEUM Patrem, quia illi ſoli qui Spiritu DEI aguntur, ſunt Filii DEI: Ergo &c. *Tertiò*: S. Auguſtinus *lib. 2. contra Creſc. cap. 21.* ait; *Damnati à Chriſto in Corpore Chriſti non ſunt, quod eſt Eccleſia*: Ergo &c.

9. Reſpondeo *ad primum*: illum paſſum exponi à S. Hieronymo, Auguſtino, Bernardo, & aliis, de Eccleſia Triumphante in Cœlis: vel ſi intelligatur etiam de hac noſtra militante; ùti intelligunt S. Chryſoſtomus, Theophil: &c. Tunc Apoſtolus per Synechdochen; tribuit toti Eccleſiæ, quod uni parti convenit, id eſt, Eccleſiæ juſtorum, & perfectorum. Cum quo ſtat, quòd in corpore Eccleſiæ completè conſiderato ſint aliquæ maculæ & rugæ, ideſt membra peccaminoſa. Hâc viâ multa ſolvuntur argumenta hic, & authoritates Patrum. *Ad ſecundum* Diſtinguo Min. reprobi non habent DEUM Patrem per gratiam adoptionis, ùti habent juſti, Concedo Min. per profeſſionem veræ doctrinæ à Patre traditæ (quomodo Apoſtolus ad Gal 4. Galatas vocat *filios ſuos*; ſcilicet per prædicationem Evangelii) Nego Min. hôc enim modô reprobi, qui profitentur doctrinam veram Evangelii Sancti, ſünt filii DEI, & Eccleſiæ. *Ad Tertium* dico, S. Auguſtinum velle tantùm, quòd damnati adhuc viventes non ſint de corpore Chriſti eô modô, quô boni; id eſt, tanquam viva membra corporis Chriſti; ſed ſint, ùt ipſe loquitur *Tract. 3. in Joan.* tanquam humores corrupti, manentes in corpore.

ARTICULUS II.

An, & quæ Notæ ſint veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

1. Nota primò: quævis ſecta contendit apud ſe eſſe veram DEI Eccleſiam; & ad hoc ſuadendum adducit aliquas notas, characteres, Symbola, ac ſigna, per quæ legitimare nititur ſuam Eccleſiam tanquam veram, & alias omnes condemnat tanquam falſas, ac adulterinas; unde Calvinus Eccleſiæ falſæ Calvinianæ fundator *in catechiſmo Gallicano* vociferatur blaſphemè, *condemnamus, & anathematizamus cœtum Papatûs, eò quòd Veritas Divina ab illo repudiata, Sacramenta perverſa, & falſiſſima ſint, ibique ſola ſuperſtitio, & idololatria vigeat.* Et contra prætenſam Eccleſiam Lutheranorum *admon. 3. ad Joach. Veſtphal.* ſtrepitat, *Lutherani homines ſunt vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba factio Gygantum, phrenetici, beſtiæ prodigiosè cæci &c.* Sed ſimili moneta ſolvitur à Luthero *theſi* 27. ubi Eccleſiam Calviniſticam à Sectariis Calvinis, Zwinglianis, & Sacramentariis dilatatam damnat, dicens, *cenſemus & alienos ab Eccleſia DEI Zwinglianos, & Sacramentarios omnes, qui negant Chriſti corpus, & ſanguinem ore carnali ſumi in Venerabili Euchariſtia.*

2. Nota ſecundò: Calvinus itaque duas tantùm tanquam legitimas Notas veræ Eccleſiæ aſſerit *lib. 4. inſtit. cap. 1.* ſcilicet, ſinceram prædica-

prædicationem, atque auditionem Verbi DEI; & Sacramentorum verorum ex Chriſti inſtitutione obſervationem. Confeſſio Helvetica ponit unicam, nimirum ſinceram Verbi DEI prædicationem. Lutherus *lib. 2. de Conc. & Eccleſ.* proponit ſeptem, videlicet, Veram & incorruptam prædicationem Evangelii; legitimam adminiſtrationem Baptismi; legitimum uſum Euchariſtiæ; legitimum uſum clavium; legitimam electionem miniſtrorum; publicam pſalmodiam, & catechismum in lingua vulgari; & myſteria Crucis, id eſt, tribulationes intus, & foris.

3. Dico primò: omnes præfatæ Sectariorum Notæ ſunt inſufficientes ad probandas ſuas Eccleſias eſſe veras. Ita Catholici DD. contra citatos Hæreticos.

4. Probatur *primò*: Notæ veræ Eccleſiæ, quibus diſcernitur à quavis falſa, debent eſſe ei propriæ, & non communes cum reliquis Sectis; & hoc non ſolùm reipsâ; ſed etiam opinione aliorum: quis enim volens mihi deſignare aliquem, quem nunquam vidi, ut poſſim eum ab aliis diſcernere, ſi mihi ſolùm dicat, eſt homo habens duos oculos, duas manus, &c. certam Notam talis hominis dabit, diſtinctivam ab aliis? ſed ſincera prædicatio Evangelii, legitimus uſus Sacramentorum &c. ſunt communiſſima omnibus Sectis in ipſarum opinione: ſic enim Lutherus; ſic Calvinus; ſic cæteri clamant, non niſi apud ſe eſſe ſinceram prædicationem verbi, verum uſum Sacramentorum: Ergo cùm quævis Secta prætendat ſe habere iſtas Notas, nulla poteſt alteram convincere. *Secundo*: Notæ debent eſſe notiores eâ re, cujus ſunt Notæ; ſed notius eſt, quæ ſit vera Eccleſia; quàm quæ ſit vera prædicatio, aut verus uſus Sacramentorum: ſiquidem non aliunde, quàm ab Eccleſia diſcimus, quænam ſit vera & falſa prædicatio; verus & falſus uſus Sacramentorum: nam ùt pulchrè Tertul. *lib. de Præſcript.* dicit, *Quid prædicaverint Apoſtoli, quid illis Chriſtus revelaverit, non aliter probari debet, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt; ſi hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolorum, & matricibus, & originalibus Fidei conſpirat, veritati deputandam; reliquam verò de mendacio præjudicandam*: hæc ille. Si ergo non conſtet aliunde, quænam ſit vera prædicatio Evangelii, niſi ex judicio Eccleſiæ; malè aſſumitur pro Nota Eccleſiæ prædicatio Evangelii. Videamus modò veras, & genuinas Eccleſiæ veræ Notas. Quare

5. Nota tertiò: Catholici pro legitimis, & ſufficientibus ſignis, ac Notis veræ Eccleſiæ, DEI, & Chriſti oſtenſivis aſſignant ſequentes; videlicet Eccleſiæ unitatem; ſanctitatem; nomen & rem *Catholicæ*; nomen & rem *Apoſtolicæ*; antiquitatem; durationem, ſeu non interruptionem ejus; amplitudinem, & varietatem credentium; conſpirationem in doctrinam veterum PP. concordiam membrorum Eccleſiæ; & gloriam verorum miraculorum: quas omnes *in ſequentibus articulis* probabo. Unde ſit.

ARTICULUS III.

De Notis *Unitatis*; & *Sanctitatis* veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

1. DIco primò: vera DEI, & Chriſti Eccleſia pro eſſentiali ac ſufficienti Nota habet, quòd ſit unica per totum terrarum orbem diffuſa, & indiviſa; cujus tantùm membra ſunt variæ Eccleſiæ particulares, per Provincias diſtributæ. Ita Catholici; contra Hæreticos, varias Eccleſias foventes.

2. Probatur *primò*: S. Scriptura teſtatur, Eccleſiam debere eſſe unicam; unde dicitur Joan. 10. *fiet unum Ovile, & unus Paſtor.* Et Joan. 11. *JESUS moriturus erat pro gente; & non tantùm pro gente; ſed ut Filios DEI, qui diſperſi erant, congregaret in unum.* Et ad Rom. 12. *multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra.* Et ad Epheſ. 4. *unum corpus, & unus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ.* *Secundò*: Concilia Oecumenica Eccleſiam profitentur debere eſſe unicam; unde Nicœnum *in Symbolo Fidei*, ait; *unam eſſe ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.* *Tertiò*: SS. PP. quoque pro Eccleſiæ veræ Nota aſſignant unitatem ejus; unde Cyprianus *de unitate Eccleſiæ* ait, *Eccleſia Domini luce perfuſa per totum orbem radios ſuos porrigit; unum tamen lumen eſt* (ſcilicet fides una) *quod ubique diffunditur; nec unitas corporis ſeparatur.* Et infra, *unum tamen Caput eſt, & origo una, & una Mater fœcunditatis ſucceſſu copioſa &c.* Et Hilarius *lib. 7. de Trinit.* dicit, *cùm à Domino Eccleſia inſtituta, & ab Apoſtolis confirmata, una omnibus ſit.* *Quartò*: & ſanè conveniens eſt, ut vera DEI Eccleſia ſit unica; cùm *ſit unicus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus DEUS, & Pater omnium* ad E-

pheſ. 4. Et cùm DEUS *non ſit diſſenſionis DEUS.* 1. ad Cor. 4. & cùm diviſio oriatur ex diabolo; pax verò ex DEO: Item cùm unitas ad Eccleſiæ perpetuitatem, ſtabilitatem, & ſoliditatem conducat; multiplicitas verò, & diviſio ad ruinam inducat, juxta illud Luc. 11. *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur.*

3. Nota autem primò: Unitas porrò Eccleſiæ veræ conſiſtit potiſſimè in tribus ſequentibus. *Primò*, quòd omnia Eccleſiæ membra eandem Fidem profiteantur. *Secundò*, quòd inter ſe habeant communionem, non tantùm in Fide unica, eadémque; ſed etiam in uſu Sacramentorum, in quibus comprehenditur exterior ſaltèm charitas. *Tertiò*, quòd obediant Paſtoribus Eccleſiæ, ac ſpecialiter communionem habeant cum Capite viſibili, à Chriſto conſtituto, & S. Petri ſucceſſore. *Primum* de fide conſtat ex illo Joan. 17. *non pro eis autem rogo tantùm; ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint &c. & credat mundus, quia tu me miſiſti*; ubi Chriſtus unitatem eorum, qui in ipſum credunt per profeſſionem eandem Fidei vult eſſe pro ſigno, & Nota ſuæ veræ Eccleſiæ coram toto mundo; & ut mundus in eum credat. *Secundum* de communione in uſu Sacramentorum, qui charitatem indicat ſaltèm externam, conſtat ex illo Joan. 13. *in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem. Tertium* de obedientia erga Paſtores patet ex illo ad Epheſ. 4. *& ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos &c. alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum &c. ut jam non ſimus parvuli fluctuantes*: ſcilicet in credendo eandem veris articulis fidei veræ Eccleſiæ DEI. De obedientia, & communione cum vero Capite Eccleſiæ viſibili, infrà oſtendetur agendo de Capite vero Eccleſiæ DEI.

4. Dico ſecundò: vera DEI Eccleſia habet pariter pro certa, & ſufficienti Nota, quòd ſemper fuerit, ſit, & futura ſit ſancta. Ita Catholici; contra Hæreticos varios.

5. Probatur *primò*: Ex S. Scriptura habetur, Eccleſiam veram DEI fuiſſe, eſſe, & futuram eſſe ſanctam; unde dicitur Pſalm. 92. *Domum tuam decet ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.* Et ad Epheſ. 5. *viri diligite uxores veſtras ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam; aut aliquid hujusmodi; ſed ut ſit Sancta, & immaculata. Secundo*; eadem Eccleſiæ Sanctitas conſtat ex *Symbolo Apoſt.* ubi dicitur; *credo Sanctam Eccleſiam Catholicam.* Idem habet Symbolum Fidei, editum in Concilio Nicæno I. *Tertiò*; eandem Eccleſiæ veræ ſanctitatem profitentur SS. PP. ſignanter D. Auguſtinus *contra epiſt. fundam. cap. 4.* Ergo &c. *Quartò*: quia decet ſponſam Chriſti, quæ eſt Eccleſia, eſſe ſanctam; cùm ſponſum habeat ſanctiſſimum ipſum ſcilicet Chriſtum: Ergo &c.

6. Nota ſecundò: Sanctitas autem veræ Eccleſiæ potiſſimè conſiſtit in ſequentibus, videlicet in ſanctimonia doctrinæ; in ſanctimonia vitæ plurimorum in Eccleſia exiſtentium Fidelium; & in miraculis. *Primum* inde patet, quòd Eccleſia vera DEI nihil dogmatizet, quod ſit contra veram Religionem, & fidem Chriſti; nec errorem ullum, aut blaſphemiam contra DEUM, Chriſtum, aut Sanctos &c. contineat; nec turpe quid aut flagitioſum contra bonos mores; unde ab ejus doctrina exulat libertatum carnis prædicatio; ſed omnia caſta, pudica, & antiquitati conſentanea, ac carnis mortificativa docentur: & hac de cauſa dicitur Vera Eccleſia eſſe ſinè ruga, & macula *cit. cap. 5.* ad Eph. *Secundum* conſtat ex illo Matth. 5. *ſic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt*; qui textus verificatur in tot illuſtribus viris, qui Eccleſiam veram illuſtrârunt ſanctitate vitæ, & ſanctis moribus, ac operibus laudabilibus, cujuſmodi ſunt tot SS. Patres, & Doctores omnium ſæculorum; tot Martyres, Religionum inſtitutores, ac ex omni ſorte hominum piiſſimi Catholici. *Tertium* patebit ex infrà dicendis, ubi agetur de Nota miraculorum veræ Eccleſiæ *art. 6. conc. 3.*

ARTICULUS IV.

De Notis *Catholicæ*; & *Apoſtolicæ*, quas præſefert vera Eccleſia.

1. Dico primò: præterea vera DEI Eccleſia præſefert Notam *Catholicæ*, id eſt *univerſalis* nomine, & re; quæ probat infallibiliter ejus veritatem. Ita Catholici; contra plures Hæreticos.

2. Probatur prima pars de nomine: hoc nomen *Catholicæ*, id eſt *univerſalis* ſemper attributum fuit veræ Eccleſiæ; uti conſtat ex *Symbolo Fid.* Nicæni Concilii, & Apoſtolico, ibi *credo Sanctam Eccleſiam Catholicam.* Et ex SS. PP. ſignanter D. Auguſtino, qui *lib. contra epiſt. fundam.* dicit; *tenet poſtremò ipſum*

Catholicum nomen, quòd non ſinè cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit; ut cùm omnes Hæretici ſe Catholici dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam (ſubaudi Eccleſiam) *conveniatur, nullus Hæreticorum vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* Item à S. Paciano III. Epiſc. Barcinonenſi, qui Anno 360. *epiſt. 1. ad Sympron.* ſcripſit ſic; *quo ergo nomine congregationem meæ plebis agnoſcerem, niſi Catholica diceretur?*

3. Probatur ſecunda pars de re: Eccleſia vera eſt actualiter per totum orbem diffuſa; inſuper eſt univerſaliter perfecta: Ergo meritò ei convenit eſſe Catholicam, ſeu univerſalem. Prob. Ant. ex S. Auguſtino *epiſt. 170. ad Donatiſtas* edita, qui ait; *ipſa eſt enim Eccleſia Catholica; unde* Καθολικὴ *Græcè appellatur quòd per totum terrarum orbem diffunditur.* Et *lib. imperfect. in Gen. cap. 1.* dicit, *Mater Eccleſia Catholica dicitur ex eo; quia univerſaliter perfecta, & in nullo claudicat; & per totum orbem diffuſa eſt &c.* Ergo &c. Et ſanè, quamvis S. Litteræ Eccleſiam veram non appellent hoc nomine *Catholicæ* expreſſo; res tamen ipſa in iiſdem continetur; cùm in pluribus locis prædicetur, eam diffuſam in omnes gentes. Totum hoc ampliùs oſtendetur infra in Nota amplitudinis Eccleſiæ veræ.

4. Dico ſecundò: eadem vera Eccleſia DEI obtinet Notam conſpicuam *Apoſtolicæ.* Ita Catholici; contra Hæreticos nonnullos.

5. Probatur *primò*: hanc Notam *Apoſtolicæ* attribuit veræ Eccleſiæ tum Symbolum Apoſtolorum; tum Symbolum Fidei in Concilio Nicæno I. editum; ibi; *Credo & unam Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam*: Ergo &c. *Secundò*: Eccleſia vera tribus de cauſis revera dicitur Apoſtolica; ſcilicet quia amplius poſt ejus inſtitutionem à Chriſto factam fundata eſt à S. Apoſtolis Domini; & quia eorundem fidem, & doctrinam genuinam reſervat, ac profitetur; & quia in ea oſtendi poteſt legitima Epiſcoporum, & Paſtorum ſucceſſio à temporibus Apoſtolorum: Ergo revera eſt Apoſtolica. Prob. Ant. de primo, ſcilicet *fundatione*: nam ad Ephes. 2. dicitur; *vos eſtis Cives Sanctorum, & domeſtici DEI, fundati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JESU*: Ergo vera Eccleſia eſt poſt Chriſti inſtitutionem ampliùs fundata ab Apoſtolis. Prob. etiam de ſecundo, ſcilicet de *fide, & doctrina conſervata Apoſtolorum*, omnibus illis Scripturis, quæ docent veram Eccleſiam Chriſti permanſuram manifeſtam usque ad diem judicii; quod non fieret, ſi fidem, & doctrinam Apoſtolorum inconcuſſam non ſervaret, & profiteretur: Ergo &c. Prob. tandem de tertio, videlicet de *ſucceſſione legitima Epiſcoporum, Sacerdotum, & Paſtorum à temporibus Apoſtolorum*; ex illo ad Ephes. 4. *Et ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos &c. Alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii in ædificationem corporis Chriſti; donec occurramus omnes in unitatem Fidei & agnitionis.* Eandem ſucceſſionem atteſtantur SS. PP. primi; unde Irenæus *lib. 3. cap. 4.* enarrat ſucceſſionem Epiſcoporum Romanorum, à S. Petro incipiendo usque ad ſua tempora. Et ego eoſdem afferam ùſque ad noſtra tempora infra *art. 10.* Et S. Auguſtinus *lib. contra Epiſt. fundam.* inter Notas, quæ ipſum movent ad credendum, & perſeverandum in Eccleſia Catholica, affert quoque hanc dicens; *tenet me in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, usque ad præſentem, Epiſcopatuum ſucceſſio ſacerdotum, &c.* Ergo &c. Hanc Notam ampliùs roborabit alia Nota antiquitatis Eccleſiæ veræ, mox adducenda 5. *art.* unde ſit.

ARTICULUS V.

De Notis *antiquitatis; durationis; amplitudinis; & varietatis credentium* veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

1. Dico primò: ſpecialis quoque Nota veræ Eccleſiæ eſt antiquitas ejuſdem. Ita Catholici; contra plures Hæreticos.

2. Probatur *primò*: vera DEI Eccleſia eſt antiquior cunctis Sectis, in Chriſtianiſmo ſubortis ſucceſſivè; quod patet ex illa parabola Matth. 13. ubi legitur primò ſeminatum fuiſſe bonum ſemen, quod veræ Eccleſiæ doctrinam & fidem datam ſignat; & poſtea per inimicum hominem, id eſt, Hæreticos, ſuperſeminata fuiſſe Zizania, id eſt hæretica dogmata: Ergo &c. *Secundò*; vera DEI Eccleſia initium habet ab ipſo Chriſto, tanquam ejus lapide angulari, & ut *prior. art. conc. 2.* oſtenſum eſt deinde ab Apoſtolis plenè eſt fundata, conſtructa, & inſtructa ad Epheſ. 2. Ergo ipſa habet antiquitatem præ cunctis Eccleſiis falſis poſt eam enatis. Unde D. Hilarius *lib. 6. de Trinit.* irridens reformatores quoſdam hæreticos ſpeciem pietatis præſeferentes, ait; *tardè mihi hos piiſſimos Doctores ætas hujus ſæculi protulit; ſerò hos habuit Fides mea, quam tu erudiſti, magiſtros.* *Tertiò*; eandem antiquitatem veræ Eccleſiæ docent tum

ſummorum Pontificum, tanquam Chriſti legitimorum Vicariorum præſidia, & gubernia in eadem Eccleſia; & antiquiſſima Concilia Oecumenica pro ejusdem defenſione, contra varias hæreſes eam oppugnantes celebrata, ſtatim primis ſæculis Chriſtianiſmi; de quibus vide dicta in *prol. art. 18.* Et infrà *art. 8. conc. 1.*

3. Dico ſecundò: ſimiliter pro ſpeciali inſigni Nota ſibi vendicat vera Eccleſia durationem ſuam diuturnam, & nunquam interruptam. Ita Catholici; contra plures Hæreticos.

4. Probatur *primò*: hanc Notam durationis diuturnæ, & conſtantis Eccleſiæ veræ indicat S. Scriptura; unde de ea dicitur Dan. 2. *regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Et Actor. 5. *ſi ex hominibus conſilium hoc, aut opus, diſſolvetur; ſi verò ex DEO eſt, non poteritis diſſolvere.* Quod revera eventus docuit; nam veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti conſiſtentiam nulla humana conſilia tot Hæreticorum unquam diſſolvere valuerunt. *Secundò*; eandem durationem abſque interruptione oſtendunt tot perſecutiones primorum Tyrannorum Neronis, Diocletiani, Daciani &c. crudeliſſimè perſequentium veram DEI Eccleſiam, & per plura prima ſæcula trucidantium ſummos ejus Vicarios in terris, cœteróſque Epiſcopos, ac infinitam credentium multitudinem; & tamen cum ejusmodi perſecutione, ac cæde perſeveravit; imò magis crevit, & conſtanter propagata fuit vera DEI Eccleſia. Unde rectè de ea dicitur Matt. 16. quòd *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Et Matth. 28. *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.*

5. Dico tertiò: veræ DEI, & Chriſti Eccleſiæ Nota etiam celebris eſt ejusdem amplitudo; & varietas credentium. Ita Catholici; contra Hæreticos nonnullos.

6. Probatur *primò*: hæc Nota vera Eccleſiæ DEI prædicta fuit Pſal. 2. *dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam, terminos terre.* Et Pſalm. 71. *Dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos orbis terrarum.* *Secundò*; eandem Notam proſequuntur, & aſſignant SS. PP. præſertim D. Auguſtinus; unde *lib. de util. credendi cap. 7.* ait; *cùm igitur tantum auxilium DEI, tantum profectum, fructúmque videamus, dubitabimus nos ejus Eccleſie condere gremio.* *Tertiò*: ſanè hæc Eccleſiæ veræ DEI & Chriſti Nota patet ex mirabili propagatione Fidei orthodoxæ per orbem, quæ primò facta eſt per ipſos Apoſtolos: unde S. Petrus per ſe, ſuóſque diſcipulos Italis, Germanis, & Gallis prædicavit: Jacobus Hiſpanis: Andreas Thracibus, & Scythis Europæis: Philippus Scythis Aſiaticis: Matthæus Æthiopibus: Simon, & Marcus Evangeliſta Ægyptiis, Lybiis, & vicinis Afris: Bartholomæus Armenis, & Indis citerioribus: Thomas Indis ulterioribus, Parthis, Medis, Perſis, Brachmanis, Hircanis, & Bactris; atque ita de cæteris. Nam & Joſephum ab Arimathia volunt Apoſtolorum ætate in Anglia fuiſſe; & Simonem Leproſum in Galliis Cenomanenſem Eccleſiam rexiſſe. De Græcia, Syria, minori Aſia ſatìs loquuntur Scripturæ, quòd ab Apoſtolis, præſertim Petro, Paulo, Joanne fidem didicerint. Deinde eadem Fides ampliùs propagata fuit per Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos, Clericos ſæculares, Regulares, ac ipſos Imperatores Romanos Conſtantinum, Carolum Magnum, alióſque; & Reges, ac alios Principes ſupremos in Europa, Aſia, Affrica, & Indiis utriſque; de quo conſule *cap. 1. hujus libri art. 9. concl. 1. probat. 2.* Ut proinde meritò eandem alloqui liceat illô dictô Baruch. 5. *Exurge Jeruſalem, & circumſpice ad Orientem, & vide collectos filios tuos ab Oriente uſque in Occidentem.*

ARTICULUS VI.

De aliis Notis veræ Eccleſiæ DEI, videlicet *conſpirationis* in doctrinam veterum Patrum; *concordiæ* membrorum Eccleſiæ; & *miraculorum* in ea patratorum.

1. Dico primò: dijudicatur etiam veritas Eccleſiæ DEI, & Chriſti ex Nota conſpirationis in doctrinam veterum PP. Ita Catholici; contra Lutheranos, Calviniſtas; & alios Hæreticos, abjicientes ſententias Sanctas Patrum veterum Eccleſiæ.

2. Probatur *primò*: S. Scriptura monet veros Fideles debere conſervare & venerari doctrinam SS. PP. unde huc valet illud Prov. 22. *ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* *Secundò*; Concilia Oecumenica, & ſummi Pontifices plerùmque poſt textus S. Scripturæ adductos, aſſumunt quoque doctrinam veterum Patrum ad ſtabiliendos articulos Fidei, & confurandas hæreſes. Et ideo etiam laudatur Theodoſius Imperator, quòd hac viâ compescuerit Hæreticos ſui temporis dicens; *examinemus ergo doctrinam veram ad illorum ſcripta, & ſi cum eis convenit,*

retineatur;

retineatur; *ſin minùs abjiciatur. Tertiò*; & profectò cùm veteres SS. PP. Fidem orthodoxam Eccleſiæ veræ exactiſſimè calluerint, eandèmque tenaciſſimè aſſeruerint, defenderíntque contra priſcos Hæreticos; utì patet in Auguſtino, Tertul. Irenæo, Hieronymo, Cyrillo &c. ideo eorum doctrina à Fidelibus meritò tenenda eſt; ſicque communis eorum conſpiratio in præfatam doctrinam indicium, & Nota aperta eſt verorum Chriſtianorum, veræque Eccleſiæ.

3. Dico ſecundò: vera Eccleſia DEI, & Chriſti pariter cognoſcitur ex Nota concordiæ membrorum ejusdem. Ita Catholici; contra complures Hæreticos.

4. Probatur *primò*: niſi Eccleſia vera DEI pro Nota ſua neceſſaria haberet concordiam membrorum, jam pridem diſſoluta, & deſolata fuiſſet; juxta illud Matth. 12. *omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*: ſed talis Eccleſia usque modò perſeverat in ſuo ſtatu, & vigore: Ergo &c. *Secundò*; experientiâ conſtat, omnia membra veræ Eccleſiæ ſemper ſummam coluiſſe concordiam; unde SS. PP. Scripturæ Divinæ interpretes mirè concordant in eſſentialibus Fidei articulis exponendis; omnia pariter Concilia Oecumenica, & ſummi Pontifices in declarandis dogmatibus Fidei, & decidendis controverſiis ejusdem conveniunt: Ergo &c.

5. Dico tertiò: patratio demum miraculorum verorum etiam eſt legitima Nota veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti. Ita Catholici; contra Hæreticos varios.

6. Probatur *primò*: ad magìs authenticandam Fidem Orthodoxam veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti, manifeſta miracula patrata ſunt ab Apoſtolis, & aliis SS. Doctoribus, ac Fidelibus; unde Chriſtus mittens Apoſtolos ſuos ad magìs fundandam Eccleſiam veram in Judæa Matth. 10. *dedit illis poteſtatem Spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem*. Et Marc. *ult.* iidem Apoſtoli *profecti prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Et in actibus Apoſtolorum quanta miracula leguntur facta in probationem veræ Fidei Eccleſiæ veræ DEI, & Chriſti; unde dicit Apoſtolus ad Hebr. 2. *quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt in nos confirmata eſt, conteſtante DEO ſignis, & portentis*. Et Marc. 16. de membris veræ Eccleſiæ dicitur, *ſigna autem eos, qui crediderint hæc ſequentur; in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, &c. ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt*: Ergo &c.

Secundò; hæc Nota miraculorum verorum uberrimè probatur per SS. PP. qui referunt veriſſima miracula priſca in vera Eccleſia DEI facta; ùt S. Auguſtinus *lib. 22. de Civit. DEI cap. 8.* Et Chryſoſtomus *lib. contra gentil.* Et Euſebius *lib. 7. hiſt. cap. 14.* Et Hieronymus in *vita Hilarionis &c.* Probatur præterea *tertiò*; miraculorum patratio pro ſtabilienda vera Eccleſia DEI fuit neceſſaria, maximè à principio, ut credatur ejus Fides, & miſſio Apoſtolorum, ac aliorum Doctorum, talem Eccleſiam magìs fundantium, & propagantium: nemo enim rationabiliter credere tenetur, viros iſtos à DEO Legatos miſſos eſſe pro talis Eccleſiæ novæ DEI fundatione, niſi vel teſtimonium DEI ſcriptum producant; vel aliô ſignô extraordinariô, ſcilicet miraculo, demonſtrent; utì docet S. Auguſtinus *lib. 22. Civit. cap. 8.* Et fatetur ipſe Melanthon in *cap. 3. Matth.* dicens, *in tantis Religionis tenebris miracula eſſe neceſſaria*. Et propterea etiam in veteri Teſtamento Moyſes Legatus DEI ad Iſraëlitas, ut educeret eos de Ægygto, varia patravit miracula in teſtimonium ſuæ miſſionis; utì & coram Pharaone; ſicut legitur *in Exodo*. Et Elias extraordinariè miſſus à DEO ad filios Iſraël, qui defecerunt à Domino ad Baal, plura patravit miracula in teſtimonium ſuæ miſſionis, & fidei veri DEI; utì patet 3. Reg. 18. Et ipſe Salvator noſter quanta non fecit miracula, quando inſtituit Eccleſiam ſanctam novi Teſtamenti; ut doctrina ejus authenticaretur, & ei crederetur; unde dicit Joan. 15. *ſi opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: Ergo &c.

ARTICULUS VII.

Nota *unitatis* veræ Eccleſiæ convenit Eccleſiæ Romanæ; non item aliis Eccleſiis.

1. NOta primò: nomine *Romanæ Eccleſiæ* intelligi Eccleſiam Catholicam, & Apoſtolicam noſtram, toto orbe diffuſam, & complectentem omnes Eccleſias Provinciarum, & regnorum, quæ obediunt Epiſcopo, & Pontifici Romano tanquam Capiti omnium ſupremo; & cum eo communem fidem habent. Dicitur *Romana* à principali ſede ejus Romæ conſtituta, quæ eſt Mater aliarum.

2. Nota ſecundò: omnes Notæ veræ Eccleſiæ hactenus per 4. articulos recenſitæ, & probatæ conveniunt ad amuſſim Eccleſiæ Romanæ,

manæ, & quidem ſoli (quam Hæretici *Papiſticam* appellant) & cùm memoratæ Notæ ſint infallibiles, evidentes, & ſufficienter probativæ veræ Eccleſiæ DEI; generaliter bene infertur, Eccleſiam Romanam eſſe veram Eccleſiam, & quidem unicam, in qua eſt ſalus. Sed appropriemus ei ſingulas, eáſque probemus.

3. Dico primò: Eccleſiæ Romanæ convenit Nota unitatis. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

4. Probatur: Eccleſia Romana, ejúſque Concilia omnia Oecumenica, quamvis ex tot gentibus, linguis, & populis in vita, & moribus diverſis, in locis etiam ſummè diſſitis commorantibus congregata, unam eandémque ubique locorum fidem orthodoxam eſſentialem docent, tenent, ſcribunt, & annuntiant, eandem in Sacramentis, & numero 7. Sacramentorum communionem ſervant; unum Ovile credunt; unum ſupremum Paſtorem Romanum Pontificem, tanquam viſibile Eccleſiæ Caput, & à Chriſto conſtitutum in terris Vicarium ſuæ veræ Eccleſiæ venerantur, agnoſcunt, eidémque obediunt: Ergo Eccleſiæ Romanæ convenit veræ Eccleſiæ Nota unitatis; ac proinde ipſa ſola eſt vera, DEI Eccleſia.

5. Dico ſecundò: E contra aliis Eccleſiis, ab Hæreſiarchis erectis, nullatenus convenit Nota unitatis. Ita Catholici; contra quoſcunque Sectarios.

6. Probatur *primò*: ſi conſideretur quævis Eccleſia Sectariorum in particulari, nulla earum hactenus ab Hæreſiarchis conſtituta ullibi locorum, in quibus ejus membra degunt, eſt conformis; nec membra præciſè conveniunt in omnibus dogmatibus ſuis; &, ut reliquas diſcrepantias taceam, in numero Sacramentorum quanta inter Lutheranos eſt diſcordantia, & diſſenſio: nec ipſe Lutherus ſibi conſtans eſt; nam *lib. de cap. Babyl. primò* adſtruit unicum duntaxat; deinde ibidem ponit tria baptiſmum, panem, & pœnitentiam; tandem concludit eſſe tantùm duo ſcilicet baptiſmum, & panem. Ex ejus autem ſequacibus Lutheranis Melanhton *in loc. commun. anni 21. & 22. cap. de ſignis*, ponit duo ſcilicet baptiſma, & Euchariſtiam. Confeſſio Auguſtana *art. 13.* aſſerit tria, Baptiſmum, Euchariſtiam, & Pænitentiam. Lutherani *molles* dicti, agnoſcunt ſeptem, prout decreverunt in conciliabulo ſuo Lipſienſi. Et de Waldenſibus ipſemet Lutherus *cap. de Swermeris*, dicit; *Waldenſium mirabiles ſunt factiones de Sacramento altaris, quas ipſi non intelligunt; Evangelii promiſſionem non purè tractant &c. Secundò*: Nulla alia Eccleſia, vel ſecta habet unum viſibile, & ſupremum Caput vicariale Chriſti in terris, cui omnes partiales Eccleſiæ, & membra obediunt; nec ad unum unquam generale Concilium congregantur pro decidendis controverſiis enatis: uti patet examinanti Sectam Lutheri per Imperium, Daniam, Sveciam, ac alias Regiones diffuſam. Et in Calviniſtica Eccleſia, ubi eſt ſupremus Illius, & univerſalis Paſtor? non in Gallia, non in Helvetia, non in Anglia, nec in Hollandia.

7. Probatur *ſecundò*: ſi verò omnes Eccleſiæ, ſeu Sectæ Hæreticorum collectivè conſiderentur, minùs conveniunt in fide eſſentiali, fundamentali, & neceſſaria ad ſalutem; ſed ſummè diſcrepant; ut propterea planè mutuis blaſphemiis ſeſe inſectentur, compellando damnatos, hæreticos, dæmones, ſceleratiſſimos &c. Unde Calvinus *admonit. 3. ad Joach. Weſtphal.* ait, *Lutherani homines ſunt vertiginoſi, Cyclopes, ſuperba factio Gigantum, phrenetici, beſtiæ, prodigioſè cæci, deſperatè impudentes, nihil aliud, quàm falſarii, & improbi calumniatores &c.* Et Zwinglius *reſpons. ad librum, Lutheri de Sacramento*, dicit, *nos Swermeros, latrones, dæmones, fanaticos, nequam hæreticos, ſeditioſos, hypocritas, Torck, Bok, Plok, Donder, po, pu, pa, plumb &c. & quid non eſſe clamitas Luthere? multum de te gloriaris, te ira affectu correptum furere, & inſanire; non equidem negare poteris, ſi modò librum tuum, quem tutè Scripſiſti, probè perlegeris: DEi Verbum corrumpis, & adulteras, Marcionitas, & Arianos imitatus.* Et Centuriatores Lutherani *in defenſione confeſſionis Martiniſtarum* dicunt, *Liturgia Calviniſtarum abrupta, & infecta, non de uno ſolo Sacrilegio, abominabiles, ſed animas præcipitant in infinitum æternæ perditionis.* Et Sancharus Lutheranus *epiſt. contra Calvinum* ait, *quis Diabolus ô Calvine te ſeduxit, contra Filium DEI cum Ario obloqui? cave Chriſtiane Lector, & maximè vos Miniſtri omnes à libris Calvini cavete; & præſertim in articulo de Trinitate, Incarnatione, Mediatore, de Sacramento baptiſmatis, & Prædeſtinationis; continens enim doctrinam impiam, & blaſphemias Arianas, ut in Calvinum Spiritus Serveti combuſti ſecundum Platonicos remigráſſe videatur.*

8. Probatur *tertiò* inducendo inſtabilitatem, diſcrepantias, diviſiones, & diſconvenientias, quas inter ſe aliæ Eccleſiæ collectivè ſumptæ ponunt circa Fidem eſſentialem fundamentalem, & neceſſariam ad ſalutem; ex quo patet ulteriùs hujuſmodi Eccleſiis conjunctim ſumptis non convenire eſſentialem illam Notam veræ Eccleſiæ, quæ eſt unitas: nam ut à veteribus incipiam Ariani, Hermogeniſtæ,

geniſtæ, Neſtoriani, Eutychiani, Eunomiani &c. quantas non diſcrepantias inter ſe habuerunt; ut proinde eorum Sectarii nunc hujus, nunc illius dogmata amplecterentur: audi quid de his ſcribat Magnus Baſilius *epiſt. 82. Arium primò ſecuti ſunt; poſtea ad Hermogenem ſunt mutatâ ſententiâ converſi, qui ex diametro erat hoſtis Arii, improbatæ opinionis, &c. Poſt dormitionem Hermogenis iterum immutati ad Euſebium defecerunt &c. Inde elapſi denuo Arianam ſententiam celarunt. Quoties Fidem exponendo navarunt; Ancyræ dederunt aliam; Seleuciæ aliam; Conſtantinopoli aliam; aliam in Lambaſco.* Novatores verò noſtri quantùm non diſcrepant circa Fidem eſſentialem, & neceſſariam ad ſalutem! nam Calvinus *lib. 2. inſtit. cap. 16.* Et Confeſſio Heluetica *art. 12.* docent totam Fidem eſſentialem, & neceſſariam ad ſalutem, conſiſtere in ſolis articulis Symboli Apoſtolorum. Muſculus autem *in locis tit. de Eccleſia*, & Hosmanus *loc. theolog. 29.* ac alii complures Hæretici docent, præter dictum Symbolum Apoſtolicum, etiam requiri Symbolum Athanaſii. Et Geor. Calixtus Lutheranus *reſp. ad Theol. Mogunt. n. 139.* vult inſuper eſſe neceſſarium, credere totum Symbolum Nicænum, & Conſtantinopolitanum, & Anathematiſmum Epheſinum, & Confeſſionem Chalcedonenſem, contra Neſtorianos & Eutychianos; item Baptiſmum infantibus neceſſarium ad ſalutem. Lutherus præterea *tom. 7, Enchirid.* etiam requirit ut credatur in Orationem Dominicam. Sorbenus, Rivetus &c. aiunt ſufficere credere in JESUM Chriſtum. Cochinus docet *lib. 2. Dialog.* ſolum vetus Teſtamentum eſſe credendum. Lutherus autem *serm: de Moyſe*; Et Carion. *in chronic. anni 1556.* vetant omnino loqui de Moyſe, vel veteri Lege; alioquin Chriſto injuriam fieri. Et Lutherani Eccleſias Angliæ, Galliæ, Scotiæ, &c. tanquam hæreticas proſcribunt, teſte Sturmio *de rat. concor.* Item Lutherana Eccleſia credit tanquam eſſentialem articulum Fidei ex Symbolo, B. MARIAM eſſe Virginem; Calviniſtica plerumque hoc negat. Lutherani admittunt 23 libros Canonicos Novi Teſtamenti; Calviniſtæ 27. Lutherani credunt omnes homines ſalvari æquè; ſed Calviniſtæ hoc paſſim negant. Lutherani, & omnes Chriſtiani credunt Chriſtum verum Meſſiam eſſe, ſed negant Calviniſtæ plures, ùt Edvardus Rogerius *in lib. ſuo Londini impreſſo an. 1579. &c.*

9. Objiciunt Hæretici: etiam inter Doctores Romanæ Eccleſiæ ſunt diviſiones, & Schiſmata; dum alii ſe Thomiſtas, alii Scotiſtas, &c. appellant: Ergo &c. Reſpondeo has diviſiones DD. Scotiſtarum, & Thomiſtarum non tollere veram unitatem dogmatum Fidei eſſentialis, & fundamentalis, ac ad ſalutem neceſſariæ; cùm in illis omnes conveniunt: ſed ſunt tantùm diviſiones circa opiniones humanas adiaphoras, ſcilicet ſcholaſticas, ad Fidem non ſpectantes; & non minùs Fidem uniformem, communem, ac eſſentialem lædunt, quàm concertatiò olim orta inter D. Auguſtinum, & Hieronymum; & inter S. Petrum, & S. Paulum, de Legalibus.

ARTICULUS VIII.

Nota *Sanctitatis* veræ Eccleſiæ convenit Eccleſiæ Romanæ; non item aliis Eccleſiis.

1. DIco primò: Eccleſiæ Romanæ convenit Nota *Sanctitatis*. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

2. Probatur *primò* de ſanctitate doctrinæ ejus: doctrina Eccleſiæ Romanæ ſtatim à ſuo exordio fuit, & usque nunc eſt Sancta; id eſt immunis ab omni errore, & dogmate falſo contra Fidem, omnique blaſphemia circa DEUM, Chriſtum, Sanctos &c. Quinimò quotiescunque in Eccleſia Romana conſurrexerunt aliquæ peregrinæ, & erroneæ doctrinæ, à quibus ejus puritas, & ſanctitas inquinari poſſet, illicò congregata fuerunt Oecumenica Concilia, in quibus ſimiles doctrinæ, & hæreſes condemnatæ fuerunt; ſic contra nova erronea dogmata Arii congregatum fuit Concilium Nicænum I. an. 327. ſub Sylveſtro Papa. Sic pariter contra Macedonianorum hæreſes, & falſas doctrinas, Eccleſiam Romanam deturpantes collectum fuit Concilium generale Conſtantinopolitanum I. ſub Damaſo Papa an. 381. & ſic de aliis, ùt videre eſt per extenſum ſupra *in prol. art. 28.* Eadem ſanctitas doctrinæ Eccleſiæ Romanæ conſtat ex eo, quòd non foveat ulla flagitia, crimina, vel depravatos mores; nec vitam licentioſam, & ad libertatem carnis declinantem; quinimò ſeveriſſimas condidit Leges, & canones pro morum Chriſtianorum integritate, ac ſanctitate conſervanda, & reſtauranda, tam in Clero, quàm in Laicis; ùt videre eſt in corpore Juris Canonici; in omnium ferme Conciliorum Decretis, & in ſummorum Pontificum Romanorum reſcriptis Zelantiſſimis.

3. Probatur *ſecundò* de ſanctititate vitæ plu-

rimorum in Eccleſia Romana exiſtentium: nam per omnem ætatem, non ſolùm ante tempora Gregorii I. *Magni* dicti (quibus dicunt Hæretici duràſſe veram Eccleſiam) floruerunt ſanctiſimi Epiſcopi, & Doctores, ut Ignatius, Juſtinus Mar. Cyprianus, Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, Athanaſius, Baſilius Mag. Chryſoſtomus, &c. Sed etiam poſt, usque ad hæc tempora mira ſanctitate morum, & vitæ coruſcant celebres DD. atque Fundatores Ordinum, ùt Fulgentius, Anſelmus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, Thomas, &c. quos ipſimet adverſarii Lutherus, Calvinus, & alii fatentur fuiſſe Sanctos; & Lutherus *lib. de capt. Babyl: cap. 2.* nihil aliud in ipſis reprehendit, niſi nimiam ſanctitatem. Et Confeſſio Auguſtana *cap. art. 5. Et 27.* vocat Bernardum, Dominicum, & Franciſcum, Sanctos. *Tertiò* ſanctitas quoque ejusdem Eccleſiæ quoad miracula probabitur infra *artic. 13.*

4. Dico ſecundò: è contra aliis Eccleſiis Hæreticorum, & Sectis hæc Nota ſanctitatis nullatenus competit. Ita Catholici; contra quamcunque Sectam.

5. Probatur *primò*: de Sectarum non ſanctitate, & improbitate, & maximè earum fundatoribus ſecundùm SS. PP procedit illud Apoſtoli 2. ad Timot 3. *in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: & erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſinè affectione, ſinè pace, criminatores, incontinentes, immites, ſinè benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm DEI, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes, & hos devita Ex his enim ſunt, qui penetrant domus, & captivas ducunt mulierculas, quæ ducuntur variis deſideriis.* Et illud *cap. 4. Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditum avertent; ad fabulas autem convertentur*: Ergo in Sectis, ſeu Eccleſiis aliis nulla eſt ſanctitas nec doctrinæ, nec vitæ, & morum. Idem

6. Probatur *ſecundò* inductione principalium Sectarum, & aliarum Eccleſiarum. *Imprimis* Secta Paganorum, & Politicorum, ſeu Atheorum, & Philoſophorum infidelium nullam habet ſanctitatem in doctrina ſua; ſed infinitos errores; cùm divinitatem idolis, tam vilibus creaturis, ùt lapidibus, lignis, ſoli &c. attribuat; utì facit Secta Paganorum. Item omnem Divinitatem neget exiſtere; utì facit Secta Politicorum, & Atheorum. Item cùm quoad mores, & vitam flagitioſos ſe ſe exhibeant, ac omne genus peccati carnis licitum cenſeant, legibúsque ſuis adulteria commendant; ùt fecit Lycurgus Philoſophus, juxta S. Auguſtinum *lib. 18. Civit. cap. 41.* Item communionem uxorum, nefandam libidinem, extinctionem conceptuum in utero, cædes infantium impunè permittant; ùt Plato. Item coitus publicos more canum fieri licere doceant; ùt Diogenes Philoſophus, & ejus Sectatores Cynici; teſte eodem D. Auguſtino *lib. 14. cap. 20.*

7. *ſecundò* Secta Judæorum incredulorum poſt Paſſionem Chriſti remanens nullam ampliùs redolet ſanctitatem ſuæ doctrinæ; cùm in ſuis Thalmudicis libris graviſſimas blasphemias in Chriſtum JESUM effutiant; item ſceleſtiſſimos proferat errores; aſſerendo DEUM poſt deſtructionem templi Hieroſolymitani dolere; & propterea rugire ut Leonem; ac alia abſurdiſſima & homine indigna commenta tradendo. Inſuper cùm annuè in die Paſſionis Domini infanrem Chriſtianum, ſi habere poſſint, crudeliter Hebræi occidere ſoleant, teſte P. Bernard. Vetweis *in ſpec. veræ Eccleſiæ lib. 5. cap. 2. art. 19.* Item Scripturas omnes de Meſſia ad carnalem ſenſum detorqueant. Miracula amplius nulla habeat; nec Doctores ſanctos; ſed Rabbinos libidinoſos vitioſosque.

8. *Tertiò*: ſimiliter Secta Mahometana abjectâ omni Prorſus ſanctitate illicita, falſa, ac nefanda quæque ſua doctrinâ permittit; unde in Alcorano permittitur Turcis cultus idololatricus aſtri Chubar; adſtruitur fatum ad malum impellens; in paradiſo poſt carnis reſurrectionem promittitur cibus, & potus abundans, ac ad coitum carnalem copia pulcherrimarum virginum; conceditur abjectio uxoris non gratæ, & aſſumptio pro arbitrio alterius mulieris gratæ; deficiente fæmina datur poteſtas exercendi concubitum cum maſculis, &c. Impuros pariter habet Doctores, quos *ſanctones* appellant, qui multiplicant uxores, & ad illicita quæque ſunt profuſi. Sanctitas pariter in miraculis nulla, quia miraculum illud, quod *Azoar. 64.* Alcorani narratur de reparata Luna confracta, fabula eſt: Ergo &c.

9. *Quartò*: pariter Eccleſia Schismaticorum non ſanctitatem in dogmatibus ſuis; ſed impuram falſámque in multis continet doctrinam; adſtruendo ſcilicet, licitum eſſe repudium uxoris; Extremam Unctionem, & Confirmationem non eſſe Sacramenta vera; eſſe ſuperſtitionem conſecrare chriſma, & benedicere oleum infirmorum; reliquias panis conſecrati tranſire in reliquias corporis B. V. MARIÆ; Romanum Pontificem non eſſe ſup-

remum

remum Caput viſibile totius Eccleſiæ DEI, ac proinde ipſi non eſſe ullatenus obediendum; poſſe quemvis licitè damnificare inimicum ſuum; Latinam Eccleſiam non habere legitimam formam Baptiſmi; & eandem errare graviter non celebrando in fermentato; SpiritumS. non procedere à Patre, & Filio &c. Sed & Miniſtri, & Doctores moderni Eccleſiæ Græci carent ſanctitate, & probitate vitæ; dum pretiô acceptô abſolvunt omnes fures, uſurarios, & raptores, ſinè omni prorſus obligatione reſtituendi damnum illatum; dum populo prædicant, & in Sacramento Pœnitentiæ injungunt ſuis pœnitentibus, ne obediant Eccleſiæ Romanæ; dum cælibatum Miniſtrorum Eccleſiæ Romanæ irrident, & in carnalibus deliciis ſuorum uxorum diffluunt. Miracula quoque nulla vera in hac Eccleſia Schiſmatica, à quo lapſa eſt in Schiſma, contigerunt.

10. *Quintò*: idem judicium ferendum eſt de aliis falſis Eccleſiis antiquis, puta Ruthenorum, Abyſſinorum, Moronitarum, Surianorum, Jacobitarum, Georgianorum, Armenorum, Apellitarum, Neſtorianorum, Manichæorum, Ebionitarum, Cerinthianorum, Nicolaitarum, Montanorum, Simoniacorum, Marcioniſtarum, Cerdonianorum, Gnoſticorum Valentinianorum, Marcitarum, Carpocratitarum, Cataphrygarum, Sabellianorum, Photinianorum, Novatianorum, Arianorum, Macedonianorum, Donatiſtarum, Priſcillianiſtarum, Pelagianorum, Eutychianorum, Vigilantianorum, Iconomachorum, Circumcellionum, Berengariſtarum, Monothelitarum, ac plurimorum aliorum Erronum, qui doctrinam non Sanctam; ſed perniciosam, blaſphemam, ac damnatam diſſeminarunt; utì patet ex eorum hæreticis propoſitionibus, quas diſtinctè retuli ſupra *in prolog. per plures art.* ex vita quoque, Doctrina, & morib' dictarum Eccleſiarum, & ſignanter Hæreſiarcharum, ac fundatorum; erant enim corruptiſſimi, & plerumque dishoneſtate, libidine, & fæminarum amoribus pleni: quibus comitibus etiam hæreſes ſuas propagarunt magis. Audi Hieronymum *epiſt. ad Cteſiphont.* dicentem, *Simon Magus hæreſim condidit Helenæ meretricis adjutus auxiliô. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor duxit choros fæmineos. Marcion Romam præmiſit mulierem, quæ decipiendos animos ſibi præpararet. Apelles Philomenem ſuarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi Spiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam, & Maxillam nobiles, & opulentas fæminas primum aurô corrupit; deinde hæreſi polluit. Arius ut orbem deciperet, ſororem Principis antè decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fætentibus pollueret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum habuit.* Miracula autem (quæ ſanctitatem talium Eccleſiarum probarent) nulla vera ediderunt Sectarii earundem.

11. *Sextò*: & ut propiùs accedamus ad noſtrum ſæculum; quid ſanctitatis, & veritatis habuerunt in ſuis doctrinis; & quid probitatis in moribus, Eccleſiæ Waldenſium, ac Wiclephiſtarum? quid Huſſitarum, Thaboritarum, Picarditarum, Veſſalianorum, & Adamitarum &c.? cùm peſſima quædam dogmata contra Orthodoxam Catholicam, & Apoſtolicam Fidem effutierint; quæ exactè referuntur ſupra in *prolog. art. 16. & 17.* libertatem ad plura vitia Chriſtianis conceſſerint, graviſſima maledicta in ſummum Pontificem, & Chriſti Vicarium in terris, ac Eccleſiam veram protulerint. Nulla autem vera miracula in teſtimonium ſuæ doctrinæ patraverint. Lutheri, & Melancthonis teſtimonium ſuper his Eccleſiis non Sanctis in doctrina, audiamus; is *cap. de ſwermeris* ſic dicit, *Waldenſium mirabiles ſunt factiones de Sacramento Altaris, quas ipſi non intelligunt, Evangelii promiſſionem non purè tractant &c.* Et Melancthon *epiſt. contra Wicleph.* dicit, *prorſus non intellexit Wicleph, nec tenuit fidei juſtitiam, ineptè confudit Evangelium.* Et *in loc. com. cap. de poteſt. Eccles.* ait, *illa Wiclephica ſuperſtitio perniciosa, & ſeditioſa eſt.* Et Lutherus *in com. epiſt. ad Gal. cap. 8. conſequens eſt, quòd Boemorum diſſidium* (id eſt Huſſitarum hæreſis) *à Romana Eccleſia nulla poſſit ratione defendi, quin ſit impium, & Chriſti omnibus legibus contrarium.* Et in *reſolut. ſolut.* Picardos vocat Hæreticos dicens, *hæc ideo commemoro, ne Picardi noſtri vicini hæretici, infelix populus, qui fænore Romano gaudet, &c.*

12. *Septimò*: quid noviſſima Eccleſia Lutherana ſanctitatis habeat; docent ſcripta Lutheri; in quibus ipſe *diſp. 1. contra Eckium* agens de ſua reformatione ait, *hæc cauſa nec propter DEUM capta eſt, nec propter DEUM finietur.* Et in iisdem dogmata falſiſſima, & ab omni prorſus ſanctitate denudata profert; utì patet ex ejus propoſitionibus hæreticis, quas in *Prolog. art. 18.* retuli; & alibi ſparſim in hoc Opere refelluntur. Deinde ſanctitatem vitæ, & morum; Doctoris primarii hujus Eccleſiæ, ſcilicet ejusdem Lutheri, teſtantur ipſiusmet

Hæreſiarchæ fuga, & apoſtaſia ab Ordine Religioſo, quem DEO juraverat; violatio voti caſtitatis per celebrationem Matrimonii cum Moniali Catharina; licentia data ad vitia, de qua dicit, *lib. de vit. conjug. ſi non vult uxor, veniat ancilla, &c.* Et *tom. 7. de ſervo arbit.* Decalogus ad Chriſtianos non pertinet. Idem teſtantur blaſphemiæ graviſſimæ ejus tum in DEUM, quem authorem malorum facit *tom. 2. de ſervo arbit.* dicens, *DEUS in nobis operatur bona, & mala.* Tum in SS. Patriarchas, SS PP. & Apoſtolos; unde de Moyſe dicit, *Moyſes inſtar Diaboli ſpeciem præſefert, habet labia diffuſa felle, & irâ.* Et de Patribus *in colloq. convival. cap. de Patrib.* dicit, *Originem jam dudum diris devovi; Chryſoſtomum nullô locô habeo, non eſt niſi loquaculus; Baſilius nihil valet, totus eſt Monachus; ne pilò quidem illum redimerem; Apologia Phil. Melanthonis omnes Eccleſiæ Doctores exuperat, etiam Auguſtinum.* Et de Apoſtolo Jacobo *tom. 6. in cap. 22. Gen.* dicit; *malè concludit Jacobus; non ſequitur, ut Jacobus delirat, igitur fructus juſtificant; faceſſant ergò è medio adverſarii cum ſuo Jacobo.* De ſanctitate vitæ etiam ipſorum membrorum Eccleſiæ Lutheranæ audi, quæ ſcribit ipſe Lutherus *in poſt. Domin. 1. advent.* ubi loquens de ſuis Sectariis ait, *videmus quòd hoc tempore homines ſint multò pejores, truculentiores, tenaciores, libidinoſiores, quàm unquam antea in Papatu fuerint.* Et Muſculus celebris Lutheranus *in 1. Dom. Advent.* ſequens de ſuis confratribus profert teſtimonium, *cum nobis Lutheranis hoc tempore agitur, ut ſi quis videre volet ingentem turbam nebulonum, hominum turbulentorum, fallacium, impoſtorum, fœneratorum &c. Nam meridiana luce clarius eſt, quòd hominum effrænatorum, & indomitorum, apud quos omnis virtus, & honeſtas penitus extincta eſt, & apud quos pro peccato nihil reputatur; nusquam plures, ne quidem apud Ethnicos, Turcas, & alios infideles, quàm apud Evangelicos, apud quos omnia Diaboli fræna laxata ſunt, reperiantur.* De ſanctitate miraculorum hujus Eccleſiæ infra erit ſermo *art. 13.*

13. *Octavò:* Similiter noviſſima Eccleſia Calviniſtica cum ſuis filialibus Zwinglianorum, Sacramentariorum, Puritanorum, & Geuziorum nullâ reſperſa eſt Notâ ſanctitatis: nam ſi doctrinam eorum ſpectes, plurima impia, erronea, & blaſphema dogmata continet; uti apparet ex propoſitionibus hæreticis dictarum Eccleſiarum, ſupra in *prolog. art. 19. & 21.* regiſtratis. Si vitam, & mores primorum Doctorum earum, videlicet Calvini, Zwinglii, Carolſtadii, Æcolampadii &c. conſideres, in eis nullam deprehendes Sanctimoniam: circa quod audiamus aliena teſtimonia. De Calyino Bolſecus Calviniſta & ſocius Calvini *in vita Calvini* ſic ſcribit, *Calvinus cùm Noviodunt curatum beneficium, & aliud Sacelli cujusdam Sacerdotium obtineret, Sodomitici ſceleris convictus in vita diſcrimen venit, ut igni concremaretur; Cæterum Epiſcopi urbis commiſeratione pœna moderata, canteriô candenti ejus humero lilium eſt inuſtum &c. DEUM autem teſtem appello, non me invidiâ, privatóque adverſus quemquam illorum odiô incitatum ad ſcribendum accedere; ſed Divini honoris veritatiſque vindicandæ zelô.* Idem teſtatur Schlüſſelburgius Lutheranus; & Tiletanus *cap. 18. apol.* Zwinglius fuit blaſphemus in Venerabile Sacramentum, in S. Imagines, & altaria, ſeditioſus, & ad bellum inteſtinum concitans Helvetas, in quo & occiſus eſt An. 1050. Carlſtadius teſte Surio ad An. 1525. Archidiaconus Wittenbergenſis, uxorem duxit, S. Euchariſtiam conculcavit, altaria dejecit, & demum fractò à Dæmone collo interiit. Æcolampadius Monachus inceſtuoſus, & valde vitioſus in inceſtu extinctus fuit; Secundùm Surium ad An. 1531. De ſanctitate miraculorum iſtarum Eccleſiarum agetur infra *art. 13.* De ſanctitate etiam membrorum Eccleſiæ Calviniſticæ teſtatur ipſemet Calvinus *conc. 10. in epiſt. ad Epheſ.* ſic, *Sectæ meæ homines omnium mortalium eſſe ſceleratiſſimos, & facinoroſiſſimos, tetra monſtra, & malos genios, humanam formam indutes.*

ARTICULUS IX.

Ly *Catholica*, quæ eſt Nota veræ Eccleſiæ, convenit Eccleſiæ Romanæ; non autem aliis Eccleſiis.

1. DIco primò: Nota *Catholica* deſignans Eccleſiam veram, convenit quoque re, & nomine Eccleſiæ Romanæ. Ita Catholici; contra cunctos Hæreticos.

2. Probatur *primò* quòd Eccleſiæ Romanæ conveniat ly *Catholica* ſecundùm nomen: Omnes SS. PP. primorum quinque ſæculorum (quos ſolos plures Hæretici recentiores agnoſcunt pro venerandis Doctoribus) hoc nomine *Catholicæ* inſigniunt Eccleſiam Romanam, in qua ipſi vivebant ſub obedientia Romani Supremi Pontificis; unde Auguſtinus totus Romanus Fide *de ver. Relig. cap. 7.* ait, *Catholica nominatur* (ſubaudi Eccleſia illa in qua ipſe degebat, ſcilicet Romana) *non ſolùm à ſuis; ſed etiam ab omnibus inimicis.* Et *lib.*

lib. de util. cred. cap. 7. dicit, *noſtra enim una eſt Catholica Eccleſia.* Et Chryſoſtomus Eccleſiæ Romanæ alumnus *hom. 33. in Act. Apoſt.* dicit, *illi* (ſcilicet Hætetici) *habent quosdam, à quibus appellentur; prout enim Hæreſiarchæ nomen, ita & Secta vocatur: nobis autem nullus vir nomen dedit; ſed Fides ipſa, ſcilicet Catholica.* Et Cytillus Romanæ Eccleſiæ filius *cat. 18.* dicit, *ſi veneris in aliquam urbem, non petas ubi ſit Eccleſia DEI, vel domus? nam etiam hæretici dicunt ſe habere Domum DEI, & Eccleſiam: ſed petas ubi ſit Catholica Eccleſia? id enim nomen proprium eſt hujus S. Eccleſiæ, Matris omnium noſtrûm.* Præterea in omnibus Conciliis Oecumenicis ab antiquo Eccleſia Romana vocatur Catholica; & ejus Caput Papa dicitur Catholicus, & univerſalis Pater, atque Catholicæ Eccleſiæ Caput.

3 Nota primò: quamvis vera DEI Eccleſia Catholica paſſim etiam nominetur *Pontificia, Romana*, vel *Papiſtica*, quod ultimum prædicatum ei attribuunt Hætetici; hæc tamen nomina non officiunt ei, neque ab ea tollunt veram nomenclaturam *Catholicæ*; ſed cum illa cohærent, & ſynonima ſunt. Vocatur itaque *Pontificia* à ſummo Pontificatu, quem Epiſcopus Romanus gerit, & à poteſtate pontificali, quam is exercet ſuper omnes alias particulares Eccleſias nationum ſubditarum; unde Chryſoſtomus *loc. cit.* ait, *quod ſi & nos agnominationem cujusdam ſortimur; ſed non ut ab hæreſum principibus* (v. g. ſicut Lutherana Eccleſia à Luthero) *ſed ab his, qui præſunt nobis, & gubernant Eccleſiam.* Appellatur pariter *Romana* à Sede ejus principali Romæ conſtituta; ſeu ob ſummam Paſtoris Romani in illa præſidentis authoritatem, ſeu *propter potentiorem principalitatem*, ùt loquitur Irenæus *lib. 3. cap. 3.* quæ ſecundùm Nazianzenum in ſua vita eſt *princeps univerſi mundi.* Et quæ ſecundùm Cyprianum *epiſt. 45. eſt veluti Eccleſiæ Catholicæ radix, & matrix.* Demum *Papiſtica* dicitur; quia Papa, ſeu ſummus Pontifex ejus eſt Caput, & Supremus Epiſcopus.

4. Probatur *ſecundò* quòd Nota *Catholica* etiam ſecundùm rem conveniat Eccleſiæ Romanæ; nam ipſa eſt omnium univerſaliſſima, & per totum pene Orbem terrarum diffuſa: unde ejus ſupremi Pontifices Romani primis ſtatim ſæculis per ſuos ablegatos Præcones, & SS. Doctores Græcos, ac Latinos eandem Eccleſiam propagarunt, & ſtabilierunt in regnis, atque provinciis meridionalibus, & orientalibus. Similiter in Occidentem, & ſeptemtrionem ſuos ſæpius deſtinârunt Apoſtolos, & Fidei Orthodoxæ Romanæ Eccleſiaſtes Sanctos, ac prodigioſos; puta in Angliam S. Lupum, S. Germanum, S. Auguſtinum, &c. In Germaniam inferiorem Rumoldum. In Germaniam ſuperiorem Creſcentem, qui Moguntinis prædicavit. Et Eucharium, ac Valerium, qui Treuiris; Maternum, qui Tongris, & Colonienſibus Evangelium annunciarunt. Ad Gallorum converſionem ablegarunt Sixtum, Sinicium, Amantium, & Mennium, qui Rhemenſem Eccleſiam fundarunt; Savinianum, ac Potentianum, qui Senonenſem; Altinum, qui Aurelianenſem; Auſtremonium, qui Atuernenſem; Martialem, qui Burdegalenſem, pluréſque alias. D. Petri ſucceſſor Clemens in Gallias quoque direxit Dionyſium Areopagitam, cum Ruſtico, & Eleutherio, qui Pariſienſes fidem docuit, & Virdunenſibus Sanctinum Epiſcopum dedit: Exuperium, qui Bajocenſibus primus præfuit: Taurinum, qui Ebroinenſibus: Eutropium, qui Xanctonenſibus: S. Photinum, qui Lugdunenſibus. Hi porrò eandem quam à B. Petro, atque Clemente acceperant Fidem, ac religionem, ad poſteros transmiſerunt: populos non aliâ, quàm Catholica Fide imbuerunt: & novis Eccleſiis Epiſcopos præfecerunt: qua in re non parvam operam præſtitit in Gallia temporibus Clodovæi B. Remigius Rhemenſis Epiſcopos: & in Germania, B. Bonifacius Moguntinus primus Archi-Epiſcopus, qui auctoritate Stephani Romani Pontificis, auxilioque Caroli Magni Imperatoris, multas Eccleſias erexit, & Epiſcopales Cathedras inſtituit. Ad alias quoque regiones, & regna etiam Indiatum ſuos Miſſionarios iidem ſummi Paſtores ex gremio ſuæ Eccleſiæ Romanæ ablegarunt. Quare eadem Fides, & doctrina Catholica Romanæ Eccleſiæ, ac obedientia erga ſummum Pontificem Romanum, etiam floret hodie in univerſa Italia, ac Inſulis adjacentibus, ſcilicet Corſica, Sardinia, Sicilia, Malta, Corphu &c. Item in tota Hiſpania & Inſulis adjacentibus, puta Majorica, Minorica, & Ebuzo. Item in totam Galliam hisce annis authoritate Ludovici XIV. Regis reintroducta eſt ſuppreſſo ibidem Hugonotiſmô. Item in Provinciis Hæreditariis Auguſtæ Domûs Auſtriacæ pauculis adhuc reliquiis exceptis in quibusdam Sileſiæ partibus, quæ & ipſæ jam jam agonizant. Regnum quoque Dalmatiæ, Bosniæ, Bulgariæ, Liburnia, Albania, retinent fidem Catholicam Romanam, etſi gemant ſub Turcarum imperio maxima ex parte. Floret quoque Religio Catholica in Polonia, toto Belgio Hiſpanico, in univerſa Bavaria, & Palatinatu Superiore ad eandem Bavariam pertinente, in Lotharingia, Burgundia, plurimis-

 que

que Imperii Provinciis, & Urbibus; item in Croatia, & Sclavonia Cæſareis. Sed & in Ungariam variis in partibus hæreſi reſperſam Auguſtiſſimus Cæſar Leopoldus I. Catholiciſmum rurſus reſtituit. Præterea plurimi quoque adhuc reperiuntur Catholici, & veræ Romanæ Eccleſiæ ſequaces in Anglia, Helvetia, Hibernia, variiſque Imperii Romani urbibus, & provinciis, hæreſi jam infectis; ſimiliter in China, Japonia, Regno Aſiatico, Congo, ac aliis Provinciis, & Inſulis Orientalibus; Et ſuperioribus ſæculis maxima Americæ pars Religione, ac Fide Catholica ab Hiſpanis fuit imbuta, operâ potiſſimè Patrum Franciſcanorum noſtrorum; adminiculantibus tamen etiam aliis Sacris Ordinibus, ad vaſtiſſimas illas Regiones translatis; puta Patribus Dominicanis, Societatis JESU, &c.

5. Dico ſecundò: è contra Nota *Catholica* nec ſecundùm nomen, nec ſecundùm rem ullatenus convenit ulli alteri Eccleſiæ. Ita Catholici, contra omnes Hæreticos.

6. Probatur prima pars quoad nomen ex SS. PP. primorum quinque ſæculorum: unde Juſtinus *in Triphone* de Hæreticis Eccleſiis differens ait in ſecundo ſæculo; *& ſunt dicti cognominibus, denominati à quibusdam viris, ut quiſque fuit author alicujus novæ doctrinæ, ex iis aliqui vocantur Marcioniſtæ, alii Valentiniani, alii Baſilidiani, alii Saturniani, alii aliò vocabulô* (addo ego Proteſtantes, Lutherani, Calviniſtæ, Waldenſes, Huſſitæ, Picarditæ &c.) *quiſque à primo inventore ſui dogmatis.* Similia habet Irenæus *lib. 1 cap. 20.* Et Chryſoſtomus quinto ſæculo *hom. 33. in Act. Apoſt.* dicit, *illi* (ſcilicet Hæretici) *habent quosdam à quibus appellentur; prout enim Hæreſiarchæ nomen, ita & Secta vocatur.*

7. Probatur ſecunda pars quoad rem: quæcunque aliæ Eccleſiæ certis Provinciarum limitibus concluduntur; nec unquam per Orbis univerſi habitabilis zonas, climata, & Provincias tam felici progreſſu penetrarunt, uti Romana: unde Mahometana intra quasdam duntaxat partes Aſiæ, Europæ, & Affricæ conſtricta manet. Ariana, Neſtoriana, & Donatiſtica Occidentem nunquam attigit. Nec Lutherana, Calviniſtica, Zwingliana Orientem; ſed Lutheranos clauſit plerumque Germania, Suecia, & Dania; Calviniſticam Francia, & Hollandia; Huſſiticam Bohemia; Proteſtanticam, & Puritanam Britannia; Trinitariorum Polonia, Zwinglianam Helvetia, &c.

ARTICULUS X.

Ly *Apoſtolica*, quæ eſt Nota conveniens veræ Eccleſiæ, competit Eccleſiæ Romanæ; non item aliis Eccleſiis.

1. Dico primò: Eccleſiæ Romanæ convenit Nota *Apoſtolicæ*. Ita Catholici; adverſus omnes Hæreticos.

2. Probatur *primò*: Eccleſia Romana ampliùs fundata eſt à SS. Apoſtolis, ſignanter à S. Petro, & Paulo, Romæ martyrizatis; uti teſtantur omnes authenticæ hiſtoriæ; & eorundem fidem, ac doctrinam genuinam ſemper conſervavit, & defactò tenet; uti conſtat ex omnibus ejus Conciliis OEcumenicis, hactenus celebratis, in *canonibus*, & *Decretis*, ac *Symbolis Fidei* eorundem: Et ex primis SS. PP. unde Irenæus *lib. 3. cap. 3.* ait, *maximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis Ducibus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſionem Epiſcoporum provenientem uſque ad nos indicantes confundimus omnes eos, qui quoque modo &c. præterquam oportet, colligunt.* Et Tertullianus *lib. de præſcript. adverſus Hæret. cap. 63.* dicit, *ſi Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque authoritas præſtita eſt: ſtatu felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt*: Ergo Eccleſia Romana eſt vera Apoſtolica.

3. Probatur *ſecundò*: eadem Eccleſia Romana Notam Apoſtolicæ meretur ob continuam, & legitimam ſucceſſionem Epiſcoporum, Paſtorum, & Sacerdotum, quæ à temporibus Apoſtolorum ad hæc uſque tempora in ea reperitur. Quô argumentô potenti priſci SS. PP. ſæpiſſimè utuntur adversùs Hæreticos ſui temporis: unde ad hunc finem texunt exactiſſimum, & uniformem catalogum ſucceſſionis Epiſcoporum Romanorum, ſeu ſummorum Pontificum, incipiendo à D. Petro; ita facit Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Et Optatus Mileuit. contra Parmenian. *lib. 2. Bibl. PP.* Et Tertullianus *de præſcript. cap. 32.* Et S. Auguſtinus *epiſt. 165.* ubi ait, *ſi Ordo Sacerdotum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs, & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti, ait, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petro enim ſucceſſit Linus, &c.* & ſic proſequitur uſque ad Summum Pontificem ſui temporis Anaſtaſium I. Ego, ut exactus ſyllabus omnium Romanorum Pontificum ſibi ſuccedentium in

in Epiſcopatu, Sacerdotio, Pontificatu, & Miniſterio totius Eccleſiæ veræ DEI præ manibus habeatur, annoto ſequentem ordinem per ſæcula uſque ad præſentem annum 1687.

1. Seculo.

S. Petrus Apoſtolus Chriſti Domini ſucceſſor.
S. Linus Tuſcus.
S. Cletus Romanus.
S. Clemens I. Romanus.

2. Seculo.

S. Anacletus Græcus.
S. Euariſtus Syrus.
S. Alexander I. Rom.
S. Xiſtus Romanus.
S. Teleſphorus Græcus.
S. Hyginus Græcus.
S. Pius Aquilejenſis.
S. Anicetus Syrus.
S. Soter Fundanus.
S. Eleutherius Nicopolitanus.

3. Seculo.

S. Victor Afer.
S. Zephyrinus Rom.
S. Calixtus Rom.
S. Urbanus I. Rom.
S. Pontianus Rom.
S. Anterus Græcus.
S. Fabianus Rom.
S. Cornelius Rom.
S. Lucius Rom.
S. Stephanus Rom.
S. Sixtus II. Athenienſis.
S. Dionyſins Rom.
S. Felix I. Rom.
S. Eutychianus Tuschus.
S. Cajus Dalmata.

4. Seculo.

S. Marcellinus Rom.
S. Marcellinus Rom.
S. Euſebius Græcus.
S. Melchiades Afer.
S. Sylveſter Rom.
S. Marcus Rom.
S. Julius I. Rom.
S. Liberius Rom.
S. Damaſus Hiſpanus.
S. Syricius Rom.

5. Seculo.

S. Anaſtaſius I. Rom.
S. Innocentius I. Albanenſis.
S. Zozymus Cappadox.
S. Bonifacius I. Rom.
S. Cœleſtinus I. Rom.
S. Sixtus III. Rom.
S. Leo I. Rom.
S. Hilarius Sardus.
S. Simplicius Tiburtinus.
S. Felix II. Rom.
S. Gelaſius Afer.
S. Anaſtaſius II. Rom.

6. Seculo.

S. Symmachus Sardus.
S. Hormiſda Campanus.
S. Joannes I. Tuſcus.
S. Felix III. Samius.
S. Bonifacius II. Rom.
S. Joannes II. Rom.
S. Agapitus I. Rom.
S. Silverius Campanus.
Vigilius Rom.
S. Pelagius I. Rom.
S. Joannes III. Rom.
S. Benedictus I. Rom.
S. Pelagius II. Rom.

7. Seculo.

S. Gregorius I. Mag. Rom.
S. Sabianus Tuſcus.
S. Bonifacius III. Rom.
S. Bonifacius IV. Italus Valler.
S. Deodatus Rom.
S. Bonifacius V. Neapolitanus.
S. Honorius I. Campanus.
Severinus I. Rom.
Joannes IV. Dalmata
Theodorus Jeroſolomitanus.
S. Martinus I. Tudertinus.
Eugenius I. Rom.
S. Vitalianus Campanenſis.
Adeodatus Rom.
Domnus Rom.
Agatho Siculus.

8. Seculo.

S. Leo II. Siculus.
S. Bendictus II. Rom.
Joannes V. Syrus.
Conon Trax.
Sergius I. Antiochen.
Joannes VI. Græcus.
Joannes VII. Græcus.
Siſinnius Syrus.
Conſtantinus I. Syrus.
Gregorius II. Rom.
Gregorius III Syrus.
Zacharias Græcus.
Stephanus II. Rom.
Paulus I. Rom.
Stephanus III. Rom.
Adrianus I. Rom.

9. Seculo.

Leo III. Rom.
Stephanus IV. Rom.
Stephanus V. Siculus.
Paſchalis Rom.
Eugenius II. Rom.
Valentinus Rom.
Gregorius IV. Rom.
Sergius II. Rom.
S. Leo IV. Rom.
Benedictus III. Rom.
Nicolaus I. Rom.
Adrianus II. Rom.
Joannes VIII. Rom.
Martinus II. Etruſcus.
Adrianus III. Rom.
Stephanus VI. Rom.
Formoſus Portuens.
Bonifacius VI. Tuſcus.

10. Seculo.

Stephanus VII. Rom.
Romanus Etruſcus.
Theodorus II. Rom.
Joannes IX. Tiburtinus.
Benedictus IV. Rom.
Leo V. Ardeatinus.
Chriſtophorus Rom.
Sergius III. Rom.
Anaſtaſius III. Rom.
Laudo Sabinus.
Joannes X. Ravennas.
Leo VI. Rom.
Stephanus VIII. Rom.
Joannes XI. Rom.
Leo VII. Rom.
Stephanus IX. Germ.
Martinus III. Rom.
Agapitus II. Rom.
Joannes XII. Rom.
Leo VIII. Rom.
Joannes XIII. Rom.
Benedictus V. Rom.
Domnus II. Rom.
Bonifacius VII. Rom.
Benedictus VI. Rom.
Joannes XIV. Papienſ.
Joannes XV. Rom.
Joannes XVI. Calab.
Gregorius V. Saxo.
Joannes XVII.

11. Seculo.

Sylveſter II. Britannus.
Joannes XVIII. Rom.
Benedictus VII. Trullus.
Joannes XIX. Rom.
Benedictus VIII. Rom.
Gregorius VI. Rom.
Clemens II. Bambergenſis.
Damaſus II. Bavarus.
Leo IX. Germ. Alſata.
Victor. II. Germ.
Stephanus X. Lotharingus.
Nicolaus II. Alobrox.
Alexander II. Mediolan.
Gregorius VII. Etruſcus.
Victor III. Beneventanus.
Urbanus II. Gallus.
Paſchalis II. Tuſcus.

12. Seculo.

Gelaſius II. Cajetan.
Calixtus II. Burgund[9].
Honorius II. Bononienſ.
Innocentius II. Rom.
Cæleſtinus II. Tuſcus.
Lucius II. Bononienſ.
Eugenius III. Piſanus.
Anaſtaſius IV. Rom.
Adrianus IV. Anglus.
Alexander III. Senenſis.
Lucius III. Tuſcus.
Urbanus III. Mediolanenſis.

Gtegorius

Gregorius VIII. Beneventanus.
Clemens III. Rom.
Cœleſtinus III. Rom.
Innocentius III. Anagninus.
13. Seculo.
Honorius III. Rom.
Gregorius IX. Anagnin.
Cœleſtinus IV. Mediolanenſis.
Innocentius IV. Genuenſis.
Alexander IV. Anagnin.
Urbanus IV. Gallus.
Clemens IV. Narbon.
Gregorius X. Placentin.
Innocentius V. Alobrux.
Adrianus V. Genuenſ.
Joannes XX. Luſitanus.
Nicolaus III. Rom.
Martinus IV. Gallus.
Honorius IV.

Nicolaus IV. ex Abulia.
Cœleſtinus V. Sulmonenſis.
14. Seculo.
Bonifacius VIII. Anagninus.
Benedictus IX. Italus.
Clemens V. Gallus Burdegalen.
Joannes XXI. Gallus.
Benedictus X. Gallus. Tholoſan.
Clemens VI. Gallus Lemovicenſis.
Innocentius VI. Gallus.
Urbanus V. Gallus Mimatenſis.
Gregorius XI. Gallus Lemovicenſ.
Urbanus VI. Neapolitanus.
15. Seculo.
Bonifacius IX. Neapolitanus.
Innocentius VII. Italus Sulmonenſis.

Gregorius XII. Venetus.
Alexander V. Cretenſis.
Joannes XXII. Neapolitanus.
Martinus V. Rom.
Eugenius IV. Venetus.
Nicolaus V. Lucanus.
Calixtus III. Hiſpan. Valentinus.
Pius II. Ital. Senenſ.
Paulus II. Venetus.
Sixtus IV. Sagonenſis.
Innocentius VIII. Genuenſis.
16. Seculo.
Alexander VI. Hiſp. Valentinus.
Pius III. Senenſis.
Julius II. Savonenſis.
Leo X. Florentinus.
Adrianus VI. Ultrajectens.
Clemens VII. Florent.
Paulus III. Rom.
Julius III. Aretinus.

Marcellus II. Etruſcus.
Paulus IV. Neapolitanus.
Pius IV. Mediolanenſ.
S. Pius V. Ital. Alexandr.
Gregorius XIII. Bononienſis.
Sixtus V. Ex Marchia Ancon.
Urbanus VII. Rom.
Gregorius XIV. Ital.
Innocentius IX. Bononienſ.
Clemens VIII. Florent.
17. Seculo.
Leo XI. Florent.
Paulus V. Italus Burgheſius.
Gregorius XV. Italus.
Urbanus VIII. Tuſc.
Innocentius X. Rom.
Alexander VII. Senen.
Clemens IX. Etruſcus.
Clemens X. Rom.
Innocentius XI. Comanus ex Ducatu Mediolanenſi; ſed & hodie, & regnat feliciſſimè.

Unde S. Auguſtinus expendens legitimum Ordinem hunc, & ſucceſſionem ſummorum Epiſcoporum Romanorum dicit *lib. contra epiſt. fundam. cap. 4. multa ſunt, quæ me in Eccleſia Catholicæ gremio tenent juſtiſſimè &c. tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum. &c.* Hæc ſucceſſio Sacerdotum amplius patebit ex dicendis infra *de vocatione Miniſtrorum lib. 2. cap. 8.*

4. Dico ſecundò: è contra nulli Eccleſiæ alteri convenit Nota *Apoſtolicæ.* Ita Catholici; adverſus omnes Hæreticos.

5. Probatur *primò*: omnes aliæ Eccleſiæ fundatæ ſunt poſt tempora Apoſtolorum, à certis hominibus vitioſis, qui privato Spiritu ducti ſeſe ſepararunt ab unione, & doctrina ſana Apoſtolica veræ Eccleſiæ Romanæ, prædicantes dogmata nova, erronea, & difformia fidei primitivæ Eccleſiæ, primis SS. PP. & Conciliis Oecumenicis; ùt evolventi Prologum hujus Operis patet, ubi earum hæreſes regiſtrantur. De quibus procedit illud Apoſtoli 1. ad Tim. 4. *in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium.* Quare monet Salvator his non eſſe credendum dicens Matth. 24. *Si quis vobis dixerit, ecce hic eſt Chriſtus, aut illic, nolite credere: ſurgent enim Pſeudo-Chriſti, & Pſeudo-Prophetæ.* Et illud S. Judæ Apoſtoli *in ſua epiſt.* ver. 4. *ſubintroierunt quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium, impii, DEI noſtri gratiam transferentes in luxuriam, &c. Et hi ſunt in epulis ſuis maculæ convivantes, ſinè timore ſeipſos paſcentes, nubes ſinè aqua, quæ à ventis circumferuntur, &c.*

6. Probatur *ſecundò*: ſimiliter aliæ Eccleſiæ nequeunt originem ſuam, aut ſucceſſionem Sacerdotum ſuorum, & Miniſtrorum probare ab aliquo Apoſtolorum; ſed à ſuis duntaxat fundatoribus; quorum plerique nulla epiſcopali dignitate, & charactere gaudebant; nec per conſequens Sacerdotium, & miniſterium ſuis Sectariis conferre poterant. Unde omnes ſimiles ſub perſona Marcionitarum, & Valentinianorum hæreticorum rectè alloquitur Tertulianus *lib. de præſcript. cap. 37. qui eſtis vos? & unde veniſtis? quo denique jure Marcion ſilvam meam cadis? quâ licentiâ Valentine fontes meos tranſvertis; mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo prior poſſideo.* Et *cap. 32. ibidem,* ait, *edant ergo origines ſuarum Eccleſiarum, evolvant ordinem ſuorum Epiſcoporum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem*

quem ex Apoſtolis, vel viris Apoſtolicis, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem, & anteceſſorem; ſicut Romana Clementem à Petro ordinatum refert. Et Optatus *lib. 2. contra Parmen. veſtra Cathedra originem oſtendite, qui vobis vultis S. Eccleſiam vendicare.* Et quod veteres iſti PP. primorum ſæculorum objecerunt Sectis, & Eccleſiis falſis ſui temporis de Eccleſiarum ſuarum origine non Apoſtolica, ac nulla Sacerdotum ſucceſſione; idem aliis deinde ſuccreſcentibus Sectis, & Eccleſiis noſtrorum Novatorum Lutheri, Calvini &c. objicere meritò valent Catholici: Ergo nulli Eccleſiæ alteri convenit Nota *Apoſtolicæ*, denotans ſucceſſionem Apoſtolorum in legitimo Sacerdotio, & Epiſcopatu.

7. Reſpondent Hæretici: ut eorum Eccleſiæ dicantur *Apoſtolicæ*, ſufficere ſe habere ſucceſſionem doctrinæ Apoſtolicæ; quamvis perſonarum, ſeu Epiſcoporum ſucceſſio ab aliquo Apoſtolo non adſit. Contra *primò*; SS. PP. citati ex primis ſæculis deſiderant ſucceſſionem etiam in perſonis, ſeu miniſtris Epiſcopis, & hanc urgent contra Hæreticos: Ergo &c. Contra *ſecundò*: talis ſucceſſio doctrinæ involuit etiam ſucceſſionem perſonarum eam proponentium, & docentium: doctrina enim in aëre non pendet; ſed petit continuam ſui tranſmiſſionem ſeu deſcenſum in ſæculis ſucceſſivis per Miniſtros viſibiles, & viros Apoſtolicos, tradendam; unde rectè dicit Apoſtolus ad Epheſ. 4. *ipſe dedit quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Evangeliſtas, alios verò Paſtores, & Doctores ad Conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii DEI &c.* Ex quibus verbis conſtat, opus miniſterii in ædificationem corporis Chriſti, id eſt Eccleſiæ, duraturum usque ad conſummationem mundi; unde ad hoc neceſſariæ ſunt perſonæ Doctorum, Paſtorum, ſeu Epiſcoporum, qui ſint miniſtri ædificationis hujus corporis, ſibi invicem ſuccedentes.

ARTICULUS XI.

Notæ *antiquitatis*; ac *durationis*, *amplitudinis*, & *varietatis credentium*, veræ Eccleſiæ, conveniunt Eccleſiæ Romanæ; non autem aliis cœtibus Hæreticorum.

1. Dico primò: Eccleſiæ Romanæ pariter convenit Nota antiquitatis præ aliis Eccleſiis. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

2. Probatur *primò*: Eccleſia Romana inſtituta eſt primitùs à Chriſto, & fundata, amplius ac ſtabilita ab Apoſtolis; propagataque per eorundem ſucceſſores Pontifices, Epiſcopos, & Doctores Orthodoxos, uti *priori art. concl. 1.* oſtenſum eſt: Ergo ipſa habet antiquitatem præ omnibus aliis Eccleſiis in Lege nova conſtitutis. *Secundò*: in inſtitutione, & erectione prima Eccleſiæ Romanæ adſunt omnia, quæ probant antiquitatem ejus præ aliis: Ergo &c. Prob. Ant. in inſtitutione novæ Religionis, & Eccleſiæ novæ ordinariè demonſtrari debent ſequentia; videlicet ejus author; dogma aliquod novum; tempus quô cæpit; locus ubi incepit; oppugnatores ejus; & cœtus aliquis exiguus, qui creverit in magnum: ſed hæc omnia demonſtrari poſſunt in inſtitutione, & erectione prima Eccleſiæ Romanæ: ejus enim author primarius fuit Chriſtus; in ea cernuntur nova dogmata S. Evangelii, credenda de Incarnatione, Paſſione Chriſti, & Trinitate, &c. Incepit anno 15. Tyberii Cæſaris; exordium habuit in Judæa; & mox fuit oppugnata à Phariſæis, Scribis, & Gentibus; habuit à principio exiguum cœtum Apoſtolorum, & Diſcipulorum, à quibus crevit in innumerum populum: & hæc omnia contigerunt ante ortum aliarum Eccleſiarum: Ergo &c. *Tertiò*: omnia Eccleſiæ Romanæ dogmata ante hæreſum ortum, & nativitatem falſarum Eccleſiarum, ac eorum dogmatum, jam in ſua conſiſtentia, perfectione, uſu, ac exercitio fuerunt: Ergo ipſa eſt antiquior omnibus aliis Eccleſiis. Ant. patet ex S. Hieronymo *epiſt. ad Pammach.* ubi ait, *quis quis aſſertor es novorum dogmatum, quæſo te parcas Romanis auribus, parcas Fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt; cur poſt, 400. annos nos docere niteris, quod ante neſcivimus? usque in hanc diem ſine veſtra doctrina Chriſtianus mundus fuit.* Et ex S. Hilario *lib. 6. de Trinitate*, dicente; *tardè mihi piiſſimos Doctores ætas nunc hujus ſæculi protulit; ſerò hos habuit Fides mea, quam tu erudiſti, Magiſtros.* *Quartò*: eandem antiquitatem Eccleſiæ Romanæ præ cæteris Eccleſiis oſtendunt tot priſca Oecumenica Concilia, in ea celebrata; tot primorum Pontificum Romanorum in eis præſidia; continua tot veterum SS. PP. etiam ex primis quinque ſæculis (quos ſolos quidem Hæretici agnoſcunt) obedientia eidem præſtita, & eorum vita, doctrina, ac prædicatio-

dicationes in eadem Eccleſia exercitæ; de quorum numero ſunt ex primo ſæculo Ignatius; ex ſecundo S. Irenæus, & Tertulianus; ex tertio Lactantius & Hilarius; ex quarto Hieronymus, & Optatus; ex quinto Auguſtinus, Cyrillus, & Chryſoſtomus, &c. Idem patebit ulterius *ex ſequenti concluſ.* Unde

3. Dico ſecundò: Hæreticorum quorumcunque Eccleſiæ ſunt longè juniores Eccleſiâ Romanâ. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

4. Probatur inductione ortûs principalium Sectarum, & Eccleſiarum aliarum: Eccleſia prima falſa ſimoniacorum incepit an. 34. primi ſæculi Chriſtiani. Eccleſia Cerinthianorum an. 60. Ebionitarum an. 70. eodem incepit etiam Nicolaitarum. Marcioniſtarum an. 160. Et Carpocratitarum, Cataphrygium, Apellitarum, &c. In ſecundo ſæculo poſt Chriſtum natum. Gnoſticorum eodem ſæculo, an. 120. Baſilidianorum in tertio ſæculo, an. 365. Eodem ſæculo venerunt Valentinianorum, Marcitarum, Originiſtarum, Sabellianorum, Photinianorum, Samoſatenianorum, Novatianorum, Arianorum, & aliorum plurium Sectæ. Quartò ſæculò primò proruperunt Eccleſiæ Aërianorum, Macedonianorum, Fontinianorum, Meſſalianorum, Antropomorphytarum, Tertulianiſtarum, Jovinianorum, Donatiſtarum, Priſcillianiſtarum, Luciferianorum &c. Quintò ſæculò poſt Eccleſiam Romanam conſtitutam natæ fuerunt Eccleſiæ falſæ Mahometanorum, Pelagianorum, Semi-Pelagianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Manichæorum, Vilantianorum, Agnoitarum, Monotelitarum, &c. Sæculò ſeptimò in apricum prodierunt Eccleſiæ impiæ Iconomachorum. Sæculò nonò Circumcelliones, & Floriniſtæ ſuam Eccleſiam conſtituerunt. Undecimò Berengariſtæ. Duodecimò Waldenſes, & Albienſes. Decimò tertiò Pſeudo Apoſtoli, Flagellantes, & Wiclephiſtæ. Decimò quartò Picarditarum Secta incepit. Decimò quintò ſæculò conſurrexère Eccleſiæ peſſimæ Huſſitarum, Thaboritarum, Veſſalianorum, Lutheranorum, Proteſtantium, Confeſſioniſtarum, Zwinglianorum, Sacramentariorum, Anabaptiſtarum, Calviniſtarum, Ubiquiſtarum, Sabbathinianorum, Swinckfeldianorum, Novorum Arianorum, Libertinorum; item Anglicanæ variæ Sectæ, ut Puritanorum, Brouniſtarum, Familiſtarum, Presbyterianorum, &c. Et ſæculò decimò ſexto Sectæ Anglicanæ Independentium, Quackerorum, novorum Libertinorum, novorum Anabaptiſtarum, Ante-Scripturiſtarum, Ante-Trinitariorum, Scepticorum, Sincretiſtarum, &c. Ergo quæcunque aliæ Eccleſiæ ſunt juniores Eccleſiâ Romanâ.

5. Dico tertiò: Nota etiam durationis Eccleſiæ veræ competens, convenit Eccleſiæ Romanæ. Ita Catholici; contra univerſos Hæreticos.

6. Probatur *primò*: Eccleſia Romana à temporibus Apoſtolorum variis, & graviſſimis preſecutionibus Gentium, ac Paganorum, ſignanter Imperatorum Romanorum, fuit impetita; ita ut per quatuor ferme prima ſæcula omnes ejus ſummi Pontifices crudeli martyriô fuerint affecti; uti & infiniti Epiſcopi, Doctores, ac alia innumera ejusdem Eccleſiæ membra, ſicut conſtat ex Martyrologio Romano, vetuſtis Legendis Sanctorum, & primis SS. Patribus: ut proinde de ipſis bene vaticinatus fuerit Regius Propheta pſalm. 78. *DEUS venerunt Gentes in hæreditatem tuam &c. Poſuerunt morticinia ſervorum tuorum eſcas volatilibus cœli carnes Sanctorum tuorum beſtiis terræ: effuderunt ſangvinem eorum tanquam aquam in circuitu Jeruſalem, & non erat qui ſepeliret.* Et tamen inter tot tribulationes Eccleſia iſta DEI, & Chriſti non fuit exſtincta; quin imò propagata amplius; & ad hæc usque tempora inconcuſſa in ſuis dogmatibus, ſucceſſione Sacerdotum, ſanctitate, puritate, ac unitate perſeverat: Ergo &c. *Secundò*: tametſi eadem Eccleſia ſtatim à principio à ducentis pæne hæreſibus diverſis usque ad tempora Lutheri (quas allegat Bellarminus; ego addo à ducentis quinquaginta usque ad hunc annum 1687. quô has texo Controverſias) acerrimè fuerit impugnata in articulis ſuæ Fidei, cavillata, & blaſphemata in Sacerdotio; nihilominus in culmine ſuæ primitatis, & dignitatis, ſucceſſione perfectionis, & ſubſiſtentiæ permanſit: unde meritò D. Auguſtinus *lib. de utilit. credend. cap. 17.* ait, *dubitamus nos in ejus Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica Sede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra Hæreticis circum latrantibus culmen authoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt; vel præcipitis arrogantiæ.* Et ſanè hanc Eccleſiam usque modò durare clarè docent illa Regna, & Provinciæ ſupra *art. 9. concl. 1.* relata, in quibus Fides Catholica Romanæ Eccleſiæ floret: Ergo &c.

7. Reſpondent Hæretici: Eccleſiam Romanam, ſub nomine tamen Catholicæ, ſubſtitiſſe quidem, & duràſſe ùsque ad ſextum ſæculum, ſeu tempora Gregorii Magni Romani; poſtea tamen defeciſſe; & latuiſſe usque ad tempora novorum, Reformatorum Lutheri, Calvini &c. Contra *primò*: ſicut in primis quin-

quinque ſæculis; ita & in reliquis manſit in Eccleſia Romana Catholica continua Pontificum, Epiſcoporum, & Sacerdotum ſucceſſio eadem; uti agnoſcunt ipſimet Centuriatores: manſit idem numerus Sacramentorum, clavium poteſtas, obedientia ad Sum. Roman. Pontificem, idem Sacrificium, & omnes articuli ſubſtantiales Fidei Orthodoxæ Apoſtolicæ, qui erant in primitiva Eccleſia; uti conſtat ex Canonibus & definitionibus Conciliorum generalium, ante & poſt ſæculum ſextum celebratorum: Ergò falsò confingunt Novatores Eccleſiam Romanam in ſexto ſæculo interrupiſſe ſuam durationem.

8. Dico quartò: è contra nulli alteri Eccleſiæ convenit Nota durationis. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

9. Probatur *primò* inductione interruptionis, vel interitûs aliarum Eccleſiarum: nam Eccleſia Ariana defecit, & poſt ſui condemnationem in Concilio Nicæno I. tandem evanuit. Eccleſia Macedoniana ſimiliter ceſſavit poſtquam anathematizata fuit in Concilio Conſtantinopolitano I. Eccleſia quoque Neſtoriana durare ceſſavit poſt Concilii Epheſii anathematiſmum ipſi inflictum. Et ſic actum eſt cum aliis falſis Eccleſiis; uti docent earum condemnationes Conciliares ſuprà *in Prolog. art. 28.* relatæ: Ergo &c. Sed nec Novatores noſtri Lutherani, & Calviniſtæ &c. poſſunt gloriari de diuturna ſuarum Eccleſiarum duratione; cùm in eis vix conſtitutis, ſtatim mutationes ſubſtantiales contigerint: nam Lutheranam Eccleſiam conſtituit Lutherus An. 1517. ſed paucis annis pacificè, & in ſuis primis dogmatibus ſubſtitit; quia à Zwinglianis, Anabaptiſtis, & Calviniſtis, convulſa, & ſubſtantialiter alterata fuit, ita ut pauci hodie inveniantur puri Lutherani; de quo valde conqueritur Illyricus *in præfat. omnium Centuriatorum*: & ipſi Centuriatores *in præfat. 2. Centuriæ.* Calviniſticæ etiam Eccleſiæ interruptionem, & mutationem ipſemet Calvinus in brevi futuram prædixit: & revera ita factum eſt, ut vix jam purus Calviniſta inveniatur: Et de Anglicanæ Eccleſiæ mutabilitate, ac interruptione teſtimonium ferunt tot novæ Sectæ Puritanorum, Presbyterianorum, Independentium, Quackerorum, &c. Poſt Henrici VIII. mortem enatæ. Sectæ quoque Mahometanæ variæ ſunt diviſiones eſſentiales; ita ut aliter credant Perſæ, aliter Turcæ Evropæi, aliter Tartari &c. Similiter eadem Secta etſi per plura hactenus ſæcula ſubſtiterit; duratio tamen ejus nunc ad finem hujus ſæculi decimi ſeptimi plurimùm infringitur, per victricia arma Leopoldi I. Rom. Imperatoris hodie regnantis, qui pluribus celeberrimis cladibus Exercitus Ottomannicos jam per quatuor continuos annos Duce Sereniſſimo Carolo de Lotharingia ſub Vienna, apud Strigonium, Barcanum, Vaciam, Budam ſæpius, & alibi proſtravit, urbésque plurimas fortiſſimas Turcarum in Ungaria adminiculante etiam Sereniſſimo Electore Bavariæ Emanuele Chriſtianæ Religioni rurſus reſtituit; quod & fecêre Veneti ſocii Fœderis cum dicto Cæſare, in pluribus Inſulis maris. Mediterranei, & regni Moreæ, glorioſè hiſce 4. annis occupatis.

10. Nota: ad amplitudinis, & varietatis credentium Notam ſuadendam, ſufficiant argumenta facta ſuprà *art. 9. concl. 1.* Quibus addo teſtimonia Irenæi, Cypriani, Theodoreti, Chryſoſtomi, Hieronymi, & aliorum SS. PP. qui referunt jam ſuis temporibus Fidem Catholicam, quam Eccleſia Romana profitetur, totum pene orbem tunc cognitum permeâſſe; & hinc illud dictum priſcum Proſperi.

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta Caput mundi, quidquid non poſſidet armis,
Religione tenet.

Et hoc ipſo noviſſimo tempore, quô Lutherus cæpit in Evropa ſuam erigere Eccleſiam, cæpit Eccleſia Romana dilatari per introductionem ſuæ Fidei Catholicæ in vaſtiſſimis illis regionibus Novi Orbis, videlicet in Indiis Occidentalibus, & Orientalibus, in America, Braſilia, Japonia &c. operâ PP. Franciſcanorum, ſignanter Venerabilis Servi DEI Martini de Valentia, è diametro oppoſito Martino Luthero, & B. Franciſci Solani, ac S. Franciſci Xaverii è Societate JESU, nec non aliorum Religioſorum diverſorum Ordinum. Quibus verò exiguis terminis conſtringantur Eccleſiæ Hæreticorum omnium, vide quæ dixi ſupra *art. 9. concluſ. 2.*

ARTICULUS XII.

Nota *conſpirationis in doctrinam SS. PP.* & *concordiæ*, convenit Eccleſiæ Romanæ; non autem aliis Eccleſiis.

1. DIco primò: Nota conſpirationis in ſacram doctrinam SS. PP. quam aliàs habet vera DEI Eccleſia, conve-

nit, ad amuſſim Eccleſiæ Romanæ. Ita Catholici; contra Hæreticos quoſcunque.

2. Probatur *primò* : Doctores, Concilia, ac populus Eccleſiæ Romanæ ſumma veneratione proſequitur ſcripta SS. PP. doctrinam, ſententias, definitiones, reſolutiones, expoſitiones S. Scripturæ ab eisdem factas communi conſenſu acceptando, memores mandati Apoſtolici ad Hebr. 13. *mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt.* Unde etiam iisdem utuntur in ſtabiliendis articulis Fidei, in confutandis Hæreticis, maximè Novatoribus, qui ſpiritum veritatis non habent; ſed ſunt Magiſtri novi, prurientes auribus, à veritate oſtenſiva SS. PP. auditum avertentes; uti patet intuenti Catholicorum Ritus, ſcripta, & libros. Proinde meritò jam olim in ſæculo quinto ſcripſit Vincentius Lyrinenſis *lib. adverſus hæres. cap. 3. In ipſa Catholica Eccleſia* (quæ eſt eadem cum Romana) *magnopere curandum eſt, ut id teneamus, quod ab omnibus creditum eſt; ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem. Sequemur autem univerſitatem hôc modò, ſi hanc Fidem veram eſſe fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Eccleſia: antiquitatem verò ita ſi ab his nullatenus ſenſibus recedamus, quos Sanctos Majores, ac Patres noſtros celebrâſſe manifeſtum eſt: & conſenſionem quoque ibidem, ſi in ipſa vetuſtate omnium Sacerdotum pariter, & Magiſtrorum definitiones, ſententiasque ſectemur. Secundò*: Concilia OEcumenica Eccleſiæ Romanæ plerúmque poſt textus S. Scripturæ adductos Canones ſuos, & definitiones, ſtabiliunt authoritatibus SS. PP. Idem faciunt Summi Pontifices in deciſionibus Controverſiarum Fidei. Et meritò; quia hi ſunt poſt S. Apoſtolos magiſtri Fidei veræ Catholicæ, qui diu noctúque ſcrutati fuêre Scripturas, quaſi in Lege Teſtamenti DEI veteraſcentes, ut eruerent genuinos ſenſus earundem Scripturarum, & articulos Fidei ſtabilirent adversùs Hæreticos conſurgentes. Iidem etiam fuerunt ſeveriſſimi Cenſores morum, qui exactâ prædicationum, & librorum virgâ, plus quàm Catonis, mores vitioſos Catholicorum irrepentes cenſurarunt, correxerunt, ac emendarunt, ut populus Catholicus maneat *gens ſancta, & populus electus*: ut proinde jure tota Eccleſia Romana conſpiret in eorum ſalutares doctrinas.

3. Dico ſecundò : nulli alteri Hæreticæ Eccleſiæ convenit hæc Nota conſpirationis in doctrinam SS. PP. Ita Catholici; contra cunctos Hæreticos.

4. Probatur : Omnes Eccleſiæ aliæ Hæreticæ communiter abominantur ſcripta, & Sententias SS. PP. & eas tanquam dicta hominum potentium errare cavillant, irrident, abjiciunt, & contradicunt; imò & blaſphemè de ipſis loquuntur. Exemplo hujus eſt Eccleſia Lutherana, Calviniſtica, & Zwingliana, quarum fundatores impudenter de his ſanctiſſimis Magiſtris, & Doctoribus Eccleſiæ veræ DEI loquuntur. Unde Lutherus *in colloq. menſal. cap. de Scholaſticis Theologis*, ait, *Hieronymus fuit Hæreticus; Dionyſius multa garrit.* Et *lib. contra Regem Angliæ*, exclamat, *nihil curo, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Eccleſiæ Henricianæ contra me ſtent &c.* Et *tom. 2. de lib. arbit. quid juvat, ſi quis Patribus tot ſeculorum ſerie probatis nixus fuerit? nonne & ipſi omnes pariter cæcutierunt?* Et *tom. 6. in geneſ. hi ſanè omnes Patres, Auguſtinus, Ambroſius &c. hallucinati ſunt, nec quidquam intellexerunt.* Et *de de ſervo arbit. tom. 2. Patrum authoritas ſuſque déque facienda eſt.* Calvinus verò *lib. 3. inſtit. cap. 4.* dicit, *omnes ferè veteres, quorum libri exiſtunt, aut hac in parte lapſi ſunt, ubi de ſatisfactione agitur: aut nimìs aſperè, & durè locuti ſunt.* Et iterum in 1. ad Cor. 7. *lapſi ſunt veteres, dum votum perpetuum, inconſideratè approbarunt.* Et *lib. 4. inſtit. cap. 12. non in totum excuſare audeo Veteres, quin & ſuperſtitionis quædam ſemina fecerint, & occaſionem præbuerint tyrannidi, quæ poſtea exorta eſt; & tunc paſſim invaluerat ſuperſtitioſa quadrageſimæ obſervatio.* Et Zwinglius demum *tom. 1. in parœneſi* dicit, *Patres ſunt, qui Papatum, Anti-Chriſti fœtum ſceleſtiſſimum nobis genuerunt.*

5. Dico tertiò : Similiter Eccleſiæ Romanæ competit Nota concordiæ membrorum ejusdem. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

6. Probatur *primò* : omnium particularium Eccleſiarum Catholicarum per Regna, & Provincias totius Orbis diſperſarum (ex quibus totum corpus Eccleſiæ Romanæ coãleſcit) eadem ſunt dogmata, & in articulis Fidei credendis concors ſenſus : eadem quoque omnium Conciliorum generalium in ea celebratorum Symbola Fidei, & credendi norma : unde idem prorſus credunt Eccleſiæ Catholicæ per Italiam, Germaniam, Hiſpaniam, Galliam, Indias Catholicas, & alias regiones diffuſæ : hinc rectè Hilarius *lib. 7. de Trinit.* dicit de Romana Eccleſia, *cùm à Domino Eccleſia inſtituta, & ab Apoſtolis confirmata, una omnibus ſit* (nota concordiam) &c. *Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt: ſed dum Hæretici omnes ſe invicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt: victoria enim eorum Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt; dum in ea hæreſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera, Eccleſiæ fides damnat.* Et Athanaſius *orat.* ad illud, *omnia mihi*

hi tradita ſunt à Patre meo, differtè ad propoſitum ait, *hæc eſt vera doctrina, hoc eſt verum ſignum, argumentùmque, quòd iſti* (ſubaudi Catholici) *inter ſe conſentiant, neque diſſident inter ſe, vel inter Patres.*

7. Dico quartò: è contra nulla Eccleſia aliena dotata eſt concordiâ ſuorum membrorum. Ita Catholici; adverſus omnes Hæreticos.

8. Probatur *primò*: ex SS. PP. primorum 5. Sæculorum: nam Irenæus vivens in 2. ſæculo *lib. 1. cap. 5.* ait de priſcis Hæreticorum Eccleſiis, *videamus nunc & eorum inconſtantem ſententiam; cùm ſunt duo, vel tres, quemadmodum de iisdem non eadem dicunt, ſed & nominibus, & rebus contraria reſpondent.* Et Tertulianus in eodem ſæculo *lib. de præſcript. cap. 42.* de iisdem dicit, *denique penitus inſpectæ hæreſes omnes, in multis cum authoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur.* Et Athanaſius in ſæculo 4. conſtitutus in decretis Nicæni Concilii de Eccleſia Ariana loquens ait, *homines tales ſunt, quales D. Jacobus duplices corde, & inſtabiles in omnibus viis ſuis appellat. Nunquam unam eandemque ſententiam; ſed aliam & aliam ſoventes, &c.*

9. Probatur *ſecundo* etiam de Eccleſiis novis: experientiâ conſtat in eadem Eccleſia Lutherana multiplicem eſſe diſcordiam opinionum de eodem articulo; unde de quibusdam articulis aliter ſentiunt Confeſſioniſtæ, aliter Saxonica Eccleſia, & aliter Danica, aliterque Svecica, &c. Et ipſe author Lutheranæ Eccleſiæ non inhæret eidem ſuæ opinioni; unde circa eundem articulum de communione ſub utraque ſpecie, tres varias poſuit ſententias, teſte Cochleo *in ſepticipite*; ac innumeras alias contradictiones miſcuit ſuis libris. Et Calviniſticæ Eccleſiæ vix aliqua eſt concordia in membris, ſeu partialibus Eccleſiis ejusdem Sectæ; dum aliter Zwingliani, aliter Sacramentarii, aliter Geuzii, aliter Hugonotæ, & aliter Puritani ſententiant de quibusdam articulis. Vide plura de diſcordia, & diviſione principalium Sectarum *in Prolog. art. 30.*

ARTICULUS XIII.

Nota *miraculorum* competens Eccleſiæ veræ, convenit quoque Romanæ Eccleſiæ; non verò aliis.

1. DIco primò: Eccleſiæ Romanæ pariter convenit Nota Miraculorum, quæ aliàs indicat veram Eccleſiam DEI. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

2 Probatur *primò*: In Eccleſia Romana per omnem ætatem, omnéque ſæculum fuiſſe patrata vera, & evidentia miracula in confirmationem doctrinæ, & ſanctitatis ejus; ac teſtimonium ſanctimoniæ ipſius patrantis miracula; vel ob aliam cauſam graviſſimam, teſtantur vetuſtæ, & recentiores Legendæ authenticæ; quas omnes arguere de falſitate, ſignum effrontis temeritatis eſt. Et quidem de miraculis priſcis, ſeu primorum quinque ſæculorum, in Eccleſia Romana editis, quæ Hæretici plurimi admittunt, pleni ſunt libri primorum SS. PP. ſignanter Auguſtini, Hieronymi, Athanaſii, Optati &c. Unde S. Auguſtinus in *libris de Civit. DEI*, præſertim *lib. 22.* recenſet miracula Apoſtolorum, quæ in Actibus Apoſtolorum leguntur, & ex illis probat contra Gentiles Fidem Eccleſiæ Catholicæ, ſeu Romanæ eſſe veram. Et deinde refert alia quoque miracula poſt Apoſtolorum tempora imò & ſua ætate facta ad Reliquias, & memorias Martyrum. Idem facit *lib. 1. retract. cap. 13.* ubi ait, *nam ego ipſe, quando illum ipſum librum* (ſcilicet de vera Religione) *ſcripſi, ad Mediolanenſium corpora Martyrum, in eadem civitate cæcum illuminatum fuiſſe jam noveram, & alia nonnulla; qualia tam multa etiam iſtis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoſcere, nec ea quæ cognoſcimus, enumerare poſſimus.*

3. Probatur *ſecundo* de miraculis deinde reliquorum ſæculorum, in Eccleſia Romana editis, quæ in veridicis, & approbatis Legendis, quæ non minoris fidei ſunt, quàm hiſtoriæ ab Hæreticis, vel aliis Scriptoribus contextæ, referuntur. Et primò in *Sæculo 6.* S. Proculus Martyr poſt ſui decapitationem, ſurrexit, & caput ſuum extra mœnia urbis ſuis manibus portavit; utì refert Sigonius in *hiſtoria Bononienſi lib. 1.* Et S. Benedictus mortuum puerum excitavit ad vitam; ac plurima futura prophetizavit, de quibus agit D. Gregorius *lib 2. dial.* In *7. ſæculo* S. Amandus Epiſcopus Trajectenſis pariter mortuum ſuſcitavit; utì refert Gaudemundus in *ejus vita.* Et S. Sigibertus plurimos cœcos, ac paralyticos ſanavit; utì habet Marcellus in *ejus vita.* In *8. ſæculo* S. Rumoldus Regis Hiberniæ filius puerum in aquis ſu[illegible] merſum, & extinctum, ad vitam revocavit, teſte Surio *tom. 7.* In *9. ſæculo* miracula S. Siſinandi Epiſcopi Compoſtellani narrat Vaſæus in *Chronic. Hiſpan.* ad An. 866. & 920. In *10. ſæculo* S. Anſelmus Cantuarienſis Archi Epiſcopus, & S. Heribertus Archi-Epiſcopus Colonienſis ve-

ra miracula patrârunt, teſtibus Tuitienſi, & Edinero in *eorum vitis*. In *11. ſeculo* S. Bernardus uno die undecim cœcos, & octodecim claudos miraculosè ſanavit; utì refert Gotfridus *lib. 4. cap. 4. de eodem Sancto*, In *12. ſeculo* S. Norbertus Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis plures à dæmone obſeſſos liberavit, & cæcæ mulieri viſum reſtituit ùt habet Surius in ejus vita. In *13. ſeculo* S. Dominicus teſte Theodorico in *ejus Legenda*. Et S. Franciſcus Seraphicus teſte S. Bonaventura in *ejusdem Sancti Legenda*. Et ipſe etiam S. Bonaventura, miracula grandia perpetrarunt. S. Antonius de Padua cœcos, ſurdos, & claudos ſanavit; utì habent *Chronica FF. Minorum* authentica. Item S. Ludovicus Franciſcanus duodecim mortuos ſuſcitavit; utì refert *ejus Legenda*. In *ſeculo 14.* S. Eliſabeth Regina Portugalliæ pauperis fœminæ ulcus exoſculata derepentè ſanavit. Pecunias pauperibus diſtribuendas hiberno tempore in roſas convertit. Cæcam à nativitate illuminavit, multos alios ſolo Crucis ſigno à graviſſimis morbis liberavit; ùt habet Breviarium Romanum. In *15. ſeculo*, S. Didacus Minorita Obſervans puellam mortuam reſuſcitavit, plurimóſque ſurdos, mutos, & cœcos miraculosè ſanavit; utì continetur in *ejus Legenda*. Et S. Vincentius Ferrerius infantem in fruſta diſſectum, vitæ reſtituit; de quo & aliis ejus miraculis, Petrus Rauz in *ejus vita*. In *16. ſeculo* Martinus de Valentia Franciſcanus puerum defunctum ad vitam revocavit, teſte Bzovio *lib. 12. cap. 21.* Et Ludovicus Bertrandus mortuam puellam reſuſcitavit, teſte eodem Bzovio *lib. 6. cap. 2.* Et annis ſuperioribus in Regno Neapolitano precibus, & invocatione S. Antonii de Padua vir quidam *Tortamano* dictus, occiſus poſt aliquot dies reſurrexit à mortuis; quod miraculum uſque hodie univerſæ Europæ notum eſt, & typis authenticis in variis Provinciis evulgatum.

4. Objiciunt Hæretici recentiores *primò*: præfata, & ſimilia miracula poſt quintum ſæculum patrata, ſunt conficta à Catholicis; & patratores eorum fuerunt hypocritæ vanâ tantùm ſanctitate veſtiti; vel Dæmonis ope illa mirabilia perfecerunt: Ergo &c. *Secundò*: Miracula non probant ſufficienter Eccleſiam Romanam eſſe veram: Ergo &c. Prob. Ant. Anti-Chriſtus etiam faciet ſigna, & prodigia Matth. 24. Item Infideles, & Pagani fuerunt miraculis clari; utì refert Valerius Max. de quadam Virgine Veſtali, aquam cribrô haurientе. Et Sybillæ miraculosè vaticinatæ ſunt Et Phytoniſſa mortuum Samuelem ſuſcitavit. 1. Reg. 25. Item Donatiſtæ, & Novatiani in primitiva Eccleſia mirabilia fecerunt, teſte Auguſtino *tract. 13. in Joan.* Ergo &c.

5. Reſpondeo ad *Primum* primò Neg. Ant, quod dictum ſimile eſt calumniæ illi Judæorum, quâ impugnabant miracula vera Chriſti, & Apoſtolorum dicendo, illos nonniſi in Beelzebub principe Dæmoniorum eiicere Dæmonia; concordat etiam cum objectione Gentilium, qui aſſerunt miracula Chriſtianorum fieri per nigromantiam: & cum impoſtura priſcorum Hæreticorum Arii, Donati, Vigilantii, & Mahometis; de qua jam olim conqueſti fuêre S. Ambroſius *ſerm. de Gervaſio & Prothaſio*; & S. Hieronymus *lib. contra Vigilant.* Reſpondeo *ſecundò* ad idem, Neg. rurſus Ant. nam allegata, & ſimilia miracula, à Catholicis Scriptoribus recenſita, fuerunt à ſupremis Eccleſiæ Miniſtris, Epiſcopis, ac aliis exactè, maturè, debitéque examinata, jurejurando depoſita, & probata ab Eccleſia; ut proinde nullum figmentum intervenire potuerit in eorum relatione. Edita etiam fuerunt à viris paris ſanctitatis cum illis, qui in primitiva Eccleſia miracula patrârunt; qui proinde non minùs hypocritæ, quàm primi Sancti Eccleſiæ veræ DEI extiterûnt; aut ope Dæmonis ea patrârunt; & ad quos non minùs, quàm ad veteres Eccleſiæ dictum eſt, *ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*, impertiendo & doctrinam ſanam, & virtutem miraculorum patrativam.

6. Ad *ſecundum* Neg. Ant. & ad ejus primam probationem ab exemplis variis ductam dico; ſigna & prodigia Anti-Chriſti fienda, ac Phytoniſſæ ſuſcitationem, ſeu potius umbroſam & fictam comparitionem Samuelis defuncti, facta fuiſſe ope dæmonum; utì conſtat ex illa S. Scriptura, ſcilicet Apocalypſi, & Levitico *cap. 20.* Ad illud etiam factum Veſtalis dici poteſt; illud Dæmonis operâ contigiſſe, qui condenſavit aërem in foraminibus cribri, ne aqua efflueret. Vel dici poteſt, id eveniſſe in teſtimonium virtutis Chriſtianæ, ſcilicet Caſtitatis; ut hac via Status Chriſtianorum approbaretur etiam ex inimicis & gentilibus. Donatiſtarum verò, & Novatianorum miracula fuerunt tantùm viſiones quædam incertæ, & non approbatæ, quas D. Auguſtinus *lib. de unit. Eccleſia*, non tantùm in Hæreticis, ſed etiam Catholicis reprobat ut ſuſpectas: alioquin enim ex miraculis argumentum veritatis Eccleſiæ deſumi manifeſtè docet idem S. Doctor *lib. 22. Civit. cap. 8.* Et *lib. contra epiſt. fundam. cap. 4.* dicit Novatianum nullum patrâſſe miraculum; ſed bene contra eundem edita fuiſſe miracula, quando enim contra fidem orthodoxam volebat

lebat rebaptizare, mox aqua in ſanguinem eſt converſa.

7. Dico ſecundò: è contra nulli alteri Eccleſiæ competit patratio verorum miraculorum. Ita Catholici; contra univerſos Errones.

8. Probatur: quia in nullo authentico Scriptore reperiuntur aliqua vera, & legitima miracula patrata ab Hæreſiarchis aliarum Eccleſiarum, vel Doctoribus, & Miniſtellis earum facta; aut ſi quæ facta allegantur ab eis, omnino omni carent veritate. Sic miraculum quod de Mahomete allegat *azoar. 64.* de reparatione Lunæ in duas partes fractæ, figmentum cenſetur ab omnibus Chriſtianis. Et miracula Novatianorum repudiat S Auguſtinus *lib. contra epiſt. fundam. cap. 4.* Arianorum pariter, & Donatiſtarum miracula exploduntur à SS. Patribus tanquam conficta. Accedit quòd Hæreſiarchæ quidam attentantes patrare miracula, mirabiliter confuſi fuerint, & in vanum operati ſint. Unde quia Manichæus teſte S. Epiphanio *hær. 66.* ex quadam ſua diſcipula obſeſſa ejicere diabolum voluit, vix non ab eo necatus fuit. Et Simon Magus volens facere miraculum volando per aëra, dejectus eſt à S. Petro, & collum eliſit, teſte Egeſippo *lib. 3. cap. 2.* Et Staphilus teſtis ocularis *in reſponſ. ſua contra Jacob. Smidelin.* narrat de Luthero ſequentem hiſtoriam; *Anno 1545. dæmoniacam quandam puellam è Miſniæ ditione adductam fuiſſe Wittembergam ad Lutherum ea ſpe, ut Lutherus, ceu alter Elias, puellam illam à malo dæmone liberaturus eſſet, &c. Tandem juſſit puellam duci in parochiana Eccleſiæ Wittembergenſis ſacrarium, illicque coram aliis pleriſque Doctoribus, & eruditis viris (inter quos tunc ego quoque juvenis Magiſter aderam) dæmonem cepit adjurare &c. Cùm autem ille diu multùmque conjuràſſet dæmonem, cedere ille noluit; ſed eas in anguſtias, ſit venia verbo, Lutheri caligas redegit, ut is quamprimum è ſacrario ſe proripere vellet. At quid accidit? malignus ille dæmon uſque adeo fores ſacrarii obſtruxerat, ut neque forinſecus, neque intrinſecus aperiri poſſent. Quæ res Lutherum in majores etiam anguſtias adduxit, ita ut jam ad feneſtram properaret, ſperans ſe per eam poſſe effugere, atque exilire. Verùm obſtabant illi cancelli ferrei, ſicque compulſus eſt unà nobiſcum tam diu incluſus hærere, donec per cancellos ferreos ab æditno nobis eſſet oblata ſecuris, mihique ceu juniori viro tradita, ut eâ fores effringerem: quod equidem tum conatus ſum, & ad effectum perduxi. Interea vero viſu admirandum erat, quot Lutherus angoribus correptus ſurſum deorſum curſitaret, atque inſtar ovis parturientis, huc illúcque ſe inverteret.* Et de Calvino narrat Bolſecus Calvini diſcipulus *in vita Calvini, ſic, quòd is cum Brulleo quodam viro paupere, & uxore, quando Oſtuno Genevam proficiſcebatur, convenerit, & utrinque concordaverint, ut vir ſe mortuum ſimularet, uxórque clamores excitaret, quo Calvinus ſanctimoniam ſuam miraculo aliquo confirmare poſſet; quod & factum fuit. Calvinus itaque quaſi rei ignarus, cum aliis plurimis ad ejulatus mortui domum ingreditur, ubi in genua ipſe, & reliqua caterva, precibúſque alta voce profuſis, DEUM obteſtatur &c. Poſt quas preces ad mortuum appropinquat, & miſeri hominis manu apprehenſa, in DEI, & Filii ejus Domini noſtri JESU Chriſti nomine imperat, ut ſe erigeret. Repetit iterum, voce etiam altiùs elevata. Quid fit? neque audit, neque loquitur, neque ſe commovet; ſed mortuus repertus eſt, &c. Quô animadverſê, plorare, ululatus ſeriò edere, ex animo cepit uxor, & in Calvinum invecta, impoſtorem eum ſiccarium, latronem, qui maritum interemiſſet, appellans, ex ordine rem, & quomodo erat geſta, clarâ altáque voce expoſuit &c. Calvinus ergo mortuo marito, & uxore ſic relicta, illinc ſe ſubduxit, atque in vulgus ſparſit, mœrore ex mariti obitu, uxorem deliràſſe. Certum hoc eſt, negent quantum velint Calvini mancipia, exploratum, & cognitum ſatis fuiſſe, veritatémque rei ſatis probatam, imò per ipſam, & uxorem confirmatam.* Hæc Bolſecus Calvini diſcipulus, & teſtis. Et Manichæus volens filium Regis ſanare, verè eum occidit; utì refert Epiphanius *cit. hær.* Et Cyrola Patriarcha Arianus dum quemdam ſimulantem ſe cæcum, curare tentâſſet, revera viſu privavit utì habet Gregor. Turon. *lib. 2. cap. 3.*

CAPUT II.

De Eccleſiæ veræ DEI, quæ eſt Romana, viſibilitate.

1. DIco primò : vera Eccleſia DEI & Chriſti militans ſemper fuit, & hodie eſt viſibilis, ac manifeſta. Ita Catholici; contra Lutheranos, dicentes Eccleſiam veram DEI eſſe occultam in ſpiritu, & tantùm credi; & conſequenter eſſe inviſibilem, ac latere.

2. Probatur *primò* ex Scriptura S. nomine Eccleſiæ veræ DEI, & Chriſti in Scriptura S. ſignificatur, viſibilis aliqua Congregatio hominum, ſub vero cultu DEUM colentium; uti conſtat ex illo Num. *20. cur eduxiſti Eccleſiam Domini* (id eſt populum Iſraëliticum congregatum) *in ſolitudinem* ? Et illo 3. Reg. *8. convertitque Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſraël; omnis enim Eccleſia ſtabat.* ſed congregatio hominum ſub vero cultu DEUM colentium eſt viſibilis, & manifeſta: Ergo &c. Præterea Matth. 18. dicitur de vera DEI Eccleſia, *dic Eccleſiæ; & ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus* : ſed dicere Eccleſiæ, & audire Eccleſiam, ſupponit ejus viſibilitatem : Et Act. 20. dicitur de eadem Eccleſia, *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Sed regere rurſus ſupponit Eccleſiam regendam eſſe viſibilem ac notam. Et Act. 15. iterum de eadem Eccleſia dicitur, *cùm autem veniſſent Hieroſolymam, ſuscepti ſunt ab Eccleſia* : ſed ſuſcipi ab Eccleſia iterum ſupponit eam eſſe notam, ac viſibilem: Ergo &c. Tandem Eccleſia comparatur civitati ſuper montem viſibiliter poſitæ Matth. 5. *non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*; quem locum expendens D. Auguſtinus *lib. 2. contra Creſcon. cap. 36.* dicit, *extat Eccleſia cunctis clara, atque conſpicua ; quippe Civitas, quæ abſcondi non poteſt ſupra montem poſita.* Et Pſalm. 71. aſſimilatur regno diffuſo à mari uſque ad mare. Et Pſalm. 88. Throno ſempiterno. Et in S. Evangelio comparatur nunc ſagenæ miſſæ in mare: nunc convivio nuptiali: nunc decem virginibus: nunc ovili : quæ omnia viſibilitatem in Eccleſia vera DEI indicant: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò* ex SS. PP. primitivæ Eccleſiæ, qui viſibilitatem ejus adſtruunt; ſic facit Irenæus *lib. 3. cap. 3.* ubi numerat in Eccleſia ſucceſſiones Epiſcoporum, & conſequenter tenet eam eſſe viſibilem, dicens, *in omni Eccleſia habemus annumerare eos, qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos.* Et Origines *hom. 30. in Matth.* Et Cyprianus *lib. de unit. Eccleſ.* Et Ambroſius *lib. 4. Hexameron. cap. 2.* Et Chryſoſtomus *hom. 4. in cap. 6. Iſa.* Et Auguſtinus exponens illud Pſal. 18. *in ſole poſuit tabernaculum ſuum*, ubi ait, *in manifeſtatione poſuit Eccleſiam ſuam ; non in occulto.* Et *lib. de unit. Eccleſ. cap. 16.* dicit, *non eſt operta Eccleſia ; quia non eſt ſub modio, ſed ſupra candelabrum* : Ergo &c.

4. Probatur *tertiò* ratione Theologica *primò*: viſibilitatem veræ Eccleſiæ DEI probant functiones, officia, & miniſteria, quæ in ea neceſſariò fieri debent; unde ipſa continuò extitit gubernata per legitimos Miniſtros in communione cultûs Divini; & in ea ſemper fuerunt, & erunt uſque ad conſummationem ſæculi viſibiles Prophetæ, Evangeliſtæ, Doctores, & Paſtores, utì conſtat ex illo ad Epheſ. 4. *ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, alios Evangeliſtas, alios Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti* : Item in eadem ſucceſſivè varia Concilia generalia viſibilia fuerunt celebrata, ſenſibiliter terminatæ controverſiæ Fidei : unde ſtatim Apoſtoli indixerunt Concilium Hieroſolymitanum, in quo factus eſt ſequens Canon Act. 15. *viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, nil ultra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato.* Et poſt Apoſtolorum tempora quoque congregata fuerunt Concilia alia, ùt Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, Chalcedonenſe, Lateranenſe, Ergo &c. *Secundò*: SS. PP. paſſim Eccleſiam veram appellant Corpus Chriſti ; & conſtat etiam ex cit. Scriptura ad Epheſ. 4. ibi, *in ædificationem Corporis Chriſti* ; ſed Corpus Chriſti congregatur ex Chriſti Fidelibus: Chriſti Fideles autem, & ipſum Corpus Chriſti perpetuò atque cóntinuò fiunt per Baptiſmum, & Euchariſtiæ participationem 1. ad Cor. 10. quæ Sacramenta cùm ſint viſibilia; proinde ipſi quoque Fideles, qui per hæc Eccleſiæ membra fiunt, debent eſſe viſibiles: ſicque Eccleſia ex his membris conſtituta, ſemper fuit, & eſt hodie viſibilis. *Tertiò*: Lutherani

therani communiter docent, ibi reperiri veram Eccleſiam DEI, ubi Verbum DEI ſincerè prædicatur, & Sacramenta legitimè adminiſtrantur; utì patet ex eorum *Confeſſ. Auguſt. art.* 7. Sed hæc duo ſupponunt Eccleſiam viſibilem, ut poſſit agnoſci, ac in ipſa fieri prædicatiô, & adminiſtratio Sacramentorum; unde S. Auguſtinus *lib. 19. contra Fauſtum cap. 11.* dicit, *in nullum autem nomen Religionis ſeu verum, ſeu falſum coagulari poſſunt homines, niſi aliquô ſignaculorum, vel Sacramentorum viſibilium conſortiô colligentur*: Ergo Eccleſia vera DEI fuit ſemper, & hodie eſt viſibilis, ac manifeſta. *Quartò*: cùm in primis 14. ſæculis, uſque ad Lutherum latuerit, & inviſibilis fuerit Eccleſia vera, profectò nullus illo tempore ſalvus factus fuiſſet; ſicque tot SS. PP. in illis viventes, extra veram Eccleſiam fuiſſent; quia ſemper in inviſibili vixerunt, eámque ſolam profeſſi fuerunt: quod dicere nefas eſt: Ergo &c.

5. Objiciunt Hæretici *primò*: ad Hebr. 12. dicitur; *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & acceſſibilem ignem; ſed ad Sion montem, & civitatem DEI viventis*: ubi comparatur Eccleſia Judæorum monti Sinai, tangibili, & viſibili: Eccleſia autem Chriſti monti Sion ſpirituali, & inviſibili ſuccedit: Ergo Eccleſia Chriſti eſt inviſibilis. *Secundò*: 1. Petr 2. dicitur; *Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domos ſpirituales, Sacerdotium S. offerentes ſpiritualiter hoſtias DEO*: ſed hæc domus eſt Eccleſia: Ergo eſt ſpiritualis; adeóque inviſibilis. *Tertiò*: Luc. 17. dicitur; *quòd regnum DEI non venit cum obſervatione; neque dicent; ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum intra vos eſt*: Ergo Eccleſia, quæ eſt regnum DEI, non conſiſtit in aliquo ſigno externo; nec eſt alligata locis, aut cœremoniis ſenſibilibus.

6. Reſpondeo *ad Primum* cum SS. Patribus: Apoſtolum hìc per montem ſpiritualem, & civitatem DEI, viventis intelligere non militantem; ſed triumphantem Eccleſiam, quæ ex beatis ſpiritibus conſtat, ad quam nos ſpe accedimus, ſicut Iſraëlitæ re accedebant ad montem Sinai. Unde ibidem ſubditur; *Et multorum millium Angelorum frequentiam*; quod non niſi de triumphante Eccleſia intelligi poteſt: quam fatemur nunc nobis eſſe inviſibilem. *Ad ſecundum Reſpondeo*: S. Petrum, dum dicit Eccleſiam eſſe domum ſpiritualem, ſolùm velle, quòd non ſit ædificata ex lignis, & lapidibus; ſed ex hominibus DEO dicatis, habentibus habitudinem ad ſpiritum; quia ad Fidem gratiâ Spiritûs Sancti vocantur; tendunt in DEUM, qui ſpiritus eſt, & ad ſalutem ſpiritualem; ſpirituales hoſtias, id eſt, Eleëmoſynas, jejunia, aliaque bona opera faciunt: hujusmodi ergo Fideles conſtituunt Eccleſiam, tanquam ſpiritualem domum in ſenſu morali: cum quo ſtat, quòd Eccleſia ex eis collecta ſit etiam aliquomodo domus materialis, id eſt viſibilis, in ſenſu phyſico. *Ad Tertium* dico, per regnum DEI hìc non intelligi Eccleſiam; ſed vel gratiam, per quam DEUS regnat in cordibus hominum; uti exponit Theophil. Vel certè ipſum Chriſtum, ùt exponit Beda: Interrogaverunt enim Judæi, quando veniret regnum DEI, id eſt Meſſiæ; & Dominus reſpondit, Meſſiam jam veniſſe; & intra ipſos eſſe.

7. Dico ſecundò: Eccleſia Romana eſt illa viſibilis Eccleſia vera DEI, & Chriſti, de qua præmiſſa concluſio ſtatuta eſt. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

8. Probatur De Eccleſia Romana verificantur omnes textus S. Scripturæ ſupra pro Conclus. 1. relati. de Romana quoque Eccleſia procedunt teſtimonia SS. PP. pro *eadem conclus.* adducta: inſuper ipſa ſemper viſibiliter docuit, & defacto docet Chriſti Fideles; eiſdem adminiſtravit, & adminiſtrat Sacramenta; aliaque præſtitit, & præſtat miniſteria; & jam congregavit Concilia generalia modo viſibili; in eadem fuit, & eſt hodie continua ſucceſſio viſibilium Miniſtrorum: Ergo Eccleſia Romana fuit ſemper, & eſt hodie vera Eccleſia DEI viſibilis.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Eccleſiæ veræ Dei, quæ eſt Romana, indefectibilitate, & aliarum defectibilitate.

1. Dico primò: vera Eccleſia DEI, & Chriſti militans univerſalis eſt indefectibilis in ſe, & infallibilis in fide, ita ut nunquam defecerit phyſicè, nec erraverit moraliter in fide, neque ullo unquam tempore defectura phyſicè, aut erratura ſit moraliter. Ita Catholici; contta Donatiſtas dogmatizantes teſte S. Auguſtino *lib. de hær. 69.* Eccleſiam Chriſti in toto orbe defeciſſe, & extinctam fuiſſe exceptâ ſolâ Affricæ parte, in qua Donatiſtarum Eccleſia vigebat. Et contra Luciferianos dicentes, antiquam Eccleſiam viſibilem factam eſſe lupanar, & ſolos Luciferianos conſtituere veram Eccleſiam. Et contra Lutherum, qui in *colloq. Latin. tom. 4. cap. de Patribus*, dicit, jam Tertulliani, & Cypriani ætate Eccleſiam degenetâſſe, imò inſis Apoſtolis viventibus, & in paucis piis fidelibus occultis tanquam reliquiis omni tempore à DEO conſervatis conſiſtere. Et contra Waldenſes docentes, eam defeciſſe tempore Sylveſtri Papæ. Et contra Calvinum *reſp. ad Sudoletum* docentem, Eccleſiam eſſe abolitam, & everſam.

2. Probatur *primò*: S. Scriptuta vetus aſſcrit Eccleſiæ veræ indefectibilitatem, perpetuitatem in ſe, & infallibilitatem omnimodam in Fide; unde de ea dicit Iſaias 54. *noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces*: confunderetur autem, & erubeſceret, ſi aliquando defectibilis eſſet in ſe, vel in fide ſua. Et Pſalm. 47. *DEUS fundavit eam in æternum*; quem locum expendens S. Auguſtinus *in commem. hujus Pſalm.* ait, *ſed fortè iſta Civitas* (id eſt Eccleſia vera DEI, & Chtiſti) *quæ mundum tenuit, aliquando evertetur? abſit.* Et Pſalm. 88 *ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus, & thronum ejus ſicut dies cœli.* Et Iſaiæ 61. *& fœdus perpetuum feriam ejus.* Et Dan. 2. *ſuſcitabit DEUS cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Et Oſe. 2. *Sponſabo te mihi in ſempiternum*: quos omnes textus SS. PP. exponunt de indefectibilitate veræ Eccleſiæ in ſe, & in fide: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò*: ſimiliter S. Scriptuta nova eandem Eccleſiæ immutabilitatem, indefectibilitatem in ſe, & infallibilitatem in fide apertè docet: unde de ea dicitur Matth. 16. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: quæ verba ſpecialem DEI aſſiſtentiam Eccleſiæ Rectoribus promittunt, ut deficere nequeat. Et Joan. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*: ſi omnem veritatem; Ergo non deficient, nec errabunt Miniſtri Eccleſiæ, nec conſequentet Eccleſia in propugnanda veritate. Et Matth. 16. dicitur, *portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: prævalerent autem, ſi ipſa aliquando defeciſſet in ſe, vel deficere, & errare poſſet in fide. Et 1. ad Tim. 3. Eccleſia ob ſui ſoliditatem, & ſtabilitatem doctrinæ, ac ſubſiſtentiam perpetuam in fide vocatur *columna, & firmamentum veritatis*: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò*: Similiter SS. PP. Græci, & Latini etiam primitivæ Eccleſiæ, hanc indefectibilitatem omnimodam Eccleſiæ in ſe, & in fide dogmatizant, præſertim Martialis ex primo ſæculo, qui ſcribens *ad Burdegal. cap. 11.* ait, *firma Eccleſia DEI, & Chriſti, nec cadere, nec diſrumpi poterit unquam.* Et ex ſecundo ſæculo Irenæus *lib. 3. cap. 4.* Et Tertullianus *de præſcript.* Et ex tertio ſæculo Cyptianus *lib. de unit. Eccleſ.* dicit, *ſic & Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit: adulterari non poteſt Sponſa Chriſti; incorrupta eſt, & pudica.* Et ex quarto ſæculo Alexander Alexandrinus *ad Alex. Epiſc. Conſtant.* ſcribit, *Eccleſiam unam ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam agnoſcimus, quæ nunquam expugnari poteſt; etiamſi totus mundus eam oppugnare inſtituat, ſic omnem impiam hæreticorum incurſionem evincit.* Et ex quinto ſæculo Auguſtinus *lib. de Symb. ad Catechum.* ait, *ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa: ipſa autem manet in radice ſua, portæ Inferorum non vincent eam.* Eandem etiam indefectibilitatem adſtruunt alii in ſequentibus ſæculis; ut Leo Mag. *ſerm. 1. in nat. Apoſt. Petri & Pauli.* Et Chryſoſtomus *hom. 4. in Iſai. &c.* Et eadem veritas definitur in VII. Synodo generali *act. 6.* Et in VI. Synodo *act. 4.*

5. Probatur *quartò* rationibus Theologicis: *primò*, in primitiva, & moderna Eccleſia vera DEI, & Chriſti, ſunt iidem prorſus Articuli Fidei; eadem miniſteria; eadem gratia miraculorum, eadem ſanctitas vitæ in pluribus Miniſtris, eædem traditiones, ea-

dem

dem Scriptura S. & idem ſenſus, ac expoſitio DD. eadem; Concilia quoque noviſſima idem dogmatizant, quod antiqua: Ergo hæc Eccleſia nunquam defecit in ſe, vel erravit in Fide; nec nunc errat. *Secundò*, ſicut in primitiva Eccleſia, ita & nunc naſcuntur variæ Controverſiæ circa fidem: Ergo etiam nunc oportet eſſe aliquam Eccleſiam, quæ exiſtat, & ſit infallibilis, ac nulli errori ſubjecta, ut poſſit tanquam Judex verax, & infallibilis definire ejusmodi Controverſias. *Tertiò*, ſi Eccleſia eſſet defectibilis, & fallibilis, non conſtaret nobis certò, hæc 4. Evangelia eſſe Canonicas Scripturas, puras, & incorruptas; nam hoc conſtat nobis ex traditione, & doctrina Eccleſiæ; cujus teſtimonium ſtante defectibilitate, & fallibilitate eſſet exiguæ æſtimationis: Ergo &c. *Quartò*, edicant adverſarii quô præciſè tempore Eccleſia vera DEI, & Chriſti inceperit labi, deficere, ac errare? & ſub quo Sum: Pontifice ejus? & qua de cauſa inciderit in errores? & in qua materia primitùs erraverit? quæ omnia cum veritate oſtendere nequeunt: & absque fundamento dicitur, hanc defectionem contigiſſe ſub tali vel tali Papa; vel tali ſæculo: Ergo &c.

6. Replicant Hæretici lapſum Eccleſiæ, & errores ejus imperceptibiliter, ac ſenſim contigiſſe; ita ut ejus præciſum tempus, & cauſa aſſignari nequeat. Contra primò eſt: gratis, & ſinè fundamento aſſeritur ejusmodi lapſus imperceptibiliter factus; cùm Chriſtus expreſsè promittat Eccleſiæ; *Ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi*: Et quia Eccleſia ſemper habuit vigilantes, atque doctos Paſtores aliquos, qui percepiſſent lapſum ejus. Contra ſecundò eſt: quòd hoc idem dici poſſit de Eccleſia Affricana, Donatiſtarum, Waldenſium, Luciferiariorum, Lutheranorum, & Calviniſtarum: nam quod non advertentibus primis Fidelibus fieri potuit; cur idem non advertentibus præfatis Hæreticis fieri poſſet? quid ſi ergo id factum ſit? Nec valet hìc reſponſio Novatorum, quòd ipſi certi ſint de ſuæ Eccleſiæ integritate, & indefectione in præſentiarum; quia ipſi in ea ſequuntur verbum DEI, juxta illud Joan. 8. *ſi in ſermone meo manſeritis, verè Diſcipuli mei eritis*. Contra enim eſt, quòd primitiva Eccleſia etiam arbitrata ſit, ſe ſequi verbum DEI; & tamen ſecundùm adverſarios defecit.

7. Objiciunt Hæretici *primò*: Eccleſia militans aſſimilatur Lunæ, in S. Scriptura, & PP. Ergo ſicut defectibilis eſt Luna; ita & Eccleſia. *Secundò*: Eccleſia veteris Teſtamenti, ſcilicet Synagoga erravit, tempore Moyſis, quando Aaron, & totus populus adoravit vitulum aureum, Exod. 32. Et tempore Eliæ 3. Reg. 19. Et tempore Chriſti, quando ipſum condemnavit; & deſuper tota cum ſuis ritibus expiravit: Ergo & Eccleſia novi Teſtamenti poteſt deficere. *Tertiò*: aliqui SS. PP. dicunt, Eccleſiam viſibilem defeciſſe. *Quartò*: Apoſtoli primæ Eccleſiæ fundatores tempore Paſſionis Chriſti fugerunt, & in fide lapſi ſunt Marc. *ult. cap.* unde Chriſtus eorum incredulitatem redarguit. *Quintò*: Eccleſia defecit tempore Gregorii Magni Papæ: Ergo &c.

8. Reſpondeo *ad Primum*: Eccleſiam aſſimilari Lunæ, non propter menſtruum decrementum ſeu defectionem; ſed ob alias cauſas, quas afferunt SS. PP. puta *primò*, quia ſicut Luna à Sole accipit lumen ſuum; ita & Eccleſia accipit lumen Fidei, ac ſanctitatis à Sole Chriſto; ita S. Auguſtinus *in Pſalm. 10.* *Secundò*, quia ſicut Luna in exordio menſis eſt exigua, & ſucceſſivè deinde creſcit, plenáque efficitur; ita etiam Eccleſia in principio ſui ortûs exiguum habuit cœtum Chriſti Fidelium; ſed tractu temporis ampliſſima effecta eſt, & per totum orbem diffuſa; ita rurſus Auguſtinus *in Pſalm. 103.* *Tertiò*, ſicut Luna eſt ſubjecta mutationi, ita Eccleſia militans perſecutioni; ita Ambroſius *lib. 4. Hexamer. cap. 2.* *Ad ſecundum* dico *primò*. Neg. Conſeq. diſparitas eſt; quia Eccleſia novi Teſtamenti habet à DEO promiſſionem de ſua firmitate, & indefectibilitate, *ita ut portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*: non autem Synagoga. Dico *ſecundò* Neg. Ant. ad primum exemplum dico, in adoratione vituli aurei non defeciſſe totam Synagogam, & populum; quia Moyſes, Levitæ, & Sacerdotes non defecerunt, nec adorarunt vitulum; utì conſtat ex Exod. 32. *cap.* Ad ſecundum exemplum dico, etiam tempore Eliæ Eccleſiam in vero, etſi in minori, quàm antea, numero ſubſtitiſſe; unde quando putabat Elias, & dicebat 3. Reg. 19. *derelictus ſum ego ſolus*, reſpondit ei Dominus ibidem, *ver. 18. dereliqui mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata ante Baal*. Ad tertium exemplum; verum eſt Eccleſiam veterem, ſeu Synagogam tempore Chriſti interiiſſe cum ſuis ritibus, & erráſſe in condemnaudo Chriſtum

tanquam innocentem; ſed tunc jam alia Eccleſia, ſcilicet nova Chriſti fuit conſtituta, longè perfectior, & ad ſalutem ſufficientiſſima; ſicque erat jam repudiata Synagoga; unde hæc in ſuo interitu à DEO deſerta de facili potuit errare. *Ad Tertiam objectionem* dico, quòd SS. PP. non loquantur de Eccleſia vera univerſali, ſeu Catholica, & Apoſtolica; ſed de Eccleſiis quibuſdam particularibus, v. g. Mediolanenſi, quæ facta fuit Ariana; vel Conſtantinopolitana, vel Alexandrina, quæ factæ fuerunt Schiſmaticæ. *Ad Quartum* dico, Apoſtolos fugientes non fuiſſe infideles; quia non in fide, ſed in facto errarunt, non credentes Chriſtum reſurrexiſſe, ſicut mulieres teſtabantur. *Ad Quintum*, figmentum eſt, tempore Gregorii Magni Eccleſiam veram defeciſſe, & errare incepiſſe: nam tunc omnes Orthodoxæ Eccleſiæ Orientis, & Occidentis cum Romana Eccleſia communicarunt; Miniſtri quoque erant boni; & eadem dogmata.

9. Objiciunt rurſus Hæretici *ſecundò*: juxta relationem S. Hieronymi *in Dialogo contra Luciferianos, ingemuit orbis terrarum, & ſe Arianum eſſe miratus eſt*, eo videlicet tempore, quo PP. Concilii Ariminenſis ſuppreſſerunt vocem *Homouſion*, id eſt, conſubſtantialitatem; & Urſacium, ac Valentem ceterámque Arianorum catervam receperunt ad communionem: Ergo tunc invecta eſt in Eccleſiam defectibilitas. *Secundò*: Concilium Baſilienſe depoſuit Eugenium IV. tanquam Hæreticum, & elegit Felicem V. Sabaudum: deinde Conciliò ſolutò Eugenius in Sedem irrepſit, ſinè ulla Catholica cononicáque electione; & ab eo nati ſunt, quotquot poſtea erant Pontifices, Cardinales, & Epiſcopi: Ergo ſaltèm ab eo tempore, Eccleſia adhærens Romano Pontifici, non erat vera Eccleſia. *Tertiò*: Sæviente filio iniquitatis Anti-Chriſto Eccleſia eſt defectura: Ergo &c. Prob. Ant. nam tunc *auferetur juge Sacrificium*, Dan. 12. *& ſol obſcurabitur, & luna non dabit lumen ſuum, & ſtella cadent de cælo*. Matth. 24. quæ verba ponderans S. Auguſtinus addit; *Eccleſia non apparebit, impiis tunc perſecutoribus ultra modum ſævientibus*: Ergo &c.

10. Reſpondeo *ad Primum*: S. Hieronymum ibi per *Orbem* intelligere magnam partem Orbis loquendo per Synechdochen; ſcilicet multitudinem illam Epiſcoporum, ex univerſo Orbe Arimini congregatorum, qui decepti ab Arianis obſcuritate illius vocabuli Græci *Homouſion*, quod ſobrio ſenſu intellexère Latini Epiſcopi, poſt peractum jam Concilium, incautè ſubſcripſerunt formulæ fraudulentæ Fidei, factæ in Conciliabulo Arianorum Nicææ in Thracia, eóſque receperunt in communionem; quam tamen ſubſcriptionem Papa Liberius reprobavit; imò & ipſi Patres eandem poſtea reprobârunt; utì refert Theod. Sozimus, & alii: & ob impoſturam Arianorum triumphum canentium, ingemuit Orbis, id eſt, illa multitudo Epiſcoporum Orbis deceptorum & mirati ſunt, quòd (ut loquitur S. Hieronymus) ſinè conſcientia Hæretici ferantur. *Ad ſecundum* dico, Concilium Baſilienſe eo tempore, quô depoſuerat Eugenium IV. non fuiſſe legitimum; ſed Schismaticum, & nullius authoritatis; utì declaratur in Concilio Lateranenſi ultimo *ſeſſ. 11.* unde ab eo receſſerunt Legati Summi Pontificis, & major pars Epiſcoporum. Hoc fuit ultimum Schiſma in Eccleſia DEI; & contigit anno 1439. ſed anno 1449. abdicavit Papatum Pſeudo-Pontifex Felix V. & manſit Papa verus, Eugenius IV. *Ad Tertium* Neg. Ant. ad ejus probationem dico, ex allegatis authoritatibus tantùm ſequi; Eccleſiam non apparituram tunc cum tanto ſplendore, & gloria extrinſeca; maximè quoad cultum magnificarum Baſilicarum, ſicut eſt modò, extinctis Tyrannis ejus: ſimpliciter tamen manebit Eccleſia viſibilis; etſi in minori numero congregata, quàm modò; idem enim Auguſt. *Epiſt. 48.* ait, *etiam tunc Eccleſia in ſuis firmiſſimis eminebit.* Et Chryſoſt. *hom. 4. in Iſaiam* dicit, *facilius eſt extingui ſolem, quàm Eccleſiam obſcurari.*

11. Dico ſecundò: Eccleſia Romana eſt illa indefectibilis, & infallibilis Eccleſia vera DEI, & Chriſti, de qua prior loquitur Concluſio. Ita Catholici; adverſus omnes Hæreticos.

12. Probatur: omnia teſtimonia veteris, & novi Teſtamenti ſupra pro *concluſ. 1.* relata, conveniunt Eccleſiæ Romanæ: authoritates quoque SS. PP. ibidem adductæ de eadem Eccleſia dictæ ſunt ab iiſdem PP. utpote in qua ipſi vixerunt, & quam ſemper pro vera, ac indefectibili, infallibilíque Eccleſia tenuerunt. Inſuper Eccleſia Romana eſt illa, in qua iidem prorſus Articuli Fidei viguerunt olim, & nunc; item quæ inconcuſſa in medio perſecutionum Tyrannorum; & inter tot latratus Hæreſiarcharum ſubſiſtit; item in qua à principio eadem Sacramenta, miniſteria, Sacrificium, ritus, traditiones, & doctrinæ uniformes uſque modò perſeverant; in qua Conciliorum omnium generalium dogmata fuerunt, & ſunt defactò ejuſdem rationis, & conſonantiæ; ipſa ſemper fuit verax, & legitimus

timus Judex controverſiarum Fidei; in ipſa cum veritate aſſignari nequit tempus, ætas, cauſa, vel aliæ circumſtantiæ immutationis ejus eſſentialis, vel defectûs alicujus in materia Fidei, aut ſucceſſionis Summorum Pontificum, aut regiminis Eccleſiaſtici, &c. Ipſa eſt, quæ ſemper impugnata fuit ab Hæreſibus; ſed nunquam expugnata, aut erroris convicta; ipſa eſt, ex qua hæreſes omnes tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa fuerunt, ſubſiſtente vite ipſa in ſua entitate & ſanctitate; ùt loquitur Auguſtinus *lib. 1. de ſymb. ad Catech. cap. 6.* Ipſa eſt, de qua in *3. ſæculo* loquitur Euſebius Cæſarienſis *lib. de præpar. Evang. cap. 3.* dicens, *jam in ſui Evangelii fama, totum ab ortu ad occaſum orbem implevit, omnéſque gentes adiit &c. neque hoſtibus terga dat, neque ipſis januis mortis cedit, propter pauca verba, quæ ille protulit; ſuper lapidem ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversùs ipſam*; quibus verbis indefectibilitas, & infallibilitas omnimoda Eccleſiæ Romanæ exprimitur: Ergo Eccleſia Romana eſt illa indefectibilis, & infallibilis Eccleſia vera DEI, de qua *concl. 1.* fit ſermo.

13. Dico tertiò: omnes aliæ Eccleſiæ paſſæ ſunt defectibilitatem aliquam in ſe; & in fide. Ita Catholici; adversùs omnes Hæreticos.

14. Probatio hujus Concluſionis jam ſufficienter allata eſt ſupra *cap. 1. art. 11.* ubi interruptio, interitus, & variatio aliarum Eccleſiarum referuntur, atque oſtenduntur, quæ earundem defectibilitatem, ac fallibilitatem ſufficienter probant. Accedit, quòd ſubſiſtentes adhuc Novatorum Eccleſiæ, ita in dogmatibus etiam eſſentialibus diviſæ ſint, ut unaquæque particularis Eccleſia hujus, vel illius Regionis, Regni, vel Provinciæ particulares profiteatur doctrinas, à primorum ſuorum Fundatorum intentione, ſenſu, & dogmatibus multùm alienas: Ergo hæ omnes Eccleſiæ ſunt defectibiles in fide.

CAPUT IV.

An extra veram Eccleſiam Romanam poſſit quis ſalvari?

1. Dico primò: Nemo poteſt ſalvari exiſtens extra corpus veræ Eccleſiæ Romanæ. Ita Catholici; contra omnes Hæreticos.

2. Probatur *primò*: Eccleſia Romana eſt vera DEI, & Chriſti Eccleſia; utì ſuprà *cap. 1. per plures artic.* oſtenſum eſt: ſed nemo exiſtens extra veram Eccleſiam DEI, & Chriſti poteſt ſalvari, ſed cenſetur eſſe ſicut Ethnicus, ac publicanus, utì conſtat ex illo Matth. 17. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*: Ergo &c. *Secundò*, de Eccleſia vera DEI, & conſequenter Romana Catholica, & Apoſtolica procedit illud dictum Iſa. 60. *aperientur portæ tuæ jugiter; die ac nocte non claudentur, ut adferatur ad te fortitudo gentium, & Reges earum adducantur* (ſcilicet per fidem veram orthodoxam) *gens, & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit. Tertiò*, in ſola vinea Chriſti, quæ eſt Romana Eccleſia, datus eſt denarius, id eſt ſalus æterna, quæ eſt merces laborum Matth. *20. cap.* Et ſoli Romanæ Eccleſiæ Pontifici D: Petro collatæ ſunt claves regni cælorum, ſcilicet pro ſalute adeunda, & in cœlo potiunda, Matth. *16. cap. Quartò*, membrum, quod non eſt in corpore, nequit habere vitam; unde Chriſtus Joan. 15. *ſi quis in me non manſerit, mittetur foras, & areſcet, & in ignem mittetur*: Eccleſia autem Romana eſt corpus Chriſti; juxta illud ad Rom. 12. *multi unum corpus ſumus in Chriſto*: Ergo exiſtens extra corpus veræ Eccleſiæ Romanæ nequit ſalvari. *Quintò*, hanc eandem veritatem docent SS. PP. unde Cyprianus *lib. de unit. Eccleſ.* dicit, *non habet DEUM Patrem, qui Eccleſiam* (ſcilicet Catholicam Romanam, in qua ipſe vivebat) *non habet Matrem.* Et Auguſtinus *lib. 4. de ſymb. ad Catech. cap. 13. ſi quis abſque Eccleſia* (ſcilicet vera Romana, quam ille profitebatur) *inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum; nec habebit DEUM Patrem, qui Eccleſiam noluerit habere Matrem.* Et *epiſt. 152. ad Donatiſtas*, ſcribit, *quiſquis ab hac Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet ſe vivere exiſtimat, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti unitate disjunctus eſt, non habebit vitam; ſed ira DEI manet ſuper eum.* Et S. Gregorius *lib. 14. Moral cap. 2. Sancta univerſalis Eccleſia prædicat, ſalvari veraciter, niſi intra ſe, non poſſe, aſſerens quòd omnes, qui extra ipſam ſunt, minimè ſalventur.*

3. Objiciunt Hæretici recentiores Sincretiſtæ, & alii, qui ſentiunt unumquemque in ſua Religione poſſe ſalvari: incredibile videtur, & contra DEI miſericordiam, ut omnes Mahometani, & Judæi, unius DEI Fidem ha-

bentes, honeſtè aliàs viventes damnentur: Ergo &c. Reſpondeo: hoc non videri magis incredibile, quàm quòd totus fere mundus, exceptâ gente Judaicâ, in modica terræ portiuncula ſituata, per aliquot annorum millia olim relictus fuerit ſub idololatria, & per conſequens damnatus; licèt inter idololatras eſſent multi moraliter bene viventes.

CAPUT V.

De Monarchia Eccleſiæ veræ.

1. NOta primò: tres communiter aſſignantur formæ bonæ gubernationis, ſcilicet Monarchia, Ariſtocratia, & Democratia. *Monarchia* eſt regimen ſeu principatus unius; talis eſt in Imperio Romano, & in Hiſpaniis, ac Galliis, *Ariſtocratia* eſt regimen Optimatum; tale eſt in Republica Veneta. *Democratia* eſt regimen totius populi; tale eſt in Helvetia.

2. Dico primò: regimen veræ Eccleſiæ viſibilis debet eſſe, & hodie eſt, ac ſemper fuit, Monarchicum principaliter. Ita Catholici; contra Centuriatores, qui regimen Eccleſiæ faciunt Democraticum; & contra Calviniſtas, ac Presbyterianos, qui illud faciunt Ariſtocraticum.

3. Probatur *primò* ex S. Scriptura: nam Eccleſia comparatur Regno Dan. 2. Et exercitui bene ordinato Cant. 6. Et Ovili Joan. 10. Et navi 1. Petri 3. ſed hæ comparationes indicant Eccleſiæ Monarchicum Regnum: Ergo &c. Prob. Min. quia in Regno bene ordinato reperitur unicus duntaxat Rex; Et in Exercitu bene ordinato unus Supremus Dux; Et in Ovili unus Supremus Paſtor: Et in navi unus nauclerus primarius: Ergo &c. Præterea ſoli Petro tanquam primo poſt Chriſtum Monarchæ commiſſa eſt Eccleſia, ac ejus claves, & oves, per illa verba Scripturæ, *tu es Petrus.* Et *tibi dabo claves.* Et *paſce oves meas*: quæ verba indicant rurſus Monarchicam formam regiminis Eccleſiæ veræ DEI: Ergo &c.

4. Probatur *ſecundò*: primò vera Eccleſia DEI debet habere perfectiorem formam regiminis, cùm ſit à ſapientiſſimo, & perfectiſſimo inſtitutore ſcilicet Chriſto conſtituta: ſed Monarchia eſt perfectior cœteris forma regiminis: Ergo &c. Prob. Min. *primò* ex SS. PP. nam ita ſentiunt Juſtinus *in parenet. ad gentes.* Et Athanaſius *orat. adverſus idololatr.* Et Cyprianus *de idololat.* Prob. *Secundò* eadem Min. quia Monarchicam formam regiminis perfectiorem cœteris faciunt Plato *in polit.* Et Ariſtoteles 8. *Ethic. cap.* 10. Et Seneca *lib.* 2. *de benef.* ipſum etiam jus gentium, & humana conſuetudo: Ergo &c. Prob. *tertiò* eadem Min. perfectiùs eſt illud regimen, in quo meliùs ſervatur ordo; item conjunctio inter inferiores, & ſuperiores; item pax civium; item robur, & potentia Reipublicæ; item in quo major eſt facultas regendi: ſed hæc omnia perfectiùs reperiuntur in Monarchia: Ergo &c.

5. Probatur Min. primò *de Ordine*: quia hic Ordo in eo poſitus eſt, ut alii ſubjiciantur, alii præſint; neque enim inter pares talis Ordo ſervari poteſt: ſed in Monarchia, & quidem ſola, omnes talem Ordinem habent: cùm nemo ſit, qui non ſubjiciatur, præter Summum Pontificem; in Ariſtocratia autem optimates ſunt pares; & in Democratia omnes de populo ſunt pares: Ergo &c.

6. Secundò probatur *de Conjunctione, & pace Civium*, quæ eſt finis omnis boni regiminis: hæc enim conjunctio, & pax in eo ſita eſt, ut omnes idem ſentiant, idem velint, idem ſequantur: ſed hoc multò faciliùs fit, quando uni parendum eſt; quàm quando multis: vix enim fieri poteſt, ut multi, quorum unus ab alio non dependet, de iiſdem rebus eòdem modò judicent: Ergo &c.

7. Tertiò: *de potentia, & robore* patet: quia illa Reſpublica fit potentior, in qua eſt Ordo, Civium pax; ſed major eſt conjunctio, & ordo in Monarchia, ùt oſtendi: & quia experientia hoc docuit de quatuor potentiſſimis Imperiis Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, & Romanorum, quorum tria prima ſub Regibus ſemper creverunt, & floruerunt; Romanorum verò licèt longo tempore ſub populari dominatu creverit; nunquam tamen ita floruit, aut à ſeditionibus, & turbationibus liberum ſuit; aut vires ſuas ita extendit, ſicut ſub Auguſto Monarcha, & aliis ejus in Monarchia ſucceſſoribus: Ergo &c.

8. Quartò, *quòd ſit faciliùs Rempublicam regi ab uno, quàm multis*, etiam probatur: quia faciliùs eſt unum bonum reperire, quàm multos: *Secundò*: quia faciliùs, ùt dixi, paret populus uni, quàm multis: *Tertiò*: ubi multi ſunt, qui regunt, vix fieri poteſt, ut inde abſit ambitio, æmulatio, & contentio; ex quibus non raro accidit, ut alii alios impediant

in

in adminiſtratione Reipublicæ : Monarcha autem, qui non habet, cui invideat, aut cum quo de Imperio contendat, faciliùs moderatur : Ergo à primo ad ultimum, regimen Monarchicum eſt optimum.

9. Probatur *tertiò* : In populo electo Eccleſiæ veteris Teſtamenti fuit forma regiminis Monarchica : Ergo à fortiori eandem habere debet Eccleſia novi Teſtamenti. Prob. Ant. quia cœtus Judæorum primò ab uno Patriarcha gubernatus fuit, ùt tempore Abrahæ, Iſaac, & Jacob. Deinde vixit ſub uno Duce, ut tempore Moyſis, Joſue &c. Poſtea ſub uno Judice, ùt ſub Samſone, Samuele &c. Et demum ſub uno Rege, ùt ſub Saule, David &c. Et ſub uno Machabæo : Ergo &c. Accedit, quòd potentiſſima, & omnium florentiſſima quatuor Imperia mundi fuerint Monarchica; utique quia hæc forma regiminis eſt omnium aptiſſima, & nobiliſſima : Ergo &c.

10. Probatur *quartò* : In Eccleſia Angelorum in via fuit olim; & hodie in ſtatu eorum, eſt Monarchia; nam Lucifer ſecundùm SS. PP. fuit Princeps ſeu Monarcha eorum; cui poſtea ſucceſſit Michäel, utì liquet ex Apocal. 12. *cap.* Ergo pariter in Eccleſia militante hominum expedit eſſe Monarchiam principaliter.

11. Nota ſecundò : dixi *principaliter*; quia licet Monarchia in Eccleſia primum locum obtineat; attamen etiam de Ariſtocratia, & Democratia non nihil participat: unde quamvis Summus Pontifex Romanus ſit ejus Monarcha, & independens, ſeu nulli ſubiectus; comparitur tamen ſecum Patriarchas, & Epiſcopos, alioſque Paſtores in ſuis diœceſibus· qua ratione Eccleſia participat aliquid de Ariſtocratia. Præterea quia nulla dignitas præfata, vel aliæ ſunt hæreditariæ aliquibus pro ſucceſſionibus; ſed ex univerſis Eccleſiæ membris optimi eliguntur ad eas, etiam ſæpe infimæ nativitatis homines, ut ſic virtuti potiùs, quàm generi deferatur : & quia etiam in ipſa plebe Eccleſiæ ſunt certæ præfecturæ, ùt mox dicetur; ideo eadem Eccleſia participat aliquid de Democratia.

12. Nota tertiò : ut porrò magis appareat tota regiminis ordinatiſſimi Eccleſiæ veræ Catholicæ Romanæ forma, quatenus eſt monarchica; cum participatione tamen Ariſtocraticæ, & Democraticæ, cape ſequentem coördinationem ejus. *Primò* ſunt in Eccleſia Romana Laici fideles, in quibus ſunt viri, & fœminæ inſtar plebis, quæ & ſuo modo eſt regulata; nam in ea ſunt quædam ſodalitia, ſeu Confraternitates, religione ac pietate plenæ, quæ commendantur, & reguntur à ſuis Præfectis : Et ex iiſdem ſæpe aſſumuntur ſubjecta communis conditionis ad dignitates, & præfecturas Eccleſiaſticas; ut proinde Democratia in his appareat. Ad hoc populare regimen quoque pertinere cenſentur Moniales, Monachi, cum ſuis Præfectiſſis, & Præfectis : item Clerici ordinarii, inter quos digniori loco ſunt Parochi, ſeu Curati animarum, ac alii ſeniores Clerici, ac Canonici ; ex quibus omnibus reſultat aliqua ſpecies Democratiæ in Eccleſia. *Secundò* in eadem Eccleſia incipiunt altiùs attollere gradum Generales, Abbates, Præpoſiti, Epiſcopi, Archi-Epiſcopi, Primates, & Patriarchæ, qui ſunt Optimates, & Principes, proindeque formam aliquam Ariſtocraticam ingerunt. Eandem formam referunt, ſed altiori adhuc modo S. R. E. Cardinales, collaterales Summi Pontificis, qui purpuratum Senatum ejuſdem repræſentant : horum munus eſt Conſiliô, & operâ Monarcham Eccleſiæ adjuvare in adminiſtratione Eccleſiæ DEI, utì conſtat ex *cap. fundamenta §. decet, de Electon. in 6.* quas proinde Baldus *num. 3. ſtellas fixas* dixit, *quæ non moventur, niſi motu orbis.* Et propterea etiam vocantur coadjutores Papæ, *cap. per venerabile §. rationibus.* *Tertiò* tandem in throno, & ſummo faſtigio Eccleſiæ eſt ejus Monarcha, Summus ſcilicet Pontifex.

13. Objiciunt Calviniſtæ *primò* : Monarchia eſt regimen imperfectius Ariſtocratiâ, & Democratiâ ; quia ipſa ſæpe degenerat in tyrannidem ; nec relinquit locum aliis aſcendendi ad regimen : Ergo &c. *Secundò*: regimen Ariſtocraticum, & Democraticum eſt ſuavius, quàm Monarchicum ; nam unus facilè opprimit oneribus, legibus, & tributis ſubditos : utì patet de Saule, Roboam, Jeroboam, & aliis Regibus Iſraël, de Cæſare Tarquinio, &c. E contra quando Optimates regunt, præfata non fiunt ; unde ſunt tam laudibiles Reſpublicæ Athenienſium, Lacedæmoniorum, ac Romanorum, &c. *Tertiò* in S. Scriptura nullum eſt argumentum pro Monarchia ſacra ; bene autem pro Ariſtocratia, & Democratia : nam inter Angelos multi ſunt Principes : item Moyſes ſimul & Aaron præfuerunt ; item Summum Sacerdotium duas habuit familias : item Machabæi Fratres regentes erant multi : item multi ſunt orbes cœleſtes, & pro eis variæ Intelligentiæ : Ergo &c. *Quartò* Luc. 22. dicitur, *facta eſt contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major?* Dominus autem ait ad illos, *Reges dominantur eorum ; vos autem non ſic ;* quæ verba obſervans Calvinus ait, *hanc vanam eorum ambitionem*

bitionem ut compeſceret Dominus, eorum miniſterium non eſſe regnis ſimile, in quibus unus eminet, &c. Ergo &c. *Quintò* ad Epheſ 4. Apoſtolus delineans Eccleſiam dicit, *ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Paſtores, & Doctores*; & non dixit (ajunt Calviniſtæ) unum dedit Summum Pontificem, alios Cardinales, & Patriarchas; & Epiſcopos; & alios Parochos, &c. Ergo &c.

14. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. uti patet ex triplici ratione adducta *probat.* 2. ſupra. Ad rationem ejusdem Ant. dico, vitiô ſpeciali hominum contingere quandoque, ut Monarcha aliquis Tyrannus efficiatur: per quod tamen non infringitur perfectio intrinſeca regiminis Monarchici: ſicut quamvis contingat aliquem hominem egredi de Eccleſia, & effici hæreticum, non propterea imputari debet Eccleſiæ veræ aliqua imperfectio intrinſeca. *Ad ſecundum* Neg. quoque Ant. ad ejus Rationem, & exempla dico; ex illis ſolùm haberi, quòd aliquando vitiô particulari talis unius imperantis tributa exorbitantia imponantur, & leges duræ condantur, quibus ſubditi opprimuntur: hæc tamen vitia perſonalia Principum Supremorum non debent præjudicare ipſi Principatui Supremo, ſeu formæ regiminis. Exemplis etiam malorum Regum opponi poſſunt alii boni; ut Sauli David; Roboam Joſaphat; Jeroboam Ezechias; Cæſari Auguſtus, Tarquinio Trajanus, &c. Item Exemplis Rerumpubl. adductis objici poſſunt quoque tyrannides, oppreſſiones, & alii graviſſimi exceſſus, aliquando nati in Ariſtocratico earundem, & aliarum gubernio. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam quod Angelos attinet, inter eos Michaël eſt ſeptem Principum primorum primus, & Monarcha. Moyſes etiam, & Aaron non habebant ambo æqualem poteſtatem præfecturæ; ſed Moyſes erat Aaroni prælatus, & præfuit primariò ut Monarcha populi Iſraëlitici. Ex illis pariter duabus familiis Summi Sacerdotii, unus duntaxat ex alterutra præfuit: & ſi ſemel forſitan contigit, duos regnare Summos Pontifices, hic caſus rarus Monarchiam non evertit. Quamvis etiam plures eſſent fratres Machabæorum; unus tamen poſt alterum regnavit; nunquam ſimul duo æquali poteſtate; unde hoc exemplum favet Concluſioni Catholicæ, & non Calviniſtis. Similiter licèt plures ſint orbes cœleſtes, & plures Intelligentiæ; omnes tamen orbes in uno Supremo ultimi cœli ſeu primi mobilis includuntur, & ad ejus motum moventur ſimul; uti oſtendi in ſchola mea Philoſophica *tom. 2. tract. 2. diſp. 3.* Et una Intelligentia ſuprema reliquis præeſt: unde rurſus hoc exemplum favet Catholicæ concluſioni, ſupra datæ. *Ad Quartum* dico, ex cit textu Luc. 22. potiùs colligi Monarchiam Eccleſiæ; non enim dicit Chriſtus, vos non poſſidebitis ullô modô; ſed non ſic, uti Reges gentium; ſuperbè videlicet dominando: quare ibidem ſubjungitur, *qui inter vos major eſt* (Græcus legit *Dux*, & *Princeps*) *fiat ſicut minor. Ad Quintum* dico, quamvis in cit. textu ad Epheſ. 4. non ponatur expreſſis terminis ly *alium dedit Summum Pontificem*; id tamen ſub ly *dedit quoſdam Apoſtolos* comprehenditur; quia ſumma poteſtas Eccleſiaſtica data eſt S. Petro Apoſtolorum Principi, & ejus Succeſſoribus, qui ſunt Summi Pontifices, & Apoſtoli Principalis, ſcilicet D. Petri nomine veniunt; ut *ſequenti cap.* oſtendetur. Similiter dicendum, quòd ſub *Paſtorum*, & *Doctorum* nomine veniant Cardinales, Patriarchæ, Epiſcopi, & alii Paſtores gregis Dominici in Eccleſia vera DEI, & Chriſti Romana: ſicut contendunt Lutherani eorum nomine venire prædicautios; & Calviniſtæ ſuos Seniores, ac Miniſtros.

CAPUT VI.

De Primatu, & vero Capite Eccleſiæ veræ DEI.

ARTICULUS I.

An Chriſtus ſit caput Eccleſiæ veræ?

1. NOta primò: nomina *Capitis*, & *Primatis* Eccleſiæ hìc venit ſupremus Princeps, Monarcha univerſalis, gubernator, ac principalis Paſtor ejusdem, qui primatum gerit ſuper quoscunque alios ſubordinatos Optimates, Miniſtros, & Paſtores Eccleſiæ veræ DEI.

2. Dico primò: Chriſtus non ſolùm ut DEUS; ſed etiam ut homo eſt Caput totius veræ Eccleſiæ DEI, cum primatu ejusdem. Ita Catholici; contra Zwinglium, Whithacerum, & alios.

3. Probatur: S. Scriptura appellat Chriſtum indiſtinctè, ac ſimpliciter, & conſequenter etiam ſecundùm humanitatem, Caput

put

put, & Paſtorem Eccleſiæ cum dominio, & primatu ſuper eandem: unde de eo dicitur ad Ephes. 5. *quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus Caput eſt Eccleſiæ; ipſe ſalvator corporis ejus* Et ad Col. 1. *Et ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, ut ſit in omnibus ipſe primatum tenens*: ubi ly *primogenitus ex mortuis* indicat Chriſtum ut hominem tenere primatum, & eſſe Caput Eccleſiæ. Et ad Ephes. 1. *& ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus.* Et 1. Petri 2. *converſi eſtis ad Paſtorem, & Episcopum animarum veſtrarum*, ſcilicet Chriſtum: Ergo &c. Et ad Rom. 14. *in hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit* (ſcilicet ut homo) *ut & mortuorum, & vivorum dominetur.* Et 1. ad Cor. 11. *volo vos ſcire, quod omnis viri Caput Chriſtus eſt; Caput autem mulieris vir; Caput verò Chriſti DEUS*: quæ authoritas eſt clariſſimè loquens de ratione Capitis in Chriſto ùt homine: Ergo &c.

4. Dico ſecundò: Chriſtus adhuc in vita exiſtens fuit reverà Caput viſibile, Monarcha, & Primas Eccleſiæ veræ DEI. Ita Catholici; contra quoſdam Novatores docentes Chriſtum poſt aſcenſionem ſuam cæpiſſe eſſe Caput Eccleſiæ.

5. Probatur: Chriſtus adhuc in vita exiſtens viſibiliter fundavit Eccleſiam ſuam; & in ea exercuit viſibiliter officium ſupremi Capitis, Monarchæ, & Primatis Eccleſiæ, viſibiliter ordinando Apoſtolos in Epiſcopos; item viſibiliter inſtituendo Sacramenta nova; viſibiliter conſtituendo novum Sacrificium, & Sacerdotium; viſibiliter condendo novum Teſtamentum, & Leges: & ante aſcenſionem ſuam dedit Apoſtolis poteſtatem remittendi peccata, dicendo, *accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Et conſtituit Petrum Caput, ac Paſtorem Supremum poſt ſe: Ergo Chriſtus adhuc in vita exiſtens fuit revera viſibile Caput, Monarcha, & Primas Eccleſiæ veræ DEI.

6. Objiciunt Hæretici *primò*: in S. Scriptura Chriſtus non dixit, *ſuper hanc petram ædifico*; ſed *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, volens per hoc indicare, ſe primò poſt aſcenſionem ſuam per Apoſtolos fundaturum Eccleſiam ſuam, cujus ipſe ſit futurum Caput: Ergo &c. *Secundò* Iſai. 23. dicitur, *pro eo, quod laboravit anima ejus, videbit ſemen longævum*; id eſt (ut interpretatur quidam Marcus Antonius famoſus Hæreticus) quia anima Chriſti fuit afflicta in Paſſione, videbit Eccleſiam ſuam fundari per Apoſtolos, & diu durare: Ergo &c. *Tertiò*: communiter docetur à SS. PP. & Theologis Catholicis, quòd Eccleſia fluxerit de latere Chriſti: Ergo Chriſtus primò poſt mortem effectus eſt Caput ſuæ Eccleſiæ. *Quartò* ad Ephes. 1. dicitur, *ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus ſuper omnem principatum, & poteſtatem. Et omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, & ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt Corpus ejus*: Ergo Chriſtus primò poſt collocationem ſuam ad dexteram, ſeu poſt aſcenſionem factus eſt Caput Eccleſiæ.

7. Reſpondeo *ad Primum*: & nego ſenſum illius Scripturæ eſſe illum, quem proferunt Hæretici; ſed verus ejus intellectus eſt, quòd Chriſtus ſuam Eccleſiam jam à ſe fundatam, & gubernatam per Apoſtolos velit propagare magìs, & ſolidare in petra Apoſtolica ſcilicet D. Petro, ſuo ſucceſſore & Capite Vicariali viſibili ejusdem. *Ad ſecundum* dico, illum paſſum Scripturæ ſic debere legi, *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum*; & ejus genuina interpretatio eſt, ſi Chriſtus fuerit mortuus pro peccato humani generis, videbit multos Filios, quos acquirit ſibi per meritum ſuæ Paſſionis, tum ex gentilibus, tum ex Judæis. *Ad Tertium gloſſo* illud dictum comūne SS. PP. & Theologorum, & dico, eô non ſignificari, quòd Eccleſia propriè fluxerit de latere Chriſti jam crucifixi & mortui; ſed quòd Symbolicè, & meritoriè ex eo prodierit: Symbolicè quidem, quia de latere Chriſti crucifixi fluxit aqua & ſangvis, quæ ſunt ſigna & Symbola ſignificantia duo Sacramenta Eccleſiæ, ſcilicet Baptiſmum, & Euchariſtiam: meritoriè verò; quia præfata duo Symbola, ſeu Sacramenta totam ſuam efficacitatem, & vim ſortiuntur à merito Paſſionis, & mortis Chriſti. Et ita gloſſant hunc paſſum Scripturæ Cyrillus *lib. 12. in Joan. cap. 39.* Et Chryſoſtomus *hom. 84. in Joan. &c.* *Ad Quartum* gloſſo illam Scripturam ad Ephes. 1. & dico, ex illo tantùm haberi, quòd Pater æternus poſt aſcenſionem Chriſti magìs manifeſtaverit, exaltaverit, & glorificaverit eundem filium ſuum, collocando ipſum ad dexteram ſuam, ut ſic agnoſceretur, & honoraretur ab omnibus tanquam Caput Eccleſiæ, quod prius in vita mortali degens, etſi fuerit verum Caput ejus, habebatur tamen abjectum, & contemptibile, juxta illud Pſalm. 21. *ego autem ſum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio plebis,*

8. Dico tertiò: Chriſtus defactò manet Caput Eccleſiæ; ſed inviſibile duntaxat. Ita Catholici; contra quosdam Novatores, ſurripientes Chriſto in Cælis conſtituto omnem rationem Capitis Eccleſiæ. Prima pars hujus Concluſionis patet ex illis textibus Scripturæ, ſupra pro *Conclus. 1.* relatis.

9. Probatur ſecunda: Chriſtus defacto non gubernat ampliùs Eccleſiam modô viſibili, & ſecundùm externam directionem; ſed inviſibili tantùm, qui conſiſtit in influxu gratiæ: ſicut enim Caput humanum in reliqua membra derivat ſpiritus ſenſitivos, in ordine ad conſervandam vitam eorundem, exercendas functiones: ita Chriſtus quà Caput inviſibile Eccleſiæ in eam derivat gratias neceſſarias pro ejusdem conſervatione; & quidem dupliciter, quà DEUS effectivè & phyſicè; quà homo verò moraliter, & meritoriè: Ergo Chriſtus defacto eſt Caput inviſibile tantùm Eccleſiæ.

ARTICULUS II.

An in Eccleſia vera DEI & Chriſti quovis tempore debeat eſſe Caput aliquod Viſibile?

1. DIco primò: debet in vera Eccleſia DEI, & Chriſti, omni tempore eſſe aliquod Caput viſibile, & Vicariale Chriſti, quod ſuppleat vices ejus quoad externam directionem, & gubernationem. Ita Catholici; contra Calviniſtas, Presbyterum Marc. Antonium, & alios Novatores.

2. Probari poteſt *primò* hæc Concluſio, omnibus argumentis ſupra *cap. 5.* relatis pro Monarchia Eccleſiæ. *Secundò* Eccleſia vera DEI primitùs inſtituta fuit cum uno viſibili Capite; nam ipſemet Chriſtus in vita exiſtens fuit ejus Caput viſibile; ut *priori art. concluſ. 2.* oſtenſum eſt: Ergo eadem omni tempore deinceps debet habere Caput aliquod viſibile. *Tertiò*, conſtitutio Capitis viſibilis eſt ſummoperè neceſſaria Eccleſiæ pro felici externa ejus directione, & gubernatione ordinata; & propterea etiam jam in Synagoga veteris Teſtamenti (quæ fuit umbra, ſeu typus Eccleſiæ Novi Teſtamenti) ſemper unum tale viſibile Caput gubernabat; utì conſtat ex Exodo, Levitico, Deuteronomio, &c. Ergo &c. Ant. patet, nam (ut alias neceſſitates taceam) ſi emergant controverſiæ Fidei, aut aliæ difficultates, & reformationes neceſſariæ morum in Eccleſia, Caput viſibile ejus poteſt indicere Concilium generale, & convocare univerſos Paſtores majores, Epiſcopos, Patriarchas, Primates, & alios Præſules Eccleſiarum particularium; cui obedient; non autem alteri æquali: Ergo &c.

3. Objiciunt Hæretici *primò*: SS. PP. aſſerunt, ſolum Chriſtum eſſe Caput Eccleſiæ; ut Gregorius *in Pſal. 5. pœnitentialem.* Et Chryſoſtomus *hom. 11.* Et Auguſtinus *lib. de unit. Eccleſ. cap. 2.* Ergo &c. *Secundò* S. Scriptura ad Hebr. 7. & alibi dicit, Chriſtum eſſe Eccleſiæ Sacerdotem in æternum: Ergo non eget ullô Vicariô, ſeu Capite ſubſtituto Sum. Pontifice. *Tertiò* ad Rom. 12. dicitur, *multi unum corpus ſumus in Chriſto; ſinguli autem alter alterius membra*: ubi ſolus Chriſtus aſſeritur Caput Eccleſiæ; & inter membra ejus includuntur omnes Fideles, etiam Petrus, & quiſque Pontifex Summus, qui pro tempore ſe Caput facit.

4. Reſpondeo *ad Primum*: SS. PP. loqui de Chriſto quatenus eſt Caput Eccleſiæ inviſibile, & per influxum gratiarum ſeu donorum DEI; quo ſenſu is ſolus eſt Caput Eccleſiæ militantis. Cum quo ſtat, quòd eadem Eccleſia habeat aliud quoque Caput viſibile, & vicariale quoad directionem, & gubernationem ejus externam. Ex quo tamen non ſequitur (utì replicant Antagoniſtæ) Eccleſiam eſſe monſtruoſam, eò quòd eſſet biceps, ſeu habens duo Capita. Nam quando duo Capita ſibi ſunt ſubordinata, & alterius rationis; ſicut eſt in propoſito, ubi Chriſtus eſt Caput primarium & inviſibile; & Vicarius Chriſti eſt Caput ſecundarium, & viſibile, tunc nil monſtruoſitatis afferunt; ſicut quando aliquis Rex egreſſurus regnum conſtituit Proregem, quo caſu ſunt duo Capita regni primarium Rex, & ſecundarium Prorex. *Ad ſecundum* Neg. Conſeq. & dico illam Scripturam velle duntaxat indicare differentiam Chriſti ùt Sacerdotis, à Pontifice veteris Teſtamenti; eò quòd ille eſſet mortalis, & propterea in caſu mortis egeret ſucceſſore; quod non contingit in Chriſto, qui eſt Pontifex immortalis poſthac, & propterea nullo indiget ſucceſſore (id eſt tali, qui ſuccedit in eandem prorſus poteſtatem ordinariam, & parem; ſicut Rex Regi ſuccedit) cum quo ſtat, quòd egeat Vicario, & miniſtro; qualis fuit S. Petrus, & hodie eſt omnis Pontifex; qui tamen habeat poteſtatem à Chriſto delegatam, & regat Eccleſiam tantùm quoad gubernationem exteriorem; non quoad influxum gratiæ, utì facit Chriſtus. *Ad Tertium* dico, quòd rurſus hæc Scriptura ad Rom. 12. loquatur de Chriſto ut Capite ſecundùm influ-

xum

xum gratiarum; quo ſenſu S. Petus, & omnes poſt eum Pontifices ſunt membra, & non Caput: omnes enim accipiunt gratiam à Chriſto ùt Capite. Cum quo ſtat, quòd Petrus, & alii Pontifices ſint Caput Eccleſiæ, & non membra, ſecundùm externam gubernationem.

ARTICULUS III.

De Primatu D. Petri ſuper univerſam Eccleſiam.

1. DIco primò: D. Petrus obtinuit poſt Chriſtum Primatum ſuper univerſam Eccleſiam militantem; unde fuit ejuſdem Caput viſibile, & Vicarius Chriſti, quoad juriſdictionem, externam gubernationem, & Eccleſiaſticum regimen. Ita Catholici; contra Huſſitas, Calviniſtas, Luthetanos, Eccleſiam Anglicanam, &c.

2. Probatur *primò* ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claves Regni cœlorum*; quibus verbis ſub duabus Metaphoris promittitur Petro Eccleſiæ Principatus; quod enim eſt in ædificio fundamentum; idem eſt in corpore Caput, in civitate Rector, in Regno Rex, utpote cui traduntur claves Civitatis; illud idem dicitur eſſe Petrus in Eccleſia: & ita intellexerunt hunc locum omnes SS. PP. Latini, & Græci. Unde Concilium Chalcedonenſe vocat Petrum, *Petram, & Crepidinem Eccleſiæ Catholicæ.* Et S. Athan. *Epiſt. ad Felicem*; *Tu es Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ* (id eſt Epiſcopi) *ſunt confirmata.* Et S. Nazianzenus *in quadam Oratione* ait, *Petrus, Petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamentum, Fidei ſua credita habet.* Et Auguſt. *ſerm. 15. de Sanctis* dicit *Petrum itaque fundamentum Eccleſiæ Dominus nominavit; & ideo dignè fundamentum hoc Eccleſia colit, ſupra quod Eccleſiaſtici ædificii altitudo conſurgit.* Similiter loquitur S. Hieronymus *in cap. 16. Matth.* Theophil. *in c. 22. Lucæ.* Chryſoſt. *hom. 5. in Matth.* & alii: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò*: Apud Joan. 21. poſtquam Dominus Petrum ter interrogâſſet. *Simon Joannis diligis me plus his?* & Petrus reſpondiſſet; *Tu ſcis, quia amo te*; dicit Dominus; *Paſce agnos meos*; quô repetitô, tandem dixit; *Paſce oves meas*; ubi per ly *paſce* ex communi uſu loquentium intelligitur omnis actus paſtoralis; id eſt non ſolùm præſtare cibum: ſed etiam ducere, reducere paſcere, tueri, regere, errantem corrigere, &c. Et per ly *oves meas* intellexit Chriſtus totum in terris, & unicum ovile ſuum: & quia in ovili ſunt oves magnæ, & parvæ, agni & matres; ideo Chriſtus volens omnes complecti dixit Petro primò; *Paſce agnos meos*, id eſt inferiores Fideles; deinde *Paſce oves meas*, id eſt Epiſcopos, & Paſtores, qui agnos iſtos pepererunt. Et ita hunc locum intellexêrunt omnes SS. PP. quos adducit fuſè Bellarminus hìc; ſufficiat unicus S. Leo *ſerm. 3. de anniverſario ſuæ aſſumpt.* dicens, *Unus de toto mundo Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocatione, & omnibus Apoſtolis, cunctíſque Eccleſiæ Patribus præponitur; ut quamvis in populo DEI multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores; omnes propriè regat Petrus, quos principaliter & regit Chriſtus*: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò* ex prærogativis Petri; nam *primò* ſoli ipſi Chriſtus mutavit nomen ex Simone in Cepham, ſeu Petrum: DEUS autem ùt notat Origenes, non ſolet imponere nova nomina; niſi ob maximas cauſas, & ad deſignanda maxima privilegia. *Secundò*: Petrus ſemper primô locô ponitur, dum Apoſtoli numerantur. *Tertiò*: ſolus Petrus ſuper aquas graditur, Matth. 14. *& ſuper aquas natat, ad ſignificandum*, ùt ait Bernardus *lib. 2. de conſiderat. unicum ſe eſſe Chriſti Vicarium, qui non unico populo; ſed cunctis præeſſe deberet; ſiquidem aquæ multæ populi multi. Quartò*; Cœleſtis Pater ſoli Petro revelavit, Chriſtum eſſe Filium DEI vivi; unde & audire meruit; *Tu es Petrus, &c. Quintò*: pro ſolo Petro ſolvit Chriſtus tributum, teſte Matthæo. *Sextò*; ſoli Petro inter Apoſtolos dictum eſt; *Simon rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos*: ſolique Petro, & Eccleſiæ ei commiſſæ dictum eſt, Matth. 16. *& portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*; hanc promiſſionem ſi habuiſſent cœteri, adhuc ſtaret Jacobi Hieroſolymis ſedes; Joannis in Epheſo; Matthæi in Æthiopia; Andreæ in Scithia; quas tamen conſtat, jam lapſas, & ſolam Petri adhuc immobiliter ſtare. *Septimò*; Chriſtus reſurgens primo omnium ex Apoſtolis apparuit Petro. *Octavò*; Petrus primus fuit, cui Dominus pedes lavit. *Nonò*; ſoli Petro mortem prædixit; & quidem mortem Crucis. *Decimò*; Petrus *Act. 1.* Cœtum diſcipulorum convocat, unúmque eligendum locô Judæ docet. *Undecimò*; Poſt acceptum Spiritum Sanctum, S. Petrus omnium primus promulgat Evangelium, & in prima Concione 3000. hominum conver-

tit, Act. 2. *Duodecimò*; Petrus omnium primus miraculum edidit in confirmationem Fidei, Act. 3. *Decimò tertiò*; In Concilio Apoſtolorum, habito Hieroſolymis, Act. 15. Petrus loquitur primò; & ſententiam ejus Jacobus, aliique omnes approbant. *Decimò quartò*; Paulus ad Gal. 1. *Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum*; unde Chryſoſtomus: *Os, inquit, Apoſtolorum erat, & Princeps; propterea & Paulus eum propter alios viros viſuros viſurus aſcendit*. Ex quibus, & aliis multis prærogativis, quas congerit Bellarminus, ſatis colligitur, Petrum cœteris omnibus Apoſtolis prælatum eſſe à Chriſto; & ſuper univerſam Eccleſiam conſtitutum.

5. Probatur *quartò*: omnes SS. PP. tam Græci, quàm Latini adſcribunt D. Petro Primatum, & rationem Capitis viſibilis, ac Vicariatûs ſuper univerſam Eccleſiam militantem, quem poſt Chriſtum obtinuit; ſic ex Græcis facit Clemens Romanus in *epiſt. ad Jacob.* Et Dionyſius *lib. de Divin. nomin.* Et Euſebius Alexandrinus *hom. de reſurrect.* Petrus Alexandrinus, Athanaſius, Theophilactus, Baſilius, Cyrillus Alexand. Gregorius Nazianz. & alii relati à Wetweiſ. Ex Latinis verò Tertullianus *de præſcript. hæret. cap. 22.* Cyprianus *epiſt. 40.* Ambroſius *ad 24. Lucæ.* Hieronymus *epiſt. 54. ad Marcellam.* Auguſtinus *tract. 56. in Joan.* Optatus Milevitanus, Pacianus, &c. Et propterea idem S. Petrus ab iiſdem Patribus accepit nomina varia, ejus Primatum exprimentia; ita ut ab Auguſtino vocetur *Caput Fidelium*, & *Paſtor gregis Dominici*: ab Iſidoro *anteſignanus Apoſtolorum*: à Cyrillo Alex. *Apex Apoſtolorum*: ab Origine *Vertex Apoſtolorum*: ab Ephrem. Syro *Princeps Eccleſiæ Chriſtianorum*: ab Eucherio Lugdun. *Paſtor paſtorum, &c.* Ergo &c.

6. Objiciunt Calviniſtæ *primò*: 1. ad Cor. 3. dicitur, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter illud quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus*: Ergo Chriſtus eſt illa fundamentalis petra, ſupra quam ædificata eſt Eccleſia; & non Petrus; adeóque Primatus Petri ſuper Eccleſiam non bene deducitur ex illo Matth. 16. ſupra à Catholicis producto pro Petri Primatu. *Secundò*; Auguſtinus *lib. 1. retract. cap. 21.* pariter per petram, ſuper quam Eccleſia conſtructa eſt, intelligit Chriſtum: Ergo &c. *Tertiò*: Chriſtus Petrum appellat Sathanam, Matth. 16. Ergo non eſt credibile, quòd eum conſtituerit Vicarium ſuæ Eccleſiæ. *Quartò*: ſicut Petro promiſſæ ſunt claves per illa verba Matth. 16. *Tibi dabo claves*, quibus Catholici ſtabiliunt ejus Primatum: ita pariter aliis Apoſtolis per illa alia verba Matth. 18. *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis*: ſed alii Apoſtoli non habuerunt Primatum Eccleſiæ: Ergo nec Petrus. *Quintò*: Paulus Apoſtolus non agnoſcit ullam ſubjectionem ad Petrum Apoſtolum; ſicut conſtat ex illo ad Galat. 2. ubi loquitur de Petro, Jacobo, & Joanne, *quibus nec ad horam ceſſimus ſubjectione*: Ergo Petrus reſpectu Pauli (& idem dicendum de aliis Apoſtolis) non habuit Primatum. *Sextò*: Hieroſolyma eſt Mater omnium Eccleſiarum; illi autem non præfuit Petrus, ſed Jacobus: Ergo Petrus non fuit Primas omnium Eccleſiarum.

7. Reſpondeo *ad Primum*; illam Scripturam 1. ad Cor. 3. loqui de fundamento primario Eccleſiæ; quod concedunt Catholici eſſe Chriſtum; uti & petram fundamentalem primariam, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia primariò: cum quo tamen ſtat, quòd Petrus, & alii Apoſtoli etiam ſint fundamentum ſecundarium Eccleſiæ; uti de eis dicit alia Scriptura ibi, *ædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum*; quæ ratio fundamenti ſecundarii non impedit, quo minùs Petrus Apoſtolus adhuc dicatur poſt Chriſtum tanquam primarium fundamentum tenere Primatum Eccleſiæ; ſicque ille textus Matth. 16. *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam* rectè adhuc producitur à Catholicis pro Primatu S. Petri. *Ad ſecundum* eôdem modô intelligendus eſt D. Auguſtinus *cit. lib. 1. retract. cap. 21.* ùt loquatur de Petra primaria. *Ad Tertium* dico, quòd Chriſtus Petrum non appellaverit Sathanam, prout hic terminus accipitur pro Diabolo; ſed pro adverſario; eò quòd Petrus adverſaretur ex infirmitate humana Chriſti Paſſioni; ſuadendo, ne aſcenderet Hieroſolymam. Cum quo bene cohæret, quòd Petrus poſtea conſtitutus fuerit ejus Vicarius, cum Primatu ſupra Eccleſiam. *Ad Quartum* Diſt. Maj. ſicut Petro; ita & aliis Apoſtolis collatæ ſunt claves, eôdem modô Neg. Maj. diverſô modô Conc. Maj. Itaque Petro collatæ ſunt claves tanquam Ordinario, & ſupremo Rectori, Monarchæ, ac Primati Eccleſiæ: aliis autem Apoſtolis tanquam Legatis tantùm; unde ultra ea, in quibus vel promittuntur, vel conferuntur claves omnibus Apoſtolis indifferenter, ſingulariter adhuc promittuntur, & conferuntur Petro his verbis, *tibi dabo claves*. Et illis aliis, *paſce oves meas*. *Ad Quintum* Neg. Ant. & ad Scripturam ad Gal. 2. dico, S. Paulum non loqui ibi de Petro, Jacobo, & Joanne; ſed de quibusdam Pſeudo-Apoſtolis æmulis Pauli, qui jactabant Petrum, & Joannem ab ipſomet Chriſto eſſe edoctos, & accepiſſe Evangelium;

um; Paulum verò non; adeóque illorum Evangelium eſſe verius, quàm Evangelium Pauli: quod quia falſum eſt, ideo D. Paulus dicit, quòd his Pſeudo-Apoſtolis nec ad horam ceſſerit ſubjectione; cùm ſuum Evangelium ſit æquè verum, ac Divinum, ſicut aliorum trium memoratorum Apoſtolorum; utpote Paulo ab ipſomet Chriſto revelatum. *Ad ſextum* dico, Hieroſolymam ideo tantùm appellari *Matrem omnium Eccleſiarum*, quia eſt omnium antiquiſſima Eccleſia; & quia Chriſtus in ea ſedit. Non autem quòd ejus Epiſcopus ipſo facto ſit Vacarius Chriſti in terris; & ipſa ſit ſedes ſtabilis verorum Vicariorum Chriſti in Eccleſia militante: nam Hieroſolyma indignam ſe reddidit hujus prærogativæ; quia in ea occiſus eſt Chriſtus. Aliunde etiam decuit, ut ipſa non eſſet talis ſedes; quia cùm per Chriſti adventum Lex vetus fuerit evacuata ac mutata, conveniens erat, ut & locus Summi Pontificis mutaretur: unde in Concilio Nicæno Epiſcopo Hieroſolymitano quartus locus inter Patriarchas aſſignatur.

8. Objiciunt rurſus alii Hæretici *primò*: Apoſtolus Paulus in faciem reſtitit Petro; quia, ùt ait Scriptura, *reprehenſibilis erat*: Ergo Petrus non fuit Caput Eccleſiæ cum Primatu ſuper omnes Apoſtolos; aliàs Paulus fuiſſet temerarius ſic reſiſtendo Capiti Eccleſiæ. *Secundò*: Petrus nunquam ſolus exercuit Primatum; uti patet ex Actibus Apoſtol. unde ibidem *cap. 6.* non ſolus Petrus; ſed alii etiam Apoſtoli inſtituerunt primos Diaconos. Et *cap. 8.* Apoſtoli miſerunt Petrum, & Joannem in Samariam. Et *cap. 15.* Paulus, & Barnabas quæſtiones de circumciſione, non ad ſolum Petrum; ſed ad omnes Apoſtolos deferunt: Ergo &c. *Tertiò*: Chriſtus ſuam Eccleſiam æqualiter commendavit omnibus Apoſtolis, & non magìs Petro, quàm aliis, per illa verba *ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos.* Et illa *euntes docete omnes gentes.* Item æquè omnibus Apoſtolis miſit Spiritum S. in die Pentecoſtes, ac inſtruxit: unde attendens Cyprianus hanc æqualitatem *in tract. de ſimplic. Prælat. ſeu unit. Eccleſ.* dicit, *hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortiô præditi, & honoris & poteſtatis; ſed exordium ab unitate proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur*: Ergo &c. *Quartò*: Spiritus S. eſt Caput, & Vicarius Chriſti in terris perpetuus in regimine Eccleſiæ, juxta illud Joan. 14. *Paraclytus autem Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c.*

Reſpondeo *ad Primum*: ex tali reſiſtentia Pauli facta Petro non rectè infringi Petri Primatum, nec temeritatis arguendus eſt Paulus; ſicut non infringitur Primatus regni David, nec temeritatis arguitur Joab, eò quod 2. Reg. 19. David fuerit reprehenſus à Joab. Itaque Paulus ideo reſtitit Petro, eúmque reprehendit, quia Petrus erraverat, non quidem in aliquo articulo Fidei; quia in tali errare non potuit, juxta illam Domini promiſſionem, *rogavi pro te Petre, ut non deficiat Fides tua*: ſed quia erravit in facto, incautè ſimulando Judaiſmum, cum aliquali ſcandalo, & offenſione gentilium. Ex qua reprehenſione docent SS. PP. ſuperiores poſſe corrigi ab inferioribus, quando hoc fit cum debita humilitate, & charitate, vel bono zelo; utì fecit Paulus ad tollendum ſcandalum, ortum ex ſimulatione Petri; ita diſcurrit Auguſtinus *epiſt. 19. ad Hieronymum.* Et Cyprianus *epiſt. ad Quirinum de hæret. rebapt.* *Ad ſecundum* Neg. Ant. nam Petrus (utì patet ex iiſdem *Act. Apoſtol.*) convocavit Diſcipulos ad electionem novi Apoſtoli; item ipſe primus promulgavit Evangelium Hieroſolymæ; item primus prædicavit Gentibus; item primus ſententiam dedit in Concilio Hieroſolymitano; quæ omnia probant, Petrum reverà ſolum exercuiſſe Primatum Eccleſiæ. Ad Exempla Scripturæ in contrarium adducta, ad primum dico; quamvis Primas Eccleſiæ aliquos actus jnriſdictionis exerceat ſimul cum ſuis ſubordinatis Miniſtris; utì fecit Petrus cum illa inſtitutione Diaconorum; non ſequitur, eum propterea non eſſe Primatem; ſicut etſi Imperator cum ſuis Conſiliariis aliqua concludat in Imperio, non ſequitur, eum non eſſe Imperatorem: nam ut Petrus dicatur verus Primas Eccleſiæ, ſufficit, quòd poſſit tales actus ſolus exercere; aut aliquos exerceat independenter ab aliis Apoſtolis. Ad ſecundum exemplum dico, ſi Petrus ex imperio aliorum Apoſtolorum fuiſſet miſſus in Samariam, utique ejus Primatus infringeretur: nunc autem ex ſola directione, conſilio, & conſenſu tantùm aliorum Apoſtolorum eò miſſus eſt; quô modô aliquando Conſiliarii mitttunt Regem ad bellum. Ad tertium exemplum dico, illas quæſtiones de circumciſione ideo fuiſſe potiùs ad Concilium Apoſtolorum miſſas, quàm ad ſolum Petrum, ut earum deciſio fieret cum majori partium ſatisfactione; quæ faciliùs acquieſcunt, quando conſtat, controverſiam communi Eccleſiæ conſenſu deciſam eſſe. Cæterùm poterant tales quæſtiones etiam deferri ad ſolum Petrum ut Sum. Pontificem Eccleſiæ; unde per earum delationem non fuit præjudicatum

Primatui Petri; ſicut nec præjudicatur Primatui Regis alicujus, ſi contrverſiæ aliquæ ad ejus regium Senatum deferantur præſente Rege. *Ad Tertium* Neg. Ant. quia ſoli Petro dixit Chriſtus, *paſce oves meas*, quibus verbis paſtura ovium, & jurisdictio, ſeu regimen ſupremum Ecclesiaſticum ſoli Petro confertur. Itaque Apoſtolis aliis etiam Eccleſia eſt commendata, ut eam ulteriùs fundent, augendo, & dilatando per prædicationem ad omnes gentes; non tamen jurisdictio ſumma in eandem. Ex illa verò miſſione Spiritûs Sancti ad omnes Apoſtolos ſolùm habetur, quòd omnes Apoſtoli fuerint æqualiter Sancti, & debitè inſtructi pro prædicando, & dilatando S. Evangelio; non autem, quòd omnes fuerint æqualis jurisdictionis, & poteſtatis ſupremæ circa gubernium Eccleſiæ. Et in hoc ſenſu procedit etiam dictum Cypriani allegatum. *Ad Quartum* Neg. Ant. & ad Scripturam Joa. 14. dico, ex illo tantùm haberi, quòd Spiritus S. ſit perpetuus Doctor, illuminator, & inſtructor Eccleſiæ circa res fidei ritè intelligendas, & decidendas ad mentem Chriſti, Capitis inviſibilis Eccleſiæ: non autem Vicarius ejus, quoad regimen externum Eccleſiaſticum.

ARTICULUS IV.

De Primatu Romani Pontificis ſuper totam Eccleſiam militantem; & ejus ſucceſſione vera in Cathedra D. Petri.

1. DIco primò: quivis Romanus Pontifex legitimè electus, obtinet Primatum ſuper univerſiam Eccleſiam veram militantem; éſtque verus D. Petri Succeſſor in cathedra, & officio paſtorali univerſali ejusdem. Ita Catholici; contra Græcos, Wiclephiſtas, Huſſitas, Veſſalianos, Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas, Anglicanam Eccleſiam, &c.

2. Probatur *primò*: omnia Concilia OEcumenica veræ Eccleſiæ militantis in Romano Pontifice canonicè electo conſtanter agnoverunt Primatum ejus ſuper eandem Eccleſiam univerſam, ad ſucceſſionem ejusdem in Cathedra, & paſtorali Univerſali Officio D. Petri: Unde & in iiſdem præſiderunt Legati Pontificis Romani; videlicet in Nicæno Hoſius Epiſcopus Cordubenſis; in Epheſino Cœcilius Alexandrinus Epiſcopus; in Chalcedonenſi Paſchaſinus Lilibetanus Epiſcopus, & Lucentius Epiſcopus Eſculanus, & Bonifacius Presbyter Romanus; & ſic de aliis; ùt videre eſt in actis, & ſubſcriptionibus Conciliorum: Ergo &c. Præterea quòd eadem Concilia uno ore profeſſa ſint Primatum in Romano Pontifice patet ex eorum dictis conciliaribus; nam Concilium OEcumenicum Nicænum I. dicit can. 39. *ille qui tenet Sedem Romæ, Caput & Princeps eſt omnium Patriarcharum; quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus.* Et rurſus *can. 6.* qui recitatur in Concilio OEcumenico Chalcedonenſi *act. 6. Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.* Et propterea iſto canone in cit. Concil. Calcedonenſi recitato Patres exclamarunt, *perpendimus omnem primatum, & honorem præcipuum ſecundùm canones antiquæ Romæ DEO amantiſſimo Archi-Epiſcopo conſervari, &c.* Et Cuncilium Generale Epheſinum I. de Romano pontifice Cœleſtino ait, *hujus itaque* (id eſt D. Petri) *ſecundùm Ordinem Succeſſor; & locum tenens, S. Beatiſſimúsque Papa noſter Cœleſtinus Epiſcopus, &c.* Et PP. Concilii Generalis Conſtantinopolitani I. *in epiſt. ad Damaſum* dicunt, ſe conveniſſe Conſtantinopoli ex mandato litterarum Romani Pontificis (quod Primatum ejus ſignat) & profitentur ibidem, *Romanam Eccleſiam Caput eſſe* (en Primatum Romanum, (*ſéque membra.* Et Concilium Generale Chalcedonenſe *act.* 1. 2. & 3. Leonem Romanum Papam vocat *Univerſalis Eccleſiæ Pontificem.* Et VI. Synodus Generalis Agathonem pariter Romanum Pontificem appellat, *Summi Apoſtolorum Principis Succeſſorem.* Et Lugdunenſe OEcumenicum Concilium, utì refertur *cap. ubi periculum, de electiòn.* eundem Pontificem Romanum nominat, *Vicarium JESU Chriſti, Succeſſorem Petri, & Rectorem univerſalis Eccleſiæ.* Et his ſimilia, ac alia epiteta, Primatum Romani Pontificis canonicè electi, ac ſucceſſionis ejus in Cathedra D. Petri indicantia, proferunt alia quoque OEcumenica Concilia; utì patet ex actionibus, decretis, & canonibus eorundem: Ergo &c.

3 Probatur *ſecundò*: SS. quoque Patres Græci, & Latini primitivæ Eccleſiæ attribuunt Romano Pontifici canonicè electo Primatum, principalitatem, & ſummitatem ſuper univerſam Eccleſiam militantem: Ergo &c. Prob. Ant. nam ex Græcis dicit Irenæus An. 180. *lib. 3. cap. 3. ad hanc enim Eccleſiam* (loquitur de Romana) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam &c.* Et S. Athanaſius Alexandrinus *epiſt. ad Felicem Papam Romanum* ſcribit, *præfatam* (ſcilicet Romanam) *Apoſtolicam, & ſummam expetimus*

petimus juxta Canonum Decreta Sedem &c. Et ibidem, *ob id vos, prædeceſſoréſque veſtros, Apoſtolicos videlicet Præſules in ſummitatis arce conſtituit, omniúmque Eccleſiarum curam habere præcepit &c.* Et Cyrillus *lib. Theſ.* dicit, *debemus nos, ut qui membra ſumus, Capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ Sedi adhærere.* Et S. Auguſtinus *epiſt. 165.* & *epiſt. 162.* ibi, *in Romana Eccleſia, ſemper Apoſtolicæ Cathedræ authoritas &c.* Idem faciunt S. Epiphanius *hær. 68.* Et Theodoretus *in epiſt. ad Leonem Romanum Pontificem.* Et Chryſoſtomus *in epiſt. ad Innocentium Rom. Papam.* Et S. Baſilius Magnus *in epiſt. 52. ad Athanaſ.* Ex Latinis verò Patribus, Optatus Milevitanus *lib. contra Parm.* eundem agnoſcit in Romano Pontifice Primatum Univerſalis Eccleſiæ. Idem facit S. Hieronymus *epiſt. 57. ad Damaſum Papam.* Et S. Proſper. *lib. 6.* Et Stephanus Mauritaniæ Epiſcopus *epiſt. ad Damaſum Papam.* Et S. Ambroſius *in cap. 3. epiſt. 1. ad Timoth.* Et S. Leo *ſerm. 2. de anniverſ. aſſumpt. ſuæ*: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò*: Romani Pontifices ſemper authoritatem, Primatum univerſalis Eccleſiæ indicantem inconcuſsè, & legitimè exercuerunt in alios quoſvis Epiſcopos: nam in Concilio Chalcedonenſi legitur, Maximum Antiochenum à S. Leone Epiſcopum eſſe confirmatum. Et Nicolaus I. *in epiſt. ad Michaelem* enumerat octo Patriarchas Conſtantinopolitanos à Romanis Pontificibus depoſitos: denique Athanaſium, Alexandrinum, Paulum Conſt. & Marcellum Ancyranum, Epiſcopos, à Synodo Orientali depoſitos, reſtituit Julius primus; ut ſcribit Gelaſius in *Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ.*

5. Probatur *quartò*: varia quoque nomina ſolis Romanis Pontificibus attributa, & nulli alteri Epiſcopo, vel Patriarchæ, arguunt ſufficienter ejusdem Primatum ſuper univerſam Eccleſiam militantem; videlicet quòd ſit *Papa*, quo nomine appellatur in Concilio Chalcedonenſi Actor. 15. *Pater Patrum*, à tribus Conciliis Carthaginenſibus. *Pontifex Chriſtianorum* apud Euſebium in *Chronico* anni 44. *Summus Pontifex*, ùt habetur in Epiſtola Stephani Carthaginenſis. *Princeps Sacerdotum*, ùt habetur in Epiſtola Valentiniani apud Ambroſium. *Vicarius Chriſti*, in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. *Caput Eccleſiæ*, in Concilio Chalcedonenſi, *in Epiſtola ad Leonem. Fundamentum Eccleſiæ*, apud Hieronymum *Epiſtola ad Damaſum. Paſtor ovilis Dominici*, apud Ambroſium *Epiſtolâ 81. Rector Domûs DEI*, apud Ambroſium in *Epiſt. primam ad Timoth. 4. Cuſtos Vineæ*, in Concilio Chalcedonenſi *in Epiſtola ad Leonem. Pater, & Doctor omnium Chriſtianorum*; in Concilio Florent. *ſeſſ. ult. Epiſcopus Univerſalis*, in Concilio Chalcedonenſi *Act. 3. Apoſtolicæ Sedis Præſul*, paſſim apud DD. *Sponſus Eccleſiæ*, in Concilio Lugdunenſi &c. Ergo &c.

6. Probatur *quintò*: Regimen militantis Eccleſiæ etiam poſt Chriſti mortem fuit, & eſt Monarchicum; utì ſupra *cap. 5.* oſtenſum eſt, & conſequenter eadem Eccleſia debet habere aliquod unum ſupremum Caput, ſeu Primatum, & Monarcham, qui in externa gubernatione eidem Eccleſiæ præſit eandem conſervet, ædificet, & D. Petro ſuccedat in cathedra, ac paſtorali univerſali officio, oves paſcendo, *quarum* ait. D. Chryſoſtomus *lib. 2. de Sacram. curam tum Petro, tum Petri ſucceſſoribus committebat Chriſtus*: ſed nemo rectiùs pro tali Capite, Primate, & Monarcha Eccleſiæ militantis poteſt aſſignari, quàm Romanus Pontifex pro tempore canonicè electus: Ergo &c. Prob. Min. Tum quia ita conſtat ex immediatè præmiſſis *4. probis.* Tum quia ad Romanum Pontificem pro tempore ſolent, & commodè poſſunt pro finali judicio recurrere omnes Orbis univerſi Epiſcopi, qui ſe gravatos ſentiunt in inferiori judicio; unde dixit olim in Concilio Sardicenſi Hoſius Epiſcopus *cap. 4. ſi vobis placet, S. Petri Apoſtoli memoriam honoremus, ut ſcribatur, vel ab his qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Epiſcopis qui in propinquo morantur, Romano Epiſcopo, & ſi judicaverit revocandum eſſe judicium, renovetur, & det Judices: ſi autem probaverit talem cauſam, ut ea non refricentur, quæ acta ſunt; quæ decreverit Romanus Epiſcopus, confirmata erunt. Si ergo omnibus placet, ſtatuatur.* Et Concilium reſpondit; *placet.* Tum quia Romanus Pontifex habet infallibilem authoritatem definiendi ex cathedra res fidei; utì dicetur infra *art. 5.* & ad eam diſſenſiones circa fidem ortæ ſunt referendæ pro deciſione; unde Irenæus *lib. 3. contra hær. cap. 3.* ait, *ad hanc enim Eccleſiam* (ſcilicet Romanam) *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam*; hoc eſt, *omnes qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt, undique conſervata eſt ea, quæ eſt ab Apoſtolis, traditio*: Ergo &c.

7. Objicit Calvinus *primò*: primaria principia, ex quibus Catholici deducunt Primatum Romani Pontificis, ſunt falſa: Ergo &c. Probat. Ant. Catholici præfatum Primatum deducunt primò ex præſidentia Concilii Nicæni I. quem Romanus Pontifex dicitur exercuiſſe; quod tamen eſt falſum; quia Athana-

ſius

ſius in eo præſedit. *Secundò*, eundem Primatum Catholici deducunt ex præſidentia Cœleſtini Papæ Romani, quem in Concilio I. Epheſino fingunt uſum fuiſſe obliquô artificiô, ut Sedis ſuæ prærogativam ſtabiliret, committendo ſcilicet Cyrillo Alexand. ſuas vices; qui abſque hoc dicto Concilio præſeſſurus erat. *Tertiò*, eundem Primatum ſuadent Catholici ex præſidentia Romani Pontificis in Concilio II. Epheſino; cùm tamen illi præſederit Dioſcorus Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Quartò*, idem munus approbare conantur Catholici ex prima Sede, quàm Legati Romani Pontificis Leonis occupârunt in Concilio Chalcedonenſi; quod tamen ipſe Leo fatetur tantùm eſſe privilegium extraordinarium Imperatoris, & non debitum Romano Pontifici. *Quintò*, idem adſtruunt ex præcedentia Legatorum Romani Pontificis, quam in Concilio Conſtantinopolitano ſucceſſor Leonis Papæ prætendit, ſed non obtinuit, paſsúſque eſt ſuis Legatis præferri Mernam Patriarcham Conſtantinopolitanum.

8. Reſpondeo Neg. Ant. & *ad primam probationem* ejus dico; falſum eſſe, Athanaſium Concilio Nicæno I. præſediſſe; nam Athanaſius nec quidem ſubſcripſit memorato Concilio; etſi ei interfuerit tanquam Diaconus cum Patriarcha Alexandrino. Et ipſe teſtatur *in epiſt. ad ſolit. vit. agentes*, quòd illius Concilii Præſes, & Princeps fuerit Hoſius Epiſcopus Cordubenſis, tanquam Pontificis Romani Legatus. *Ad Secundam Probat.* ejusdem Ant. dico; falſum pariter eſſe aſſumptum; nam Cœleſtinus Cyrillo commiſerat ſuas vices antequam Concilium congregaretur; & idem nullatenus præſediſſet Concilio I. Epheſino ſinè Romani Pontificis commiſſione; cùm eum Supremum Neſtorii hæreſiarchæ Judicem agnoverit, & propterea ante Concilium collectum, ipſum de hæreſi apud eundem Pontificem accuſaverit. *Ad tertiam probat. Ant.* dico; rurſus falſum eſſe aſſumptum; quia illa ſecunda Synodus Epheſina non fuit legitimum Concilium; ſed pſeudo-conciliabolum: & inſuper illam præſidentiam authoritate Imperatoris illius temporis Eutychianæ hæreſi addicti, & vi armorum ſibi attribuit. *Ad quartam prob. Ant.* dico; & hoc aſſumptum falſum eſſe; quia omnes Patres Concilii Chalcedonenſis petunt confirmari non ſolùm Decreta Conciliaria à S. Leone Romano Pontifice, ut ordinario Summo Paſtore; ſed & præcedentiam, quam Concilium Epiſcopo Conſtantinopolitano aſſignaverat poſt Romanum Pontificem; quod & fecit Leo; adeóque non fatetur ſuam præcedentiam, & Primatum eſſe tantùm privilegium extraordinarium Imperatoris. *Ad quintam probat. Ant.* iterum dico; falſum aſſumi à Calvino; nam imprimis huic Concilio non præſedit Mernas; ſed ejus Succeſſor Eutychius profeſſus eſt, quòd præſidentia deberetur Romano Pontifici, quam & ei obtulit; utì conſtat *ex epiſt. Eutychii ad Vigilium Papam*, quæ habetur in calce collationis V. Synodi; ubi extant ſequentia verba, *petimus præſidente nobis veſtra Beatitudine de tribus Capitulis quæri, & conferri, &c.*

9. Objiciunt *ſecundò* alii Hæretici *primò*: malè colligunt Catholici Primatum pro Romano Pontifice ſuper univerſam Eccleſiam ex eo, quòd Petrus, cui is ſuccedit, obierit Romæ; ſicut malè colligitur Summus Pontificatus pro Epiſcopo Hieroſolymitano, quamvis Hieroſolymis mortuus ſit Chriſtus Sum. Sacerdos: Ergo &c. *Secundò*; potiùs Antiocheno Epiſcopo debetur Primatus totius Eccleſiæ; quia Petrus primò Antiochiæ ſedit: Ergo &c. *Tertiò*, Papa Pelagius, & Gregorius invehuntur contra titulum *OEcumenici*, ſeu *Univerſalis Patriarchæ*, tanquam prophanum, & blaſphemum, quô utebatur Joannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus; eò quòd talis derogaret cæteris Patriarchis: ſed nomen *Primatis* univerſalis Eccleſiæ idem importat: Ergo &c. *Quartò*; eſt ſpecies peccati Luciferi, aſſumere ſibi Primatum ſuper omnes Epiſcopos, qui ſunt aſtra cœli: Ergo &c. *Quintò*; Petrus Apoſtolus nunquam ſe vocavit Primatem Eccleſiæ: Ergo nec Papa hoc nomine uti debet.

10. Reſpondeo *ad Primum*: Catholicos non colligere inde Primatum pro Romano Pontifice, quia Romæ obiit D. Petrus; ſed quia ipſe Romanus Epiſcopus fuit, ibíque ſtabilem ſedem fixit, & paſtorale officium ibidem ſtabiliter exercuit. Cur autem Summus Pontificatus Chriſti non fuerit devolutus ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum; ratio poteſt eſſe, quia Chriſtus ſcivit illam Urbem brevi diruendam; & quia ipſa ſeſe reddidit indignam tali honore, ob mortem Chriſto illatam. *Ad ſecundum* Neg. Ant. quia D. Petrus non ſedit Antiochiæ ſtabiliter, nec Cathedram immobiliter fixit; ſed ibi ſubſtitit duntaxat ad tempus; ſicut Arca fœderis in Sylo. *Ad Tertium* dico; Pelagium, & Gregorium Papas ideo duntaxat in vehi in Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum; quia titulum *OEcumenici*, & *univerſalis Patriarchæ* faſtuosè, & absque fundamento, ac in præjudicium

cium

cium Summi Pontificis Romani ſibi uſurpaverat. Vel quia hoc titulô *univerſalis Patriarchæ* voluit ille Joannes ſignificare, ſe eſſe ſolum Epiſcopum, & non alios; quod eſt blaſphemum, & prophanum. *Ad Quartum* dico; Primatum ſuper omnes Epiſcopos aſſumere ex mera ſuperbia, authoritate, & abſque ſucceſſione in Cathedra D. Petri, eſt utique ſpecies peccati Luciferi: non verò ipſum aſſumere ex Divina Chriſti ordinatione, & ob legitimam ſucceſſionem in Sede D. Petri.

ARTICULUS V.

De infallibili authoritate Primatis Eccleſiæ, ſeu Romani Pontificis, in decidendis articulis Fidei.

1. Dico primò: Primas Eccleſiæ DEI, ſeu Romanus Pontifex habet infallibilem authoritatem in definiendis Fidei articulis, & moribus rectificandis, ita ut errare non poſſit; nec unquam erraverit ex Cathedra loquens. Ita Catholici; contra Waldenſes, Huſſitas, Lutheranos, Calviniſtas, Magdeburgenſes Centuriatores, &c.

2. Probatur *primò*: quia Lucæ 22 dicit Chriſtus Petro: *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, & tu aliquando converſus confirma Fratres tuos*: quæ verba Petro dicta, extendenda ſunt pariter ad Canonicos Petri Succeſſores in Primatu Eccleſiæ: dicit enim Leo Papa *ſerm. 3. de ſua aſſumpt. In Petro omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis, atque adeò toti Eccleſiæ conferatur.* Et Bernardus *Epiſt. 190. ad Innocentium II.* eandem indefectibilitatem in definiendo extendit ad omnes Summos Pontifices, in Sede Apoſtolatûs Supremi reſidentes, inquiens; *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque, & ſcandala emergentia in Regno DEI; ea præſertim, quæ de Fide contingunt: dignum namque arbitror ibi potiſſimùm reſarciri damna Fidei, ubi non poſſit Fides ſentire defectum: hæc quippe hujus prærogativa Sedis: cui enim alteri aliquando dictum eſt; Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat Fides tua*: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò*: quia graviſſimæ quæſtiones fidei, vel ad Concilium Generale, cui præſidet Romanus Pontifex; vel immediatè ad ipſum ſemper Primatum Eccleſiæ, ſeu Romanum Pontificem, tanquam infallibile oraculum ex Cathedra definiens, relatæ fuêre omni tempore; utì patet ex S. Bernardo *citato*, & Eccleſiæ Annalibus vetuſtis. Et ideo etiam ad eum confugit Athanaſius, Chryſoſtomus, & Theodoretus; & *ad eundem navigare* volebat, & alios hortabatur Cyprianus *epiſt. 3.* Et ejus *communione ſe aſſociatum* affirmabat Hieronymus: ad eandem infallibilem authoritatem, & Cathedram Primatis Romani omnia Concilia OEcumenica ſuos Canones, & Decreta ſubſcribenda, & finaliter roboranda detulêre; utì apparet ex actis eorundem. Et quando in primis tribus ſæculis Chriſtianitatis adhuc nulla Concilia Generalia celebrabantur, Romani Pontifices tunc pullulantes hæreſes Simoniacorum, Cerinthianorum, Ebionitarum, Marcioniſtarum, Priſcillianiſtarum &c. condemnarunt, & Fidei articulos deciderunt: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò*: celebriorum Sedium Patriarchalium Epiſcopi aliqui erratunt in Fide; ſic Antiochenam Sedem hæreſi polluerunt Paulus Samoſatenus hæreſis nefandæ author, & Petrus Gnaphæus Eutychianus, & Macarius Monothelita: ſic & Alexandrinam macularunt peſtilenti dogmate Gregorius, & Lucius Ariani; ac Dioſcorus Eutychianus, & Cyrus Monothelita: ſic Hieroſolymitanam contaminarunt erroribus Eutychius, Irenæus, & Hilarius Ariani, ac Joannes Originiſta: ſic quoque Conſtantinopolitanam infecerunt Macedonius, Neſtorius, Sergius &c. Sed una Sedes Romana pura ſemper extitit, immaculata Columba, nempe à D. Petro Columbæ Filio & inſeſſa, & erudita in Cathedræ definitionibus: unde S. Nazianzenus *in carm. de vita ſua* dicit, *vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & ſemper eam retinet, ſicut decet Urbem, quæ toti Orbi præſidet, ſemper de DEO integram fidem habet.* Et Ruffinus *in expoſit. ſymb.* ait, *in Eccleſia Urbis Romanæ neque hæreſis ulla ſumpſit exordium, & mos ibi reſervatur antiquus*: Ergo Primas Eccleſiæ ſeu Summus Pontifex Rmo. habet infallibilem authoritatem in decidendis Fidei articulis; nec unquam erravit.

5. Objiciunt Hæretici varios Romanos Pontifices, quos fabulantur errâſſe in Fide, & defectibilem ac fallibilem habuiſſe authoritatem: Et *primò*, dicunt Magdeburgenſes Victorem I. Papam hæreticè docuiſſe, Chriſtum eſſe purum hominem. *Secundò*, volunt Papam Zephyrinum fuiſſe Montaniſtam; utì dicit

Tertullianus *lib. 2. ad Praxeam*. *Tertiò*, proclamant Cornelium Papam erràſſe, ordinando ut Miſſa in ſola aqua celebretur; & pro hoc allegant Cyprianum teſtem *lib. 2. epiſt. 3.* *Quartò*, producunt Marcellinum Papam, quòd is idololatriam commiſerit? Ergo &c.

6. Reſpondeo: Hæreticos immeritò præfatos Pontifices infamare de crimine hæreſis, & hoc dicendo committere meram calumniam; uti patebit ex relatione antiquorum Scriptorum. Unde *ad Primum* dico, Euſebium priſcum Hiſtoricum in ſua hiſtoria *lib. 5. cap. 27.* (quam tamen Centuriatores Magdeburg. truncârunt) apertè dicere contrarium; nam ait, *quomodo non pudet hæc Victori tam falſo objectare? cùm exploratè cognitum habeant, Victorem Theodotum illum Coriarium* (qui ſcilicet illam propoſitionem Victori impoſuerat) *Chriſtiana communione interdixiſſe*. *Ad ſecundum*, idem Euſebius *lib. 6. cap. 14.* refert, Zephyrinum Papam damnâſſe Proculum Montaniſtam; ex quo apparet hunc Pontificem Romanum nullatenus fuiſſe Montaniſtam. Nec teſtimonium contrarium Tertulliani hìc valet; nam is jam tunc defecerat ab Eccleſia, & factus fuerat Montaniſta, ac damnatus ab eodem Zephyrino; ſicque odiô agitatus deinde calumniatus eſt eundem Zephyrinum. *Ad Tertium*, Cyprianus *in citata epiſtola* (quam fingunt ad Cornelium ſcriptam; cùm tamen ad Cæcilium exarata ſit) non tribuit hunc errorem Cornelio Papæ; ſed aliis; uti patet ex vetuſtis codicibus Cypriani. *Ad Quartum*, factum Marcellini ex metu mortis ſacrificantis idolis non fuit hæreſis; ſed lapſus ſimilis negationi Petri, ob metum exteriùs tantùm exercitum, retentâ in corde Fide.

7. Objiciunt rurſus errores aliorum Pontificum: & *primò* Liberium Pontificem volunt partes Arianorum foviſſe, conſentiendo Conſtantio Hæretico; pro quo citant Athanaſium *epiſt. ad ſolitarios*; & Hieronymum *in Chronico*; & Hilarium *lib. adverſus Conſtantium*. *Secundò*, Felicem proclamant quoque Arianum; quod probant ex Hieronymo in Catalogo Scriptorum. *Tertiò* arguit Calvinus hæreſeos Siricium; eò quòd *in epiſt. ad Hiſp. Epiſc.* Conjugium vocet pollutionem, dicens: *quam formam cum mulieribus, quæ ſe poſt pœnitentiam talibus pollutionibus devinxerunt, ſervandam eſſe cenſemus*. *Quartò*, Gelaſium hæreſis inſimulant Centuriatores; eò quòd doceat in quodam libro contra Eutychen, manere cum corpore Chriſti verum panem. *Quintò*, Anaſtaſium faciunt hæreticum ex eo, quòd communicaverit cum Photino Legato, infecto aliàs Societate Acatii: quem & voluit abſolvere. *Sextò*, Vigilium commiſcent cum Hæreticis; quandoquidem is ſcripſerit litteras ad Theodoram Imperatricem, & alios hæreticos Eutychianos, in quibus probat hæreſim, negantem in Chriſto duas naturas. *Septimò*, Gregorium Magnum conantur contaminare erroribus in fide; eò quòd cum Presbyteris Sardiniæ diſpenſaverit, ut Sacramentum Confirmationis adminiſtrare poſſint. *Octavò*, detrudunt inter Hæreticos Honorium, tanquem Monothelitam; quod conjecturatit ex epiſtolis Synodalibus diverſis antiquorum Conciliorum. *Nonò*, Martinum I. ajunt hæreticum Novatianum fuiſſe; propter doctrinam ejus, quam allegant *ex epiſt. ad Armand. Epiſc.* quâ vult Presbyteris lapſis in peccata carnis copiam pœnitentiæ, & veniæ in foro Conſcientiæ eſſe denegandam. *Decimò*, Gregorium III. dicunt hæreticè docuiſſe *in epiſt. 4. ad Bonifac.* permiſſum eſſe viro ducere aliam uxorem, dum propria ob infirmitatem nequit reddere debitum. *Undecimò*, Joannes XXII. à Calvino taxatur hæreſis; quaſi aſſeruerit, animas eſſe mortales, & mori cum corpore uſque ad reſurrectionem. Plures alios Hæretici calumniantur Pontifices Romanos, imponentes eis hæreſes; à quibus eruditè eoſdem purgat Macedo noſter *in Sch. Theol. Scholâ 7. cap. 5.*

8. Reſpondeo *ad Primum*; Liberium per meram fraudem, & mendacium Arianorum inſimulari, quaſi eorum partes foveret; uti conſtat ex Zozomen. *lib. 4. cap. 14.* (in qua fraude etiam fundatur corrupta hiſtoria Damaſi in Pontificiali) nam hunc Pontificem ipſemet Athanaſius in oppoſitum citatus mirè deprædicat; idem facit S. Ambroſius. Et S. Epiphanius vocat *Beatum lib. de hæreſ. 15.* Et S. Baſilius *Beatiſſimum* dicit, *epiſt. 74.* Inſuper occubuit Martyr. Hieronymus, Hilarius, & Athanaſius in contrarium allegati, ex corrupta hiſtoria Damaſi, vel Arianorum mendacious libris poterant ſuam opinionem contrariam hauſiſſe; ſi revera ſentiant Liberium Arianorum partes foviſſe. *Ad ſecundum*, impoſtura eſt, Felicem II. Arianum fuiſſe; nam is excommunicavit Conſtantium hæreticum Arianum, & ab iisdem martyriô eſt affectus ac pro martyre vero ſemper habitus. *Ad Tertium*, Calvinus mendosè affigit Siricio illam erroneam doctrinam; nam is conjugia non appellat pollutiones; uti patet ex textu *cit. epiſt.* in qua agitur de iis tantùm, qui propter illicitos concubitus agunt pœnitentiam, & poſt illam ad eoſdem redeunt. *Ad Quartum*, etiam Gelaſius mendosè hæreticus proclamatur; nam is non fuit author illius libri parvi

parvi contra Eutychen; ſed alius quidam Græcus; liber enim iſte Græciſmum ſapit; & quia author hujus libelli laudat ſæpe ſcripta Euſebii Cæſarienſis, quæ Gelaſius inter apocrypha recenſet. Liber autem alius magnus teſte Gennadio *de Script. Eccleſ. cap. 14.* a Gelaſio compoſitus eſt totus Catholicus, & immunis ab illa impoſita doctrina de permanentia panis cum corpore Chriſti in Sacramento Altaris. *Ad Quintum*, Anaſtaſius admiſit quidem Photinum tanquam Legatum ad ſe; quod eſt de jure Gentium; cùm præſertim ageretur de Epiſtolis Leonis Papæ; per hoc tamen non cenſetur cum eo communicâſſe, & hæreſis notam incurriſſe; nec conſenſit agenti de revocatione Acatii; utì conſtat ex ipſamet Anaſtaſii epiſtola, ſcripta ad Imperatorem, ubi ter improbat Acatium, & vult aboleri ejus nomen. *Ad ſextum*, primò dici poteſt; illam epiſtolam eſſe falſam, ſicut & ſermo Mennæ ad Vigilium falſatus fuit; utì patet ex actis VI. Synodi act. 3. nam mos Græcorum hæreticorum fuit, Pontificum falſare epiſtolas, & decreta, ut eos infamarent, & ad ſuas tranſiiſſe partes populo perſuaderent. *Secundò*, Vigilius necdum erat Papa, quando illas litteras ſcripſit; quia adhuc in exilio vivebat Sylverius legitimus Papa. *Ad ſeptimum* admiſsô factô diſpenſationis Gregorianæ, dico cum communi TT. & Canoniſtarum, & Auguſtino *q. 101.* Et Ambroſio *in cap. 4. ad Epheſ.* Papam Gregorium, & quemvis alium Romanum Pontificem poſſe diſpenſare absque errore in fide, ut Presbyteri confirment, tempore neceſſitatis; unde ita etiam diſpenſarunt Alexander VI. & Gregorius XIII. cum Presbyteris in Indiis degentibus; & Adrianus VI. cum Sacerdotibus Regularibus FF. Minorum in iiſdem Indiis. *Ad Octavum*; fit injuria Honorio Papæ; nam, ùt docet Hoſius, Pighius, & alii apud Bellarminum, Epiſtolæ Synodales indicantes Honorium fuiſſe Monothelitam, corruptæ fuerunt ab Hæreticis, & Schiſmaticis Græcis; ſicut corruperunt epiſtolas Leonis Magni, teſte eodem Leone *lib. 8. Epiſtol. epiſt. 83. ad Palæſtinos* & acta Concilii Chalcedonenſis, ac Epheſini, teſte Gregorio Magno *lib. 5. Epiſt. epiſt. 14. ad Narſet.* Et Epiſtolas Nicolai I. & Joannis VIII. & aliorum. *Ad Nonum* dico; Martinum I. Papam Presbyteris lapſis carnaliter non negare copiam pœnitentiæ, & veniæ in foro conſcientiæ; ſed tantùm reſtitutionem, officium, & miniſterium; utì patet ex ejus decreto, quod ſic ſonat; *qui ſemel poſt ſuam ordinationem in lapſum ceciderit, deinceps jam depoſitus erit, & nunquam gradum Sacerdotii poterit adipiſci.* *Ad Decimum* dico; Gregorium III. loqui vel de Sponſa, quæ ob infirmitatem ſupervenientem ante Matrimonium dimitti poteſt. Vel nomine *infirmitatis* intelligit impotentiam cum uxore coëundi; ſi videlicet ſit nimis arcta; quo caſu vult, virum poſſe ducere aliam; & tenet communis TT. & Canoniſtarum, & Gloſſa *in cap. de libellis diſt. 22.* *Ad Undecimum*, Calvinus immeritò impingit hanc calumniam Joanni XXII. Docuit quidem Joannes iſte tanquam privatus Doctor, animas Juſtorum non viſuras DEUM ante generalem reſurrectionem: ſed nunquam hoc definivit; utì patet *ex Extravag.* Benedicti Papæ quam refert Caſtro *lib. 3. contra hær.* ver. *Beatitudo*: & hanc ipſam doctrinam ſuam revocavit ante mortem, teſte Joanne Villano Scriptore illius temporis *lib. 11. hiſtoriar. cap. 19.*

CAPUT VII.

De Conciliis veræ Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

ARTICULUS I.

Solus Papa poteſt Concilia indicere; & ibi præſidere.

1. NOta primò: per *Concilium* intelligi conventionem legitimam Præſulum Eccleſiaſticorum, aliarumque Eccleſiaſticarum perſonarum, ſignanter Epiſcoporum, eo fine congregatorum, ut controverſias Fidei, & morum exortas terminent. Concilia, alia ſunt Generalia; alia Nationalia; alia Provincialia: *Generalia*, ſeu OEcumenica cenſentur eſſe illa, quæ coadunantur ex omnibus Epiſcopis totius Orbis Chriſtiani, vel ſaltèm majori ex parte. *Nationalia*, quæ conſtantur ex Epiſcopis unius præcisè Nationis. *Provincialia* ſunt, quæ conſtant ſolis Eccleſiaſticis Perſonis, Archi-Epiſcopo, & ſuffraganeis unius Provinciæ.

2. Dico primò: Solus Primas Eccleſiæ, id eſt Romanus Pontifex pro tempore, poteſt

indicere Concilium Generale; & eidem præſidere. Ita Catholici; contra Lutherum, Brentium, Calvinum, Melanthonem, Confeſſionem Anglicanam &c.

3. Probatur *primò*: ſoli Primati Eccleſiæ, id eſt, Petro, & Romanis Pontificibus ejus legitimis ſucceſſoribus commiſit Chriſtus Ovile ſuum, illis verbis Joan. 21. *paſce oves meas*: Ergo ſolus Primas Eccleſiæ, id eſt Romanus Pontifex pro tempore poteſt totius Ovilis Paſtores, ſeu Epiſcopos congregare ad Concilium generale, & eidem præſidere. *Secundo*; ſoli Primati Eccleſiæ, & ejus Succeſſoribus Romanis Pontificibus commiſit Chriſtus regimen univerſalis Eccleſiæ, illis verbis Matth. 18. *tibi dabo claves regni cœlorum*; & conſequenter eisdem dedit poteſtatem convocandi ad Concilium generale Prælatos Eccleſiæ, & eisdem præſidendi: Ergo &c. *Tertiò*, conſtat ex vetuſta Eccleſiæ praxi Romanos Pontifices pro tempore ſuis litteris convocâſſe Concilia Generalia; & in iisdem præſediſſe; ſic Concilium Nicænum congregavit Sylveſter Romanus Pontifex; ut refert Damaſus *in Pontific.* adjutoriô Conſtantini Imperatoris; eidémque præſedit Sylveſter per ſuos Legatos, Oſium Epiſcopum, & Vitum Presbyterum; qui proinde etiam primô locô ante Patriarchas ſubſcripſère actis Concilii Nicæni. Conſtantinopolitanum convocatum fuit authoritate Damaſi Papæ Romani; ùt oſtendit Theodoretus *lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſtica c. 9.* Epheſinum convocatum, & terminatum fuit authoritate Cœleſtini; ùt narrat Proſper *in Chronico*: in quo Concilio Cyrillus tunc Legatus Cœleſtini præſedit: quemadmodum docet Epiſtola ejuſdem Cyrilli *ad Cœleſtinum.* Chalcedonenſe indictum fuit authoritate Leonis Papæ; ùt refert Gelaſius *Epiſt. 13. ad Epiſcopos Dardaniæ*: cui Concilio præſederunt Nuncii Leonis Paſchaſius, & Lucentius Epiſcopi, ac Bonifacius Presbyter: & ſic proceſſum eſt cum aliis Conciliis OEcumenicis: Quare dicit Marcellus *lib. 1. Epiſt. 1.* & Julius, eſſe antiquiſſimum Eccleſiæ, imò Apoſtolicum Canonem, Concilia Generalia debere celebrari authoritate, & ſententiâ Romani Pontificis: Ergo &c.

4. Objiciunt Hæretici: Concilium Nicænum fuit ſimul indictum etiam à Conſtantino Imperatore: Conſtantinopolitanum ſimul à Theodoſio Seniore: Epheſinum ſimul à Theodoſio juniori; utì referunt diverſi hiſtorici: Ergo non à ſolis Pontificibus Romanis.

5. Reſpondeo: præfatos Imperatores tantùm addidiſſe pondus indictioni, & convocationi Pontificum Romanorum; ſolúmque promoviſſe Epiſtolas convocatorias Summi Pontificum Romanorum; ut Epiſcopi ſubditi, & contenti in Imperio Romano celeriùs, ac promptiùs congregarentur: quare Conſtantinus Concilium Nicænum ingreſſus non niſi annuentibus Epiſcopis ſedit, idque in ſella parva; & profeſſus eſt judicium illud non eſſe ſuum; ſed Epiſcoporum, unde etiam ultimô locô poſt omnes Concilii Patres nomen ſuum determinationibus in Concilio illo factis appoſuit; ùt teſtatur Imperator, Baſilius in calce Synodi VIII. *Act. 10.* ante ſuam ſubſcriptionem. De hoc ampliùs *ſeq. art.*

ARTICULUS II.

Nullus Laicus, etiam Rex, vel Imperator poteſt convocare Concilia, & eis Præſidere; ubi etiam contra Primatum Regium agitur.

1. Dico primò: nullo Jure Laicus, ſive ſit Rex, ſive Imperator, authoritativè indicere poteſt Concilium Generale, aut jam indicto præſidere ùt Primas. Ita Catholici; contra Eccleſiam nuperam Anglicanam, Lutherum, Melanth. &c.

2. Probatur *primò*: nullo Jure ulli Laico, etiam Regi, vel Imperatori commiſſum eſt gubernium Eccleſiæ veræ DEI & Chriſti, ſive juriſdictionis interioris, quæ conſiſtit in abſolvendo & ligando; nam nulli tali, ſed Apoſtolis, & Sacerdotibus dictum eſt, *accipite Spiritum S. quorum remiſeritis peccata, remiſſa ſunt eis & quorum retinueritis retenta ſunt.* Sive gubernium juriſdictionis exterioris, quæ conſiſtit in convocando Synodum, præſidendo ibidem, decidendo controverſias Fidei, conferendo beneficia, conſtituendo Epiſcopos, & deponendo eosdem, ac ſimiles Religionis act' exercendo; ùt paulò poſt oſtendam *probat. 4.* contra Primatum Laicum Regium. Nec demum ulli Laico commiſſum eſt gubernium Eccleſiæ quoad poteſtatem Eccleſiaſticam Ordinis; cùm is non ſit ad hoc conſecratus, & ordinatus priùs: & quia huic in perſona Oziæ dicitur *2. Paralip. 26. cap. non eſt tui Officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino; ſed Sacerdotes, qui conſecrati ſunt, ad hujusmodi miniſterium*: Ergo nullo Jure ullus Laicus, etiam Rex, vel Imperator authoritativè indicere poteſt Concilium Generale; aut jam indicto præſidere ùt Primas.

3. Probatur *ſecundò*: Non Laico ulli, quacunque eminentiâ is polleat; ſed Petro, & ejus ſucceſſo-

ſucceſſoribus in Primatu Eccleſiæ dictum eſt Matth. 16. *tibi dabo claves regni cœlorum.* Et Joan. 21. *paſce oves meas*; quibus verbis datur poteſtas exercendi actus Paſtorales totius Eccleſiæ, inter quos inſignior eſt, convocare authoritativè Concilium Generale, in eóque præſidere ùt Primas. Item nulli Regi, vel Laico; ſed Epiſcopis Apoſtolis dictum eſt Act. 20. *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Item ſuper nullum Laicum tanquam fundamentum conſtructa eſt Eccleſiæ fabrica; ſed ſuper Apoſtolos & Prophetas; unde dicitur ad Epheſ. 2. *ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JESU.* Item Apoſtolus loquens de regimine Eccleſiæ, ac ejus rectoribus, nullam facit mentionem de Laicorum authoritate, vel gradu in eadem ad Epheſ. 11. *& ipſe dedit quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad Conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti*: Ergo nullo Jure ullus Laicus, etiam Rex, vel Imperator poteſt indicere Concilium totius Eccleſiæ; & in eo præſidere ùt Primas.

4. Probatur *tertiò*: diſcurrendo per indictiones, & præſidentias ſingulorum Conciliorum Generalium patet, nullam Synodum generalem authoritativè, & legitimè fuiſſe coactam ab Imperatoribus; aut ab eis præſidialiter gubernatam; ſed à Pontificibus: unde prima Synodus Apoſtolica celebrata Hieroſolymis, fuit convocata ab Apoſtolis; & in ea præſedit D. Petrus Summus Chriſti Vicarius in terris, atque omnium Romanorum Pontificum anteceſſor: Concilium Generale Nicænum indixit, & præſedit Sylveſter Papa per ſuos Legatos: Conſtantinopolitanum primum indixit, & præſedit Cœleſtinus Papa: Epheſinum convocavit, & præſedit Cœleſtinus I. Papa: Chalcedonenſe congeſſit, & præſedit Leo Lapa; Conſtantinopolitanum ſecundum indixit, & præſedit Vigilius Papa, & ſic de aliis; de quo vide *tom. 4. meæ Scholæ Theol. tract. de virtut. Theol. diſt. 3. q. 11.* Ergo &c.

5. Probatur *quartò*: nullus Laicus, etiam Rex, vel Imperator, ullo jure tenet Primatum ſuper univerſam Eccleſiam: Ergo nullus talis poteſt authoritativè indicere Concilium Generale; vel in eo indicto præſidere ùt Primas Eccleſiæ. Prob. Ant. *primò* de Jure naturali: quia ſtatus Eccleſiæ tanquam ſpiritualis eſt ex natura rei diſtinctus à ſtatu politico, ſeu civili, quem gubernat Laicus Rex, vel Imperator: Ergo etiam ex natura rei habet diſtinctum tribunal; adeóque qui præeſt uni, non neceſſariò præeſſe debet etiam alteri; ac conſequenter licèt Rex poſſit in ſtatu politico convocare ejus membra ad conventum civilem; non propterea poteſt in ſtatu Eccleſiaſtico convocare Prælatos ad Concilium. Prob. *Secundò* Ant. de Jure Divino veteris Teſtamenti: ipſimet Reges fideles viventes in veteri Teſtamento ingenuè profeſſi ſunt, ſe non obtinere Jure illius legis Primatum ſuper univerſam Eccleſiam veterem; ſed eum eſſe penes Pontificem, & Sacerdotale genus: unde air prudentiſſimus, & in Jure Divino veteris Teſtamenti verſatiſſimus Rex Joſaphat 2. Paralip. *cap. 19. Amarias Sacerdos, & Pontifex veſter, in his, quæ ad DEUM pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent*: Deinde totum Jus, quod DEUS contulit Regibus veteris Teſtamenti, & diſpoſitio circa eorum electionem, regimen &c. regiſtratur diſtinctè Deut. 17. *cap.* his verbis: *cùm ingreſſus fueris terram, quam Dominus DEUS tuus dabit tibi, & poſſederis eam, habitaverîſque in illa, & dixeris; conſtituam ſuper me Regem, ſicut habent omnes per circuitum nationes, eum conſtitues, quem Dominus tuus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus. Cúmque fuerit conſtitutus non multiplicabit ſibi equos; nec reducet populum in Ægyptum; equitatus numerô ſublevatus præſertim cùm Dominus præcepit vobis; ut nequaquam ampliùs per eandem viam revertamini. Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti & auri immenſa pondera. Poſtquam autem ſederit in ſolio regni ſui, deſcribit ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine: accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ tribûs; & habebit ſecum, legétque illud omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Dominum DEUM ſuum, & cuſtodire verba, & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt. Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſuper fratres ſuos; neque declinet in partem dexteram, vel ſiniſtrâm, ut longo tempore regnet ipſe, & filii ejus ſuper Iſraël*: Sed in memoratu textu nulla fit mentio Regii Primatûs ſuper Eccleſiam: Ergo &c. Præterea de mandato DEI omnes controverſiæ legales Synagogæ difficultatem habentes, non ad Reges; ſed ad Summum Sacerdotem jubentur deferri pro deciſione Deut. 17. ibi, *ſi difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem; cauſam & cauſam; lepram & lepram; & judicum intra portas tuas videris verba variari; ſurge, & aſcende ad locum*

quem elegerit Dominus DEUS tuus; veniéſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæréſque ab eis qui judicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta Legem ejus: ſequerisque ſententiam eorum; nec declinabis ad dexteram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo ex decreto Judicis, morietur homo ille: Ergo non apud Regem Laicum; ſed Summum Pontificem eſt Primatus totius Eccleſiæ de Jure Divino veteris Teſtamenti. Tandem ſi extaret aliquod Jus Divinum veteris Teſtamenti pro Primatu Regis Laici ſuper univerſam Eccleſiam, illud contineretur vel in Legibus aliquibus Moralibus, vel cæremonialibus; vel judicialibus veteris Teſtamenti: ſed in nullis harum continetur: non in moralibus, quæ in Decalogo regiſtrantur; ibi enim nulla fit mentio de tali aliquo Jure: neque in cæremonialibus, vel judicialibus; quia & in his nullum reperitur veſtigium talis Juris; & ſi quod adeſſet, amplius non valeret pro Regibus Laicis novi Teſtamenti; quia ſimiles leges cæremoniales, & Judiciales per Chriſtum ſunt abrogatæ: Ergo &c.

6. Probatur *tertiò* Ant. principale de Jure Divino novi Teſtamenti: nullus paſſus novi Teſtamenti evincit aliquod Jus Divinum pro Regibus Laicis in univerſam veram Eccleſiam militantem quoad gubernium ejuſdem in ſpiritualibus, & quoad actus paſtorales, atque jurisdictionis exterioris circa Chriſti Fideles; cujusmodi ſunt, regere Eccleſiam, Concilia congerere, ac ibi præſidere, controverſias Fidei definire, lites Eccleſiaſticas terminare, leges condere, cenſuras fulminare, Miniſtros Eccleſiarum conſtituere, ac doponere &c. Ergo nullus Laicus Rex, vel Imperator Jure Divino novi Teſtamenti obtinet Primatum ſuper univerſam Eccleſiam. Ant. patebit ſolvendo infra objectiones Hæreticorum; & maximè Eccleſiæ Anglicanæ.

7. Probatur *quartò* de Jure Canonico: potiùs in contrarium extant complures Canones, adimentes Laicis omnem poteſtatem circa veras Eccleſiaſticas perſonas, & conſequenter Primatum totius Eccleſiæ: ùt videre eſt *diſt. 96. can. 11.* Et *diſt. 69. can. 9.* Et *can. 10.* Et *diſt. 36. can. 7.* Et *diſt. 10. can. 7.* Et *diſt. 63. can. 1.* ubi dicitur, *nullus Laicorum Principum, ſe inſerat electioni; aut promotioni Patriarchæ, Metropolitæ, aut cujuslibet Epiſcopi &c. præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quemquam Poteſtativorum, vel cæterorum Laicorum habere conveniat.* Et in Decretal. *cap. 6. de Major. & Obed. Non negamus, quin præcellat Imperator in temporalibus, illos duntaxat, qui ab illo accipiunt temporalia; ſed Pontifex in ſpiritualibus excellit,* Et infra, *ad firmamentum igitur cœli, hoc eſt univerſalis Eccleſiæ, fecit DEUS duo magna luminaria; id eſt duas inſtituit poteſtates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, & Regalis poteſtas: ſed illa quæ præeſt diebus, id eſt ſpiritualibus, major eſt; quæ verò carnalibus, minor; ut quanta eſt inter ſolem & Lunam; tanta inter Pontificem, & Reges differentia cognoſcatur.*

8. Probatur *quintò* de Jure Civili: ſed nec ullo Jure authentico priſco Civili Primatus Regi Laico ſuper univerſam veram Eccleſiam competit: imò ex eo contrarium conſtat; dicit enim Juſtinianus Imperator in authen. conſtit. *123 ſi Eccleſiaſticum negotium ſit, nullam communionem habento civiles Magiſtratus cum ea diſceptatione; ſed religioſiſſimi Epiſcopi ſecundùm ſacros Canones finem imponunto.* Et propterea ſcribit D. Ambroſius *epiſt. 33. ad Marcellinam ſuam ſororem*, ſe dixiſſe Valentiniano Imperatori, *noli te gravare Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina ſunt, Imperiale aliquod Jus habere.* Et infra, *ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ: publicorum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non Sacrorum.* Et Hoſius Epiſcopus in Concilio Nicæno dixit Conſtantio Imperatori, *tibi DEUS imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit: & quemadmodum, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi Divinæ, ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias.*

9. Objiciunt Hæretici *primò*: Regibus Laicis omnino competit Primatus Eccleſiæ Jure veteris Teſtamenti; & conſequenter authoritas convocandi ad Concilium Generale: Ergo &c. Probat. Ant. nam hoc conſtat *primò* ex facto Regis Davidis, qui exercuit actus proprios Primati Eccleſiæ; dum videlicet abſtulit abuſus, & corruptelas Eccleſiaſticas; unde dicitur de ipſo 2. Reg. *cap. 5. & abiit Rex, & omnes viri, qui erant cum eo in Jeruſalem ad Jebuſæum habitatorem terræ, dictúmque eſt David ab eis, non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos &c.* Id eſt Miniſtros Synagogæ inſcios Legis, & incurios in Officiis Divinis: Ergo ſpectabat ad David, tollere cæcum & claudum; ſeu abuſus Eccleſiaſticos; & conſequenter ei competebat Primatus Eccleſiæ Jure veteris Teſtamenti. *Secundò*, hoc idem conſtat ex facto ejuſdem David, qui perduxit Arcam fœderis ad

locum

locum quietis 1. Paralip. *cap. 13.* quod pariter arguit curam Eccleſiaſticam circa eandem; & conſequenter Primatum: Ergo &c. *Tertiò*, idem patet ex facto Salomonis Regis, qui ædificavit DEO templum, illud dedicavit 1. Paralip. *cap. 26.* Idem depoſuit Sum. Sacerdotem Abiathar ab officio, & ſubrogavit illi Sadoc. 3. Reg. *cap. 2.* Ergo &c. *Quartò*, idem colligitur ex facto Joſiæ Regis, qui renovavit fœdus inter DEUM, & populum electum, & mundavit vaſa Eccleſiaſtica profanata, &c. 4. Reg. *cap. 22.* Ergo &c. *Quintò*, ex facto Ezechiæ Regis, qui confregit ſerpentem Æneum 4. Reg. *cap. 18.* *Sextò*, ex facto Regis Joſaphat, qui conſtituit Levitas, & Sacerdotes in Jeruſalem 2. Paralip. *cap. 19.* Ergo &c.

10. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus *Primam Probat.* dico; David tollendo abuſus, & corruptelas circa depoſitionem ignarorum & incuriorum Miniſtrorum non exercuiſſe ullum actum paſtoralem, arguentem ſuum Primatum ſupra Eccleſiam, qui conſiſtit in dijudicando, & decernendo, quinam ſint abuſus & corruptelæ Eccleſiæ, quod pertinet ad ſolos veros Prælatos veræ Eccleſiæ; ſed præſtitit ſolùm actum executionis circa ignaros, & incurios Miniſtros Eccleſiæ abjiciendos; quod non ſapit Primatum; & fieri poteſt à quovis Principe Catholico poſt judicium Eccleſiaſticum jam peractum de hoc. *Ad ſecundam Probat.* dico; ex tali perductione Arcæ malè colligi Primatum Regis Davidis ſuper Eccleſiam; nam non ſolus Rex David; verùm & populus perduxerunt eandem Arcam, unde dicitur 1. Reg. 4. *miſit populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini Exercituum*; & tamen idcirco Populus non cenſetur habere Primatum Eccleſiæ. *Ad Tertiam Probat.* dico; Salomonem dedicâſſe, id eſt cultui Divino dicâſſe, ſeu deſtinâſſe templum ad colendum ibi DEUM, non probat rectè Primatum veræ Eccleſiæ; nam etiam viri Iſraëlitæ, & fœminæ hyacinthum, purpuram, byſſum, coccinum &c. dedicarunt DEO Exod. 35. id eſt dicarunt DEI cultui; & tamen non propterea obtinuerunt Primatum Eccleſiæ. Deinde in iſta Dedicatione non ſolus Salomon; ſed & Sacerdotes, & populus concurrunt; Salomon videlicet orando, Sacerdotes ſacrificando, vaſa ſacra, & Arcam portando, & populus gratias agendo; unde ex facto iſto Salomonis nullus Primatus ſpecialis colligitur. Quod attinet illam depoſitionem Summi Sacerdotis factam à Salomone, tenent plures DD. Catholici, eam ab ipſo factam fuiſſe non regiâ, ſed prophetica poteſtate; nec ordinariâ viâ; ſed ex ſpeciali DEI inſtinctu, ut impleretur verbum Domini, de quo dicitur 3. Reg. *c. 2* *ejecit ergo Salomon Abiathar, ut non eſſet Sacerdos Domini, ut impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ſuper Heli in Silo.* Alii dicunt hoc factum Salomonis non fuiſſe legitimè factum; nec legitur ejus approb. in S. Scrip. *Ad Quartam* dico; renovare fœdus cùm DEO non ſapit Primatum Eccleſiæ; ſed cuilibet particul. fideli hoc licitum eſt, & congruit facere. Mundationem etiam vaſorum profanorum non tam authoritativè demandavit Sacerdotibus, quàm eoſdem admonuit ſui officii. *Ad Quintam* dico; Ezechiam non authoritate aliqua eminenti, & principali ſuper Eccleſiam confregiſſe Æneum ſerpentem; ſed Divino inſtinctu; quia is erat occaſio idololatriæ: & talem confractionem etiam quilibet alius licitè facere poterat. *Ad ſextam* dico; quòd Joſaphat non conſtituerit, id eſt conſecraverit, & creaverit Levitas, & Sacerdotes in Jeruſalem; hoc enim non erat ejus officii; ſed ex iis qui jam ante creati, & conſecrati fuerant, ſolùm quoſdam ſelegit, qui judicium Domini exercerent in Jeruſalem.

11. Objiciunt *ſecundò*: Regularibus Laicis ſaltèm Jure novi Teſtamenti competit Primatus totius Eccleſiæ; & conſequenter poteſtas congregandi Concilium Generale: Ergo &c. Prob. Ant. quia ita *primò* inſinuatur illo textu ad Rom. 13. *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* *Secundò* ex illo ad Rom. 13. *poteſtas DEI miniſter eſt vindex in iram ei, qui malè agit; non enim ſinè cauſa gladium portat*: *Tertiò*, ex illo Matth. 22. *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*: Ergo &c.

12. Reſpondeo Neg. Ant. ad ejus *primam Probat.* dico; ex illo textu non convinci Primatum Regis Laici in veram Eccleſiam; ejus enim ſenſus obvius eſt, quòd omnis homo, qui conſtitutus eſt ſub aliquo ſuperiore, debeat ei obedire in iis, in quibus ſuperior eſt: Nego autem ullum Regem Laicum eſſe ſuperiorem veræ Eccleſiæ, & in rebus verè Eccleſiaſticis, ac ſpiritualibus. *Ad ſecundam* dico; eundem textum pariter non oſtendere Primatum Regis Laici ſuper veram Eccleſiam; quia eò datur duntaxat intelligi, poteſtatem, ſeu Regem portare gladium, & habere authoritatem puniendi peccatores ſubditos; hæc tamen authotitas non ſe extendit ad Eccleſiaſticos veros exemptos; nec ad tribunal verum Eccleſiaſticum, in quo præſident ſoli Eccleſiaſtici. *Ad Tertiam* dico; illum textum non facere ullâ ratione ad propoſitum; loquitur enim de redditione tributi Laicorum, quod Cæſari debetur,

ARTI-

ARTICULUS III.

Concilium Generale legitimum nequit errare in materia Fidei explananda.

1. DIco primò: Concilium Generale legitimè congregatum à Papa nequit errare in proferendis definitionibus Fidei, & decretia morum edendis. Ita Catholici; contra Arianos, Neſtorianos, Eutychianos, Wiclephiſtas, Lutherum, Calvinum, Confeſſionem nuperam Anglican.

2. Probatur *primò*: acta Concilii Generalis legitimè congregati dicuntur acta Spiritûs Sancti. qui nequit errare in proferendis definitionibus Fidei, & formandis decretis morum; unde dicitur in Concilio Hieroſolymitano *Act. 15. viſum eſt Spiritui S. & nobis &c.* Ergo &c. *Secundò*, Eccleſia, quæ repræſentatur per Concilium Generale legitimum, dicitur *columna, & firmamentum veritatis* 2. ad Tim. 3. Ergo eſt ſtabilis, & firma in ſuis definitionibus Fidei depromendis, & decretis morum enuntiandis.

3. Probatur *tertiò* ex SS. PP. attribuentibus infallibilitatem in decidendis Fidei articulis, & moribus rectificandis Concilio Generali legitimè congregato: unde dicit Ambroſius *lib. 5. cap. 32. ſequens tractatum Concilii Nicæni à quo me nec mors, neque gladius poterit ſeparare.* Et Cœleſtinus Papa *epiſt. 7. ad Syn. Epheſ.* ait; *Spiritûs S. teſtatur præſentiam congregatio Sacerdotum &c. quando in unum convenit tanta turba.* Et Leo Mag. *epiſt. 78 cap. 3.* dicit, *de rebus apud Nicæam, & apud Chalcedonem* (ſicut DEO placuit) *definitis, nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum S. fixit authoritas.* Et propterea rectè exclamat contra Hæreticos ſui temporis, conantes convellere infallibilitatem Concilii in definitionibus Fidei, Julius I. apud Athanaſium *epiſt. ad Flaccil. ſi enim, ut ſcribitis, inconcuſſam habet authoritatem qualibet Synodus, contumelioſè agitur cum Judice Et quinam ſunt, qui Synodum vituperant, & trecentorum Epiſcoporum calculos pro nihilo habent, & impietatem pietati anteponunt? niſi Ariomanitæ, ab omnibus ubique Epiſcopis condemnati: & abdicati* Ergo &c.

4. Probatur *quartò*: ſi Concilia Generalia habent authoritatem fallibilem in proferendis definitionibus Fidei, & moribus rectificandis, ſanè Eccleſiæ DEI, & Chriſti non eſſet ſufficienter proviſum adversùs hæreſes, & Schismata: Nec rectè dicetur à Chriſto, quòd contra Eccleſiam portæ inferi non prævalebunt. Matth. 16. Nec cum ea cenſeretur Chriſtus manere usque ad conſummationem ſæculi. Nec Spiritus diceretur eam docere omnem veritatem. Joan. 16. Ergo &c.

5. Objiciunt Hæretici: in pluribus Conciliis Generalibus PP. errarunt: Ergo &c. Probat. Ant. *primò*, PP. in Concilio Nicæno errarunt, *can. 7.* definiendo, quòd Epiſcopus Hieroſolymitanus ſit Caput Eccleſiæ; cùm tamen PP. Concilii Conſtantinopolitani hanc prærogativam attribuant Epiſcopo, ſeu Pontifici Romano *can. 5. Secundò*, Concilium Antiochenum erravit, docendo contra Nicænum Concilium, Filium non eſſe conſubſtantialem, ſeu *homouſion*. *Tertiò*, Concilium Conſtantinopolitanum ſub Copronimo; & Concilium Francofordienſe errarunt prohibendo venerationem Imaginum Sanctorum. *Quartò*, Concilium Conſtantinopolitanum Generale, & Conſtantienſe Baſileenſe Generale errarunt, definiendo Concilium eſſe ſupra Papam: & quia in hoc Concilio Baſileenſi nullus fuit verus Papa canonicè electus depoſitô Eugeniô: ſed meri intruſi: Ergo &c.

6. Reſpondeo Neg. Ant, ad ejus *Probat. primam*, dico, in genuinis actis Concilii Nicæni Generalis non haberi illam definitionem Patrum; ſed eam ab hæreticis imponi Concilio. *Ad ſecundam*, Concilium Antiochenum fuit Synodus duntaxat Provincialis, quæ non habet illam prærogativam infallibilitatis in defendendo materiam Fidei; ſicut Generale, quod totam Eccleſiam repræſentat. Præterea Patres illius Concilii non contradixerunt Conſubſtantialitati Filii: ſed ſolùm illius vocem *homouſion* non ſatis intellexêre. *Ad Tertiam* dico; illud Concilium Conſtantinopolitanum non fuiſſe OEcumenicum; nec approbatum; utì nec Francofurdienſe tanquam Generale; & confirmatum, tenent plures DD. Et dato, quòd utrumque approbatum, & Generale fuiſſet; in eorum tamen actis primis nulla talis prohibitio reperitur. *Ad Quartam dico*, illum articulum à dictis Conciliis factum non fuiſſe factum conciliariter, ſeu Conciliô plenè congregatô, legitimô, & in præſentia Legatorum nomine Papæ præſidentium; unde non cenſetur eſſe definitio Concilii Generalis. Et de Concilio Conſtantienſi res eſt clara; quia hoc Concilium, dum edidit hunc articulum, non fuit legitimum; eò quòd tunc non adeſſet in eo certus Papa, ſtante Schiſmate Gregorii, Benedicti, & Joannis: & Joannes XXIII. qui Concilium inchoaverat, inde receſſit,

ceſſit, nullô ſuô relictô Legatô, dum quarta Seſſio, in qua allegata doctrina continetur, celebraretur. Nec Martinus V. dictum Concilium quoad omnia ſchiſmaticè concluſa *ſeſſ. 4.* poſtea approbavit: ſed ſolùm confirmavit Decreta Fidei, quæ facta erant conciliariter, more aliorum Conciliorum, re bene diſcuſsâ; uti fuerunt illa de damnatione Wicleph, & Huſs Hæreſiarcharum: Decretum verò de ſupraneitate Papæ ſuper Concilium, ſchiſmaticè, & non Conciliariter fuit factum; quare nec cenſeri debet approbatum. *Ad Concilium Baſileenſe* dico: illud equidem ab initio legitimè fuiſſe inchoatum: ſed mox degeneráſſe in ſchiſmaticum, ſeditioſum, & effectum fuiſſe conciliabulum, nullius authoritatis; uti declaratur in Concilio Lateranenſi *ſeſſ. ult.* ob attentatam exauctorationem Eugenii IV. & ſchiſmaticam electionem Felicis V. Antipapæ: qui poſteaquam depoſuiſſet Antipapatum, Nicolaus V. verus Pontifex aliquas Ordinationes illius Concilii quidem approbavit; ſed ſolas concernentes Cenſuras Eccleſiaſticas, ac Beneficia.

CAPUT VIII.

De Miniſtris Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

ARTICULUS I.

De varietate, vocatione, miſſione, electione, & conſecratione Miniſtrorum Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

1. NOta primò: nomine Miniſtri Eccleſiæ DEI & Chriſti hic intelligi Clericos, in opera Eccleſiaſtica functiones & gubernia legitimè deputatos. Horum in Eccleſia Novi Teſtamenti variæ ſunt ſpecies; primò enim ſunt Epiſcopi, de quibus dicitur Act. 20. *vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Inter hos eminet Summ. Pontifex Romanus; de quo ſupra *cap. 6. art. 4.* & *5.* Deinde ſequuntur Presbyteri, ſeu Sacerdotes non Epiſcopi, ex quibus quidam ſunt Paſtores, & Doctores; de quibus dicitur ad Epheſ. 11. *alios dedit Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii in conſummationem corporis Chriſti*: tertiò Diaconi, & Subdiaconi. Poſtremò cæteri inferiores Miniſtri, ut Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii; quorum officia, inſtitutiones &c. refert priſcum Concil. Carthaginenſe, ac alia.

2. Nota ſecundò: Vocationem Miniſtrorum Eccleſiæ veræ DEI, & Chriſti, aliam eſſe ordinariam; aliam extraordinariam. *Ordinaria* habetur, quando quis à Superiore Eccleſiaſtico homine, v.g. Pontifice, vel Epiſcopo eligitur & deputatur, ac qualificatur modis canonicis, & legitimis ſeu ex inſtitutione Chriſti, ad aliquod miniſterium Eccleſiæ; ùt dum Parochus ab Epiſcopo vocatur, & conſtituitur Curatus, & Paſtor talis Eccleſiæ particularis. *Extraordinaria* habetur, quando quis immediatè à ſolo DEO mittitur ad miniſterium Evangelii; qua ratione vocati, electi, & miſſi ſunt Apoſtoli à Chriſto ad prædicandum Evangelium, & adminiſtranda Sacramenta. Hujuſmodi vocatio, ut credatur eſſe vera, ſolet multis miraculis, & ſignis coram populo factis conteſtari; unde Apoſtoli ſic vocati in die Pentecoſtes variis loquebantur linguis: *& prædicaverunt ubique Domino coöperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

3. Dico primò: nemo poteſt legitimè ſeipſum vocare, & mittere Miniſtrum Eccleſiæ DEI & Chriſti, aut pro tali ſe qualificare; unde non eſt libera cuique Chriſtiano Verbi DEI prædicatio. Ita Catholici, contra Waldenſes, Wiclephiſtas, Huſſitas; Quakeros, &c.

4. Probatur *primò*: ad Hebr. 5. miſſio Miniſtrorum ad prædicandum ab alio facienda exprimitur illis verbis, *quomodo prædicabunt, niſi mittantur?* Et rurſus ibidem dicit, Pontificis munus ab alio proficiſci debere, *nec quiſquam ſumit ſibi honorem; ſed qui vocatur à DEO tanquam Aaron.* Et propterea primi Prædicatores S. Evangelii, quos DEVS ad hoc elegit, ut in omnem terram exiret ſonus eorum, vocati ſunt à Chriſto *Apoſtoli*, hoc eſt *miſſi*; ut ex ipſa nominis ratione quisque cognoſceret, neminem vocare poſſe ſeipſum miniſtrum; ſed mittendum eſſe ab alio legitimo ſuperiore: Ergo &c.

5. Probatur ſecundò inductione, & praxi primariorum Miniſtrorum veteris, & novi Teſtamenti, qui ab alio vocati, electi, &

miſſi fuêre; ſic quidam olim à DEO immediata vocatione vocati & miſſi ſunt ad docendum, reformandum, & arguendum populum; unde de tali miſſione Moyſis dicitur Exod. 3. *veni, & mittam te.* Et de ſimili vocatione Aaron conſtat ex *cit. epiſt. ad Hebr.* Et de Helia, Heliſæo, ac aliis Prophetis, ſic miſſis ex eorundem libris. Et de pariformi miſſione Joannis Baptiſtæ Joan: *1. cap. factum eſt verbum Domini ſuper Joannem, & venit in omnem Regionem Jordanis prædicans.* Et *fuit homo miſſus à DEO, cui nomen erat Joannes*: Ergo &c.

6. Probatur *tertiò*: in vocatione, miſſione, & electione ſui propria authoritate facta, Eccleſia de facili poſſet pati gravia præjudicia, & ſcandala: poſſent enim hac ratione perſonæ valde juvenes, & imperfectæ, minúsque verſatæ in ſacris litteris, & earum uſu, ac in fundamentis veræ Religionis, ſe ſe exponere ad prædicandum Verbum DEI; quales ſanè erant, de quibus dicitur ad Gal. *1. ſunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Chriſti.* Et quia convenit, ut maturis & debitè inſtructis viris prædicatio committatur; unde de ipſis Apoſtolis Luc. 23. dicitur, *Vos autem ſedete in Civitate, donec induamini virtute ex alto.*

7. Dico ſecundò: vocatio, electio, miſſio, & ordinatio Miniſtrorum Eccleſiæ DEI & Chriſti non poteſt legitimè fieri ab ullo laico, etiam Magiſtratum Principatum, vel regni adminiſtrationem gerente. Ita Catholici; contra Waldenſes, Lutheranos, Calviniſtas, nuperam Anglicanam Eccleſiam, Huſſitas &c.

8. Probatur primò ex S. Scriptura: non conſtat ullos Laicos, etiam Reges, vel Imperatores unquam vocâſſe, elegiſſe, miſiſſe, & ordinâſſe Miniſtros Canonicos veræ Eccleſiæ; ſed hujuſmodi functiones ſemper mansêre penes Prælatos Eccleſiæ: unde dicitur ad Tit. *cap. 1. reliqui te Cretæ, ut conſtituas per Civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*; quibus verbis non Magiſtratui, vel Regi; ſed Tito Epiſcopo relinquitur electio, & conſecratio Sacerdotum. Similiter 1. ad Tim. *cap. 5.* ſoli Timotheo Epiſcopo, tacitis laicis, committitur totum negotium inſtituendi, & ordinandi Miniſtros Eccleſiæ: unde ait Apoſtolus ibi, *manus nè impoſueris, &c. & bonum teſtimonium ab his, qui foris ſunt, juſſit inquiri*: Ergo &c.

9. Probatur *ſecundò*: ſed nec ex ulla authentica vetuſta traditione, vel tolerata praxi veræ Eccleſiæ conſtat, Laicos unquam vocâſſe, elegiſſe, miſiſſe, aut ordinâſſe Miniſtros Eccleſiæ; imò hoc fieri vetuit Concilium priſcum Laodiceum, ante annos 1200. habitum; utì patet ex *can. 13.* dicente, *non eſt permittendum turbis, electionem facere eorum, qui ad Sacerdotium ſunt promovendi.* Idem prohibuit Concilium vetus celebratum à Martino Papa, ante annos 900. *can. 1.* Et ante annos 800. Concilium Nicænum II. *can. 8.* Et ante annos 700. Concilium Conſtantinopolitanum, *can. 28.* Unde

10. Dico tertiò: ſtatim à primitiva Eccleſia omnes Miniſtri tam Epiſcopi, quàm Sacerdotes, ſeu Paſtores Eccleſiarum vocati miſſi, & ordinati fuerunt à Prælatis Eccleſiæ; & usque modò ſic vocandi, mittendi, & ordinandi ſunt. Ita Catholici; contra Waldenſes, Lutheranos, Huſſitas, Calviniſtas nuperam Anglicanam Eccleſiam, &c.

11. Probatur *primò*: ſtatim in primitiva Eccleſia Chriſtus D. Petrum vocavit & elegit in Pontificem, juxta illud Matth. 16. *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*; & illud, *tibi dabo claves regni cœlorum.* Et illud Joan. 21. *Paſce oves meas.* Et idem Chriſtus Apoſtolos vocavit & elegit in Epiſcopos, miſítque ad prædicandum, juxta illud, *Euntes docete omnes gentes.* Et illud Luc. *6. vocavit Diſcipulos, & elegit duodecim ex eis, quos & Apoſtolos nominavit.* Item alios Diſcipulos ſeptuaginta duos elegit, & conſtituit in Sacerdotes, & Parochos, ſeu Paſtores minores animarum, juxta illud Luc. 10. *poſt hæc autem deſignavit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam, & dicebat illis &c. ite, ecce ego mitto vos.* Ab Apoſtolis deinde fuerunt vocati, ordinati, & conſecrati in Epiſcopos ac Presbyteros alii viri Catholici, & miſſi ad prædicandum; ut Timotheus à Paulo Apoſtolo 2. ad Timoth. 3. Et à Timotheo debitè jam ordinato alii deinde Sacerdotes ordinati fuêre vocati, & conſtituti Paſtores Eccleſiarum minorum 1. ad Timoth. 5. Et à Paulo, & Barnaba Act. 14. Presbyteri Lyſtriæ, Iconii, & Antiochiæ. Et ſic ſucceſſivè ab aliis Apoſtolis, & Epiſcopis alii Miniſtri legitimè vocati, ordinati, electi, & miſſi fuerunt ad munera Eccleſiæ: Ergo &c.

12. Probatur *ſecundò*: ſtatim à primitiva Eccleſia viguit Lex Eccleſiaſtica, ut omnes Miniſtri Eccleſiæ ab Epiſcopis, & non Laicis, ordinarentur; unde Clemens Romanus *Conſt. 2. Apoſt.* dicit, *Presbyter ab uno Epiſcopo ordinetur, & Diaconus, & reliqui Clerici.* Idem conſtat ex Dionyſio Areopagita *in Eccleſ. hierarch. cap. 5.* Ex S. Ignatio *epiſt. ad Smyrnenſ.* Ex Sixto II. *epiſt. 2. cap. 3.* Ex Euſebio Papa *epiſt. 3.* Ex Concilio Acyrano *can. 13.* Ex Concilio Antiocheno *can. 9.* Ex Baſilio Mag. *in*

anaphora

anaphora Syriaca. Ex Epiphanio *hær. 75.* Ex Ambroſio *de Sacerd. dignit.* Viderint ergo Prædicantes, & Paſtores Lutherani, ac Miniſtri Calviniſtici a Magiſtratibus, vel ab invicem non Epiſcopis deputati ad miniſteria Eccleſiarum, quâ ratione ſint veri Miniſtri Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

13. Objiciunt Hæretici *primò*: non de ſolis Apoſtolis; ſed de multitudine laica credentium dicitur Act. 6. quod *elegerunt Stephanum Levitam. Secundo*, ſimiliter Matthias, & Barnabas non à ſolis Apoſtolis; ſed ab univerſa Eccleſia (in qua multi laici reperiuntur) dicuntur electi Act 1. Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum*, hanc electionem Stephani tantùm fuiſſe nominationem populo permiſſam, ita ut acceptatio, & approbatio, ſeu electio, & vocatio propriè fieret ab Apoſtolis. *Ad Secundum*; dico pariter hanc electionem multitudinis credentium non fuiſſe propriè electionem; ſed poſtulationem, nominationem, ſeu præſentationem (quæ Laicis in Eccleſia permittitur) unde dicitur in citatis Actibus Apoſtolicis, quòd congregati *duos ſtatuerunt*, id eſt propoſuerunt Apoſtolis duos: inſuper hæc vocatio non fuit ordinaria, & à populo, vel Apoſtolis; ſed extraordinaria, & à DEO ſortium interventione celebrata.

14. Objiciunt *tertio*: ſaltèm vocationes, electiones, & ordinationes Presbyterorum, ac aliorum Miniſtrorum non neceſſariò fieri debet à ſolis Epiſcopis; ſed etiam fieri poſſunt à Sacerdotibus, qui proinde in hoc æqualis authoritatis ſunt Epiſcopis: Ergo &c. Probatur, nam hoc conſtat *primò* ex Act. Apoſtolorum *cap. 20.* ubi propterea Presbyteri vocantur Epiſcopi. *Secundo*, quia hoc patet etiam ex Epiſt ad Tit. 1. ubi poſtquam dixiſſet Paulus, ſe Titum reliquiſſe in Creta, ut Presbyteros per civitates conſtitueret; ſubjungens quales eſſe Presbyteros oporteat, ait, *oportet enim Epiſcopum ſinè crimine eſſe &c. Tertiò*, quia Presbyteri poſſunt imponere manus, ſicut Epiſcopi, utì conſtat ex illo 1. ad Timoth. 4. *noli negligere gratiam DEI, quæ eſt in te quæ data eſt per impoſitionem manuum Presbyteri. Quartò*, quia Ordo Epiſcopatûs eſt idem cum Ordine Presbyteratûs; cùm Paulus ad Eph. 4. enumerans diſtinctos miniſteriorum gradus, nullam faciat mentionem de Epiſcopatu, tanquam diſtincto miniſterio: Ergo &c.

15. Reſpondeo Neg. Ant. & *ad Primam, ſecundam*, & *Tertiam Probation.* ejus dico, primitùs *Epiſcopi* nomen uſurpatum fuiſſe pro nomine *Presbyteri*; & vice verſa; eò quòd communi conſiliò Epiſcopi, & Presbyteri regerent Eccleſiam, & fideles corrigerent, ac docerent; unde etiam Presbyteri accedebant Concilia, utì conſtat ex *cap. 15.* Act. Apoſtolorum; & hoc duravit, quamdiu ambæ hæ ſortes Miniſtrorum concordes erant: at quia deinde Presbyteri (utì narrat S. Hieronymus *in cap. 1. Epiſtolæ ad Tit.* inſoleſcebant, abutentes poteſtate, quam Epiſcopi ipſis gratuitò conceſſerant, eosdem in Conſilia, & auxilia ſua adhibentes: ideo Epiſcopi poteſtatem ſui Ordinis Epiſcopalis à Presbyteris abſtraxerunt, & eos ſepararunt in unam claſſem diſtinctam, cum diſtincta eorum poteſtate, quæ non ſe extendit ad faciendas ordinationes Miniſtrorum Eccleſiæ. Unde ſcribit S. Ignatius ad Trallenſes, & Smirnenſes, *Presbyteri ſubjecti eſtote Epiſcopis. Ad Quartam Probat. Ant.* Neg. Ant & ad ejus rationem dico, Paulum ſufficienter ibi enumerare Ordinem Epiſcopalem; nam hi intelliguntur per ly *Paſtores*; Epiſcopi enim ſunt propriè, & per excellentiam Paſtores; utpote quibus totæ Provinciæ ſunt commiſſæ; & quibus incumbit Paſtores Minores, ſeu Presbyteros; (hodie *Parochos* dictos;) canonicè viſitare, qui à Paulo *Doctores* vocantur; & ita docent communiter SS. PP.

ARTICULUS II.

De Cælibatu Miniſtrorum Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

1. DIco primò: Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi jam inde à primitiva Eccleſia obligabantur, & defactò obligantur ad Cælibatum perpetuum ſervandum, & omni matrimonio, ac uſu uxoris, ac alterius fœminæ abſtinere. Ita Catholici; contra Veſſalianos, Lutheranos, Calviniſtas, Zwinglianos, Melanth. Confeſſionem Anglicanam nuperam.

2. Probatur *primò*: obligatio Epiſcoporum, & Presbyterorum ad Cœlibatum jam inde à primitiva Eccleſia conſtat ex illo S. Pauli Epiſt. ad Tit. *cap. 1. Oportet Epiſcopum* (quo nomine etiam venit Presbyter ad Philip. 1.) *continentem eſſe*; etiam ab uxore, ùt docet ibidem D. Hieronymus; hæc enim eſt abſoluta continentia. Et obligatio Diaconorum ad Cælibatum patet ex Epiſt 1. ad Timot. *cap. 3. Oportet Diaconos pudicos eſſe*: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò*: extant antiquiſſimæ leges Eccleſiæ, de ſervando a præfatis Mini-

 ſtris

ſtris Cælibatu; unde inter Canones Apoſtolorum habetur 27. canon hujus tenoris; *in naptiis autem, qui ad Clericatum profecti ſunt, præcipimus, ut ſivoluerint, accipiant; ſed Lectores, Cantoréſque tantummodo.* Et Concilium Elibertinum, Anno Domini 313. celebratum ordinat can. 33. *placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, ac Subdiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus ſuis* (quas ſcilicet ante ſuſceptum Ordinem ſibi deſponſaverant) *& non generare filios; quod quicunque fecerit, ab honore Clericatûs exterminetur,* Et Concilium Carthaginenſe II. celebratum Anno 396. *can. 2.* ait, *omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab uxoribus ſe abſtineant; ut quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Idem ſtatuit Concilium Agathenſe An. 506. *can. 9.* Et Concilium Aurelianenſe III. An 537. *can. 7.* Et Aurel. IV. An. 547. *can. 17.* Et Concilium Nicænum II. *can. 3.* Et Concilium Arelatenſe *can. 3.* Et plura alia: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò*: eandem obligationem priſcam Cælibatûs pro Epiſcopis Sacerdotibus, Diaconis, & Subdiaconis afferunt SS. PP. priſci; ſignanter Syricius Papa *in epiſt. ad Himer. cap. 7.* Et Innocentius I. An. 400. *in epiſt. ad Exuper.* Et Clemens Rom. *Conſtit. Apoſt. 25.* Callixtus apud Gratianum *diſt. 27.* Origenes *in Levit.* Euſebius Cæſar. *in cap. 3. Iſai.* Ambroſius *ad cap. 3. Epiſt. 1. ad Tim.* Epiphanius *hær. 59.* Hieronymus adversùs Vigilant. *cap. 1.* Et *lib. contra Jovinian.* Auguſtinus *lib. de adulteriis Conjug. cap. 20.*

5. Nota autem primò: obligationem præfatorum Miniſtrorum Eccleſiæ DEI, & Chriſti ad Cælibatum perpetuum, non eſſe ex Jure aliquo Divino; ſed præcisè Eccleſiaſtico: S. Litteræ enim nuſquam exprimunt aliquod præceptum Divinum de tali Cælibatu Clericorum; neque Concilia, neque SS. PP. Unde cum Græcis Sacerdotibus in quibusdam Eccleſiis Orientalibus diſpenſatum fuit, ut uxoribus uti poſſent, quas ante Sacerdotium duxerunt; non item quibus copularentur poſt ſuſceptum Presbyteratum. Imò & in Latina Eccleſia aliquando ad tempus permisſum fuit, ut more Græcorum quidam Sacerdotes uterentur uxoribus, quas ante Ordinem Sacerdotalem ſuſceptum legitimo matrimonio ſibi copulaverant; ita tamen ut unâ mortuâ aliam ducere non poſſent; ùt videre eſt *in cap. quæſitum, de pœnit. & remiſſ.*

6. Dico ſecundò; Eccleſia habuit valde rationabiles cauſas Cælibatum præcipiendi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis. Ita communis Catholicorum; contra Lutherum, Calvinum, &c.

7. Probatur *primò*: quia hoc ſuadet reverentia ingens, quæ myſterio Corporis Chriſti debetur. Nam ſi Sacerdotes veteris Teſtamenti tenebantur ad abſtinentiam ab uxoribus certis temporibus; quando ſcilicet in templo ſacra tractare, orare, & miniſterio altaris ac ſacrificiorum inſervire debebant, Exod. 19. ibi, *Sacerdotes quoque, qui accedent ad Dominum, ſanctificentur*; quæ ſanctificatio potiſſimè conſiſtebat in abſtinentia ab uxoribus; unde Hieronymus *lib. 1. contra Jovian.* poſt medium ait, *nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolum in domibus ſuis non erant; ſed purificabantur ad tempus ab uxoribus ſeparati.* Et Laici ipſi Iſraëlitæ a Deo legem accepturi jubentur abſtinere ab uxoribus Exod. 19. *eſtote parati in diem tertium, & non appropinquetis uxoribus veſtris*: Ergo à fortiori Sacerdotes & alii Miniſtri Novi Teſtamenti majus myſterium Corporis Chriſti tractantes meritò ad continentiam ab uxoribus obligantur per Eccleſiam.

8. Probatur *ſecundò*: Chriſtus ſuaſit continentiam Apoſtolis, quà Epiſcopis, & Sacerdotibus Matth. 19. *Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum, qui poteſt capere capiat.* Et Apoſtoli perpetuum Cælibatum poſt ſuam converſionem ſervaverunt; utì conſtat ex illo Matth. 19. *ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? JESUS autem dixit illis; amen dico vobis &c. omnis qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem &c.* Et ex Concilio Carthaginenſi II. cit. ſupra *concl. 1. prob. 2.* Ergo Eccleſia rationabiliter eundem Cælibatum etiam præſcripſit Miniſtris Eccleſiæ.

9. Probatur *tertiò*: 2. ad Tim. 2. dicitur de Clericis DEO dicatis; *nemo militans DEO, implicat ſe negotiis ſæcularibus*: quæ implicatio ſanè reſultat ex conjugin. Et Paulus Apoſtolus conjugatis Laicis præcepit, ut ex conſenſu ad tempus abſtineant ab uſu Conjugii, ut eò diligentiùs inſtare poſſint Orationi: Miniſtri autem Eccleſiæ, præſertim Epiſcopi, Sacerdotes, debent ſemper quantâ poſſunt diligentiâ Orationi inſtare: Ergo rationabiliter ordinavit Eccleſia, ut perpetuò abſtinerent, & Cælibatum colerent.

10. Probatur *quartò*: recta quoque gubernatio Eccleſiæ, ac ejus utilitas Cælibatum expoſcit in ſuis Miniſtris; ne ſcilicet redditus Eccleſiaſtici oblati Eccleſiis ad Officium Divinum, abſtrahantur ad uſus profanos liberorum, uxorum &c. & munus Sacerdotale à

miniſtris

miniſtris viris, curâ conjugum, & liberorum implicatis, negligatur, ſenſimque aboleſcat. Et ne Miniſtri uxorati potius theſaurizationi ob copioſam prolem inhient; quàm hoſpitalitati; quæ tamen ipſis præcipitur ad Tit. *cap. 1.* Ergo &c.

11. Objiciunt Hæretici *primò*: Paulus vult Epiſcopum debere eſſe uxoratum, & non cælibem; unde dicit 1. ad Tim. 3. *cap. Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum. Secundò*, idem Paulus vult omnes homines, & conſequenter etiam Sacerdotes, inclinatos ad fornicationem debere habere uxorem, uti conſtat ex illo 1. ad Cor. 7. *propter fornicationem autem unusquisque ſuam uxorem habeat. Tertiò*, Geneſ. 2. dicitur, *non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi*; quod dictum etiam ad Sacerdotes extendendum eſt. *Quartò*, Gen. 9. mandatur omnibus etiam Sacerdotibus, *creſcite, & multiplicamini. Quintò*, Paulus habuit ſuam uxorem; imò & alii Apoſtoli; quod patet ex illo 1. ad Cor. 6. *nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & Fratres Domini, & Cephas?* ubi Græcus textus habet *uxorem ſororem. Sextò*, ad Hebr. 13. valde recommendatur connubium, *honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus*: Ergo &c.

12. Reſpondeo Neg. Ant. ad textum 1. ad Tim. 3. dico, ejus ſenſum eſſe, vel quòd Epiſcopus tantùm habeat unicam uxorem, ſi talis quà uxoratus in Epiſcopum electus ſit; uti olim uxorati quandoque eligebantur ob neceſſitates publicas Eccleſiæ; mutuo tamen conſenſu ab ejus uſu abſtineat. Vel quòd nullus poſſit fieri Epiſcopus, qui priùs fuiſſet Polygamus, ſeu plurium uxorum vir. *Ad ſecundum* Neg. quoque Ant. ad Textum 1. ad Cor. 7. dico, per ly *unusquisque* intelligi tantùm, quemlibet liberum, & votô, morbô, ſeniô, aut aliô impedimentô non ligatum: Sacerdotes autem ſunt impedimentô voti ligati, ac incapaces uxoris. Deinde etiam ipſis liberis D. Paulus non præcipit; ſed tantùm conſilium dat, ut uxorem ducant, ſi tales fornicationis lapſum timeant; aliàs ſecum pugnaret idem Apoſtolus, qui toto *illo capite* caſtitatem laudat. *Ad Tertium* dico; illud dictum Geneſ. 2. non extendi ad Sacerdotes novi Teſtamenti, utpote votô ligatos; ſed eô tantùm vult inſinuare, quòd in principio mundi viro neceſſaria fuerit uxor, pro multiplicando genere humano: hæc autem neceſſitas non urget in novo Teſtamento, quô D. Paulus jam affirmat, *bonum eſſe homini, mulierem non tangere*; & quô aſſeruntur jam 144000. Virginum mortuarum ſequi agnum quocunque ierit, Apoc. 14. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam illa verba Gen. 9. non mandatum; ſed tantùm benedictionem præſeferunt, diriguntúrque in communi ad humanam genus; non ad ſingulos homines in particulari. *Ad Quintum* ex illo textu 1. ad Cor. 6. tantùm ſequitur, quòd aliqui Apoſtoli habuerint uxores, & illas ſecum circumduxerint, ſed tanquam ſorores eas habuerint, & ita, ut ab earum uſu abſtinuerint. Vel dic, quòd Paulus, & cæteri Apoſtoli habuerint ſecum aliquas mulieres fideles, non tamen uxorum locô, ſed veluti ſorores, quarum liberalitate, & miniſteriô juvabantur in ſuis itineribus, more Judæorum. *Ad Sextum* ly *in omnibus* non poteſt referri collectivè ad omnes prorſus homines; aliàs etiam inter conſanguineos primi gradûs connubium eſſet honorabile; quod non concedunt Hæretici. Significat ergo idem, quod *ex omni parte*; ut ſenſus ſit, conjugium eſt honorabile, ſive conſideretur ex parte Sacramenti, ſeu ùt habet rationem Sacramenti; ſive ex parte finis, ſeu ùt importat finem ptocreandæ prolis.

ARTICULUS III.

De quorundam Miniſtrorum Eccleſiæ, Religioſorum ſcilicet, Monaſticis votis.

1. Dico primò: vota Monaſtica caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ illorum particularium Miniſtrotum Eccleſiæ, qui vocantur *Religioſi*, & ſunt à ſede Apoſtolica approbati, laudabilia, ſancta, & meritoria ſunt; idem dicendum de votis Religioſarum, ſeu Monialium. Ita Catholici; contra Lamperianos, Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, &c.

2. Probatur *primò*: conſtat ex S. Scriptura, alia Fidelium vota debitè facta fuiſſe laudabilia, ſancta, ac meritoria; ſicut patet de voto Annæ 1. Reg. 1. quô obtulit DEO filium ſuum Samuelem in miniſterium templi. Et de voto Jacob, quô vovit DEO decimas Gen. 31. Et de voto David, quod fecit de templo ædificando: Ergo etiam vota Monaſtica caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ Religioſorum, Religioſarúmque ſunt laudabilia, ſancta, & meritoria. *Sec. ndò*; priſca Concilia Eccleſiæ laudant, & tanquam ſancta, ac meritoria æſtimant vora Monaſtica caſtitatis, paupertatis & obedientiæ; uti conſtat ex Concilio Carthaginenſi IV. *cap. ult. Decretor.*

Ilor. Et ex Toletano IV. *cap. 49.* Et ex Aurelianenſi *cap. 17.* Et ex Libertino *cap. 13.* Ergo &c. *Tertiò*; ex S. Scriptura quoque colligitur votum caſtitatis eſſe laudabile, ſanctum, & meritorium; nam 1. ad Cor. 7. dicitur, *beatior erit* (ſcilicet vidua) *ſi ſic permanſerit, ſecundùm meum conſilium*, devovendo ſcilicet caſtitatem vidualem; ùt ait S. Auguſtinus ſuper hunc locum. Et de votorum Monaſticorum laudabilitate intelligit S. Hieronymus illud Threnorum *cap. 3. bonum eſt viro, cùm portaverit jugum ab adoleſcentia ſua*: Ergo &c. *Quartò*; Priſci SS. PP. mirè extollunt vota Monaſtica; ùt videre eſt apud S. Gregorium *homil. 20. ſuper Ezechielem.* Et apud Chryſoſtomum *hom. 11. ſuper epiſt. ad Hebr.* Et apud Auguſt. *in epiſt. ad Arment.* *Quintò*; plures Monachi Religioſi, & Religioſæ ob exactam obſervantiam votorum Monaſticorum, aliáque opera heroica Chriſtiana jam à tertio ſæculo Chriſtianitatis incipiendo, in ſanctos evasêre ſucceſſivè; ut D. Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Bernardus, Norbertus, Bruno, Dominicus, Franciſcus, Scholaſtica, Clara, Catharina Senenſis, &c. Ergo &c.

3. Objicit Lutherus *primò*: quandoque impoſſibilis eſt obſervatio voti caſtitatis; nam poteſt eſſe aliquando tantus ſtimulus carnis, ut ab eo quis inevitabiliter ſuperetur: Ergo &c. *Secundò*; Sanctiſſimi Patriarchæ Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, imò & S. Petrus Apoſtolus habuerunt uxores; quod non feciſſent, ſi votum caſtitatis magìs laudabile, & meritorium æſtimâſſent, quàm nuptias. *Tertiò*; Monaſtica vota profitentes aliquando transferuntur ad Epiſcopatus, ut meliorem ſtatum, ubi Epiſcopalium reddituum Domini efficiuntur; ſicque votum paupertatis excutiunt: adeoque cenſetur tale votum non fuiſſe prius perfectum, & meritorium. *Quartò*; Vota monaſtica repugnant libertati Evangelicæ, quæ non ſolùm eſt ea libertas in ſpiritu regnans (ait Lutherus) quâ ſolvitur conſcientia ab operibus; ſed etiam quà ſublata ſunt univerſa hominum mandata; cujuſmodi ſunt vota Monaſtica: Ergo &c.

4. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam gratiâ DEI (quam quivis Chriſtianus ſtimulô carnis agitatus implorare, & obtinere poteſt à DEO juxta illud Matth. 7. *quidquid orantes petieritis, accipietis*) reverà obſervari poteſt votum caſtitatis, & tentatus præſervari à conſenſu in lapſum carnis, ſtante etiam graviſſimo ſtimulô carnis; unde D. Paulo roganti DEUM, ut ſibi auferret ſtimulum carnis vehementem, reſpondit DEUS, *ſufficit tibi Paule gratia mea*, ad Philip. 4. Quod autem Lutherus videat ſe à ſuo ſtimulo ſuperari, provenit non ex impoſſibilitate caſtitatem ſervandi; ſed ex defectu Gratiæ Divinæ, cui is obicem ponit; & ex defectu reſiſtentiæ; unde rectè Auguſtinus *lib. 2. de merit. & peccat. remiſſ. cap. 17. caſti non ſumus, non quia non poſſumus; ſed quia non volumus.* Quare ô Luthere DEI auxilium, tuúmque velle, & reſiſtere applica, & ſuperabis tentationem ſtimuli carnis; nam (inquit Chryſoſtomus *hom. 16. in Epiſt. ad Hebr.*) *habemus quippe cooperatorem, & adjutorem DEUM; tantum velimus, tantum opere accedamus ad rem ipſam, tantùm curam geramus, tantùm in mentem ponamus, & cuncta ſequentur.* *Ad ſecundùm* dico; Monaſtica vota profitentes in Lege Nova Gratiæ meliores in hoc eſſe Patriarchis antiquis; ſicut Cælibatus nunc eſt melior nuptiis, juxta illud, *& qui non nubit melius facit*; & illud, *qui poteſt capere capiat.* In Lege autem Veteri expediebat nubere; ac proinde ex hoc capite malè impugnantur vota monaſtica tanquam minùs laudabilia nuptiis. *Ad Tertium*; Nego, Religioſos translatos ad Epiſcopatus excutere poſſe votum paupertatis, & effici dominos reddituum; nam hi manent tali votô obligati, ùt antè; utì declaravit Innocentius Papa in *cap. de Monach. q. 1.* Quare reddituum Epiſcopalium non fiunt domini; ſed diſpenſatores, & adminiſtratores tantùm; qua de re legendus S. Thomas *22. q. 185. art. 8.* *Ad Quartum* Neg. Ant. quod eſt baſis totius ſuæ venoſæ doctrinæ Lutheranæ, per quam tot millia aſſeclarum ſortitus eſt, ſcilicet ſub fuco Chriſtianæ libertatis modò à ſe explicatæ, effrænatam omnium vitiorum licentiam prædicando, & indulgendo illis, ut faciant, quidquid libet; dummodo credant, ſe per DEI miſericordiam fore ſalvos. Neg. inquam Ant. quod ſi verum eſſet, oporteret fateri, nullum eſſe in Chriſtiana Religione Regem, nullum Ducem, nullum Principem, nullúmque Magiſtratum; ſicque perirent omnia regna, reſpublicæ cunctæ; ſi ſublata ſint univerſa hominum mandata, & nemo ullis hominum mandatis obedire teneatur.

ARTICULUS IV.

De Religioſorum Eccleſiæ mendicitate; & labore.

1. DIco primò: laudabilis, & in Eccleſia primitiva meritoriè practicata eſt mendicitas Religioſorum Mendicantium. Ita Catholici; contra Wiclephiſtas,

phiſtas, & Lutheranos, Guilielmum de S. Amore, Oecolampadium, &c.

2. Probatur *primò*: Apoſtoli aliquando mendicitatem exercuêrunt, poſtquam Chriſtus miſit illos ad prædicandum, præcipiendo *Matth. 10. nolite poſſidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis veſtris*: quibus verbis eos exſpoliavit omni ſubſidiô certô, & ſtabili vivendi. Et ne tunc Apoſtoli viderentur ſoli fortunæ commiſſi, oſtendit idem Chriſtus, unde habituri eſſent alimenta mendicando, dicens; *dignus eſt operarius cibô ſuô.* Præterea ex 1. ad Cor. 16. conſtat factas fuiſſe collectas in Eccleſia Macedoniæ, & Corinthii; utique ut tanquam eleemoſynæ darentur ſanctis pauperibus in Hieruſalem morantibus, & mendicantibus victum: Ergo &c. *Secundò*: Concilia Generalia mendicitatem quorumdam Religioſorum, ſcilicet Mendicantium, tanquam laudabilem, & meritoriam approbauêre; ſic Concilium Viennenſe ſub Clemente V. decernit, & approbat modum vivendi Fratrum Minorum per mendicitatem. Et Concilium Conſtantienſe damnat illum articulum 24. Wiclephi, qui aſſerit, Fratribus Religioſis non licere victum quærere per mendicitatem: Ergo &c. *Tertiò*: Priſci SS. PP. mendicitatem laudant; unde Theophilactus exponens illud Luc. 10. *in eadem domo manete edentes, & bibentes, quæ apud eos ſunt*, ſic ait, *videte qualiter Diſcipulos mendicare inſtituit, & preciò eos nutrimentum habere noluit.*

3. Probatur *quartò*: Religioſi mendicantes continuò inſtant altioribus operationibus, quàm ſit labor mechanicus; puta applicando ſe Divinis laudibus diurnis, nocturníſque horis; ſtudiis, converſationi piæ Chriſti Fidelium, infirmorum aſſiſtentiæ, Sacramentorum adminiſtrationi, miſſionibus, defenſioni fidei, morum populi rectificationi, virtutum ſeminationi, verbi DEI prædicationi, ac aliis Religioſis exercitiis; quæ omnia etiam non cohærent cum labore, quibus victus ſufficiens, & amictus acquiri poſſent; ac proinde laudabiliter recurrunt ad mendicationem. Accedit, quòd Chriſti fideles ejuſmodi Miniſtros Eccleſiæ mendicantes alere teneantur; nam ùt dicit Salvator Matth. *10. dignus eſt operarius cibô ſuô.* Et I. ad Cor. cap. 9. *quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? nunquid ſecundùm hominem hæc dico? an & Lex hæc non dicit? ſcriptum eſt enim in Lege Moyſi; non alligabis os bovi triturauti. Nunquid de bobus cura eſt DEO? an propter nos: utique hoc dicit: nam propter nos ſcripta ſunt; quoniam debet in ſpe, qui arat, arare; & qui triturat, in ſpe fructus percipiendi: ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus; magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* Ergo &c.

4. Objiciuut Hæretici *primò*: in veteri Eccleſia mendicitas fuit prohibita: unde Deut. 15. dicitur; *omnino egens, & mendicus non erit inter vos*: Ergo idem dicendum in Eccleſia nova. *Secundò*: Religioſi mendicantes non ſunt juſti: nam *Pſalm.* 36. dicitur, *non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem*: Ergo &c. *Tertiò*: Mendicitas fovet otium in Monachis. *Quartò*: in S. Geneſi *cap.* 3. dicitur, quòd in ſudore vultûs debeamus veſci pane noſtro: Ergo &c. *Quintò*: Monachi ſunt imitatores Apoſtolorum: Ergo ſicut Paulus laboravit manibus pro ſuo victu, ita & ipſi laborare tenentur, & nequeunt mendicare. *Sextò*: 2. ad Theſſal. *cap. 3.* dicitur, *quoniam ſi quis non vult operari, non manducet.*

5. Reſpondeo *ad Primam* Neg. Ant. nam illa verba non ſunt prohibitoria; ſed promiſſoria; ita ut DEUS Iſraëlitas ſervantibus Legem promittat, non fore ullum inter eos pauperem; utì dicit Thomas Waldenſis inſignis Scriptor. Vel dici poteſt, quòd DEUS verba illa direxerit ad divites Iſraëlitus præcipiendo illis pauperũ ſubventionem; ita ut curam perpetuam habeant pauperum, adeò ut nullum ſinant propter egeſtatem mendicare. *Ad ſecundùm* Neg. Ant. & ad authoritatem Pſalmiſtæ dicit S. Auguſtinus, illa verba Pſalm. 36. non eſſe intelligenda de pane corporali, quem conſtat à multis juſtis fuiſſe quæſitum, ùt à Davide, qui Panes Propoſitionis quæſivit à Sacerdote 1. Reg. 21. *cap.* Sunt ergo intelligenda objecta verba de pane ſpirituali Verbi DEI, quem nunquam juſtis DEUS denegavit; neque juſtum aliquem ſic dereliquit, ut famem Verbi DEI pateretur. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam ùt ſupra *probat* 4. oſtenſum eſt, Monachi occupantur ſufficientiſſimè aliis operationibus altioris Ordinis, quàm ſit labor mechanicus. *Ad Quartum* dico; illa verba non eſſe præceptoria laboris manualis, ſudorem exprimentis; ſed denunciatoria pœnæ juſtæ à DEO inflictæ Adæ ob peccatum; utì apertè conſtat ex præcedenti textu *ejuſdem cap.* *Ad Quintum* Neg. Conſeq. nam Paulus non laboravit ex præcepto aliquo obligante Apoſtolos ad laborem manualem; ſed ex perfectione: & ne alios gravaret petendo alimenta: Unde alii Apoſtoli non leguntur laboràſſe corporaliter pro alimentis ſuis obtinendis; ſed vel mendicabant; vel vivebant ex

beneficio

beneficio devotarum mulierum, quas ſecum ducebant; & iiſdem, & Paulo debebantur alimenta ex prædicatione Evangelii: quod idem Paulus de ſe teſtatur 1. Cor. 9. *cap.* dicens, *nunquid non habemus poteſtatem manducandi, & bibendi? quis militat ſuis ſtipendiis?* & interſectis quibuſdam, quibus probat ſe habuiſſe poteſtatem ex Evangelio vivendi ſicut cæteri Apoſtoli, ſubdit; *ego autem nullo horum uſus ſum.* *Ad Sextum*, D. Paulus ibi non inhibet cibum generaliter omnibus non laborantibus; ſed planè otioſis; quales non ſunt Religioſi mendicantes, qui etſi corporaliter non laborent; ſpirituales tamen labores plurimos faciunt prædicando, pſallendo &c.

6. Dico ſecundò: Labor manualis honeſtus, & à Sacris Canonibns non vetitus, ſuo tempore perfici licitè poteſt etiam à Monachis, & Religioſis, & eſt ſuadendus, imò præcipiendus otioſis. Ita Catholici; contra Pſallianos, & Meſſalianos priſcos hæreticos; & contra Waldenſes, docentes viros perfectos non poſſe laborare manualiter.

7. Probatur *primò*: D. Paulus honeſtos labores manuales, quando tempus ſerebat, extra Evangelii prædicationem, perſecit; uti narrat. 1. ad Cor. 9. Et propterea etiam ad ſimiles labores alios hortatur otioſos 2. ad Theſſal. *cap.* 3. dicens; *audivimus enim quosdam ambulantes inter vos inordinatè, nihil operantes; ſed curioſè agentes: his autem qui ejuſmodi ſunt. denunciamus, & obſecramus in Domino JESU Chriſto, ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent.* *Secundò*: SS. PP. approbant, & Inſtitutores priſci Ordinum præcipiunt in ſuis Regulis Religioſorum labores manuales honeſtos: Ergo ſi cenſentur eſſe liciti Monachis, & Religioſis. Prob. Ant. S. Hieronymus *in Epiſtola ad Monachos* ait, *Ægyptiorum monaſteria hunc habent morem, ut nullum abſque labore, & opere ſuſcipiant; non tam propter victûs neceſſaria, quàm propter animæ ſalutem; ne vagetur pernicioſis cogitationibus, & inſtar fornicantis Jeruſalem omni tranſeunti divaricet pedes ſuos.* Et S. Baſilius *in Reg. Monach. cap.* 67. ait, *magis autem laboret unusquisque manibus ſuis, operans quod bonum eſt, ut poſſit impertiri neceſſitatem patientibus.* Et S. Franciſcus in Regula Seraphica *cap.* 6. ordinat, *Fratres, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter & devotè, ita ut excluſô otiô, animæ inimicô, ſanctæ orationis & devotionis Spiritum non extinguant &c.* Ergo &c. *Tertiò*; Concilium Carthaginenſe IV. *cap.* 52. *ſuorum decret.* approbat, & ordinat, labores manuales debere fieri a Clericis, extra tempus miniſteriorum ſuorum; Ergo labores tales ſunt liciti Religioſis ſuo tempore; imò ſuadendi, & otioſis præcipiendi à Superioribus.

8. Objiciunt Hæretici *primò*: Salvator reprehendit Martham de labore manuali Luc. 10. dicens *Martha, Martha ſollicita es, & turbaris erga plurima.* *Secundò*, Matth. 6. dicit idem, *nolite ergo ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quò operiemur? & nolite ſolliciti eſſe in craſtinum, craſtinus enim dies ſollicitus erit ſibiipſi.* *Tertiò*, Joannis 6. dicitur, *operamini non cibum, qui perit; ſed qui permanet in vitam æternam*: quibus omnibus textibus labor manualis excluditur à Chriſti fidelibus perfectis; cujuſmodi ſunt Monachi, Religioſi, & Religioſæ: Ergo &c.

9. Reſpondeo *ad Primum* & *Secundum*; illis textibus tantùm excludi à Chriſti fidelibus ſuperfluas inordinatas, & nimias curas, ac ſollicitudines, & tempore non debito habitas circa res temporales, & maximè circa victum, & amictum acquirendum, quibus diſtrahantur ab exercitio ſpiritualium & virtutum; non verò prohibetur labor moderatus, honeſtus quotidianus, quô cibus & amictus quæritur. *Ad Tertium* dico, illum textum non excludere à Chriſti fidelibus operationes corporales; ſed incitare eos ad opera ſalutaria conducentia ad vitam æternam; cujuſmodi ſunt actus Fidei tendentes in Chriſti ſigna, obſervatio Evangelii, & aliæ virtuoſæ actiones; uti patet ex contextu.

ARTICULUS V.

De vita Eremitica quorundam in Eccelеſia.

1. DIco primò: laudabilis, utilis, & ſancta eſt vita Eremitica, quam quidam viri devoti devotè colunt in Eccleſia, ex Ordinariorum permiſſu. Ita Catholici; contra Polanum, Vorſtium, Magdeburgenſes, Bucerum, &c.

2. Probatur *primò*: hujusmodi vitæ Eremiticæ laudabilitas, utilitas, & ſanctitas colligitur ex S. Scriptura: nam Oſeæ *cap.* 2. dicit DEUS, *ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* . Et Thren. 3. habetur: *bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Domini.* Et ibidem, *ſedebit ſolitarius, & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe*; ſeu levavit ſuper ſe jugum tuum, uti habet Arabicus Alexand. *Secundò*; ejuſdem vitæ laudabilitas, utilitas, ac ſanctitas conſtat exemplô Chriſti, eandem aliquando exercentis; unde dicitur Matth. 4. *tunc JESUS ductus eſt in deſertum*

deſertum à Spiritu. Et Marci 1. *& ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum, & erat in deſerto 40. diebus, & 40. noctibus; eratque cum beſtiis.* Idem conſtat exemplô S. Joannis Baptiſtæ Eremum incolentis; unde habetur Luc. 1. *& confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël.* Idem conſtat exemplô Moyſis, qui in ſolitudine 40. annis didicit præeſſe populo; ibique in Rubo ardenti vidit Dominum. Et exemplô infinitorum priſcorum Eremitarum, qui ſtatim primis ſæculis Chriſtianitatis Eremiticam vitam duxerunt, approbante Eccleſia, & Conciliis. *Tertiò;* SS. PP. priſci plurimùm laudant Eremiticam vitam; unde D. Hieronymus ad Ruſticum ſcribens, ait; *mihi Oppidum carcer, ſolitudo eſt Paradiſus.*

3. Objectiones Hæreticorum conſiſtunt potiſſimè in calumniis; & temerariis judiciis, quæ contra Eremitas fabricant. Nec egent reſponſione.

CAPUT IX.

De Immunitate Eccleſiæ DEI, & Chriſti.

1. NOta primò: per *Immunitatem* Eccleſiæ hìc intelligitur privilegium, quô Eccleſia, ejúsque res, & Miniſtri, ac horum bona ſunt excmpta à poteſtate laica.

2. Dico primò: Eccleſia DEI, & Chriſti omnino obtinet Immunitatem Eccleſiaſticam, quâ res ejus, ac Miniſtri, necnon horum bona Eccleſiaſtica Jure Eccleſiaſtico poſſeſſa, & cauſæ eximuntur à Laica poteſtate ac judicio; quare extat in eadem Eccleſia juriſdictio, & tribunal diſtinctum, cui præfata cuncta ſubjiciuntur. Ita Catholici; contra Petrum Martyr. Brentium, Melanthonem, Proteſtantes Anglicanos, ac Calvinum ex parte; ac ex priſcis hæreticis contra Marſilium Patavinum, & Joannem de Janduno, qui omnem negarunt Immunitatem; adeò ut etiam Chriſtum dixerint non fuiſſe immunem à tributis ſolvendis.

3. Probatur *primò*: ex S. Litteris conſtat, Eccleſiam eſſe exemptam à judicio laico, & poſſidere proprium diſtinctum tribunal, ac poteſtatem gubernandi per ſuos Eccleſiaſticos Præpoſitos, & Prælatos; unde ad Hebr. 13. dicitur, *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis.* Et Act. 20. *attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam DEI.* Et Matth. 16. *tibi dabo claves regni cælorum.* Et Matth. 13. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Et Joan. *ult. paſce oves meas.* Et 1. Petri *cap. 5. paſcite qui in vobis eſt gregem*: Ergo &c.

4. Probatur *ſecundò*: Eccleſia DEI jam inde à temporibus Apoſtolorum profeſſa, & uſa eſt Immunitate Eccleſiaſtica, ſuum exercendo judicium Eccleſiaſticum circa res, & perſonas Eccleſiaſticas, harúmque bona, & cauſas; utì probat Traditio Eccleſiaſtica, & Eccleſiaſtica Monumenta: Quare S. Clemens Petri Diſcipulus ſancivit (& refertur *can. ſi quis ex Fratribus, cauſ. 11. q. 1.*) *ſi quis ex Fratribus negotia inter ſe habuerint, apud Cognitores ſæculi non judicentur; ſed apud Presbyteros Eccleſiæ quidquid illud eſt, diſcernatur.* Idem ſtatuêre alii primitivi Summi Pontifices, ùt Anacletus *epiſt. 2.* Et Alexander I. *epiſt. ad omnes Fidel.* Et Theleſphorus *epiſt. ad omnes Fidel.* Et Cajus *epiſt. ad Felicem.* Marcellus, Fabianus, Felix, Gelaſius, Symmachus, Leo I. Pelagius I. Gregorius Mag. Anaſtaſius, Innocentius I. & III. &c. paſſim relati in Corpore Juris Canonici: Ergo &c.

5. Probatur *tertiò*: Concilia varia priſca (ut poſteriora taceam) & Imperatores quoque aſſeruêre ejusmodi Immunitatem Eccleſiæ; ſignanter Concilia tria Romana ſub Sylveſtro Papa celebrata. Et Concilium Romanum ſub Symmacho congeſtum. Et Carthaginenſe III. *tom. 1. cap. 9.* relatum *in can. placuit, cauſ. 11. q. 1.* Et Toletanum *cap. 13.* Et Milevitanum I. *cap. 19.* Et Agathenſe relatum *in can. Clericum nullus, cauſ. 11. q. 1.* Et Chalcedonenſe *act. 15. can. 9.* quod refertur *can. ſi Clericus, cauſ. 11. q. 1.* Ex Imperatoribus Conſtantinus in Concilio Nicæno confeſſus eſt Immunitatem Eccleſiaſticam dicens, utì refertur *in can. Sacerdotibus, cauſ. 11. q. 1. vos à nemine dijudicari poteſtis, qui ſolius DEI judicio reſervamini; Dii enim vocati eſtis; & idcirco non poteſtis ab hominibus judicari.* Et propterea idem Cæſar ſancivit legem in Codice Theodoſia. *tit. de Epiſcopis, & Clericis lib. 7.* de Immunitate Clericorum in Judiciis. Eſt & alia Lex in eodem, quæ liberat Clericos, & eorum mancipia, à novis collationibus; & habetur *Lib. 16 Leg. 8.* quæ tamen attribuitur Cæſari Conſtantio filio

Conſtantini Imperatoris. Et citatus Conſtantius, quamvis Arianus, præfatas Conſtantini Patris ſui leges pro Immunitate Eccleſiaſtica emanatas confirmavit *lib. 9. & 10. & 12. eod. tit.* Et Theodoſius, ac Valentinianus I. *Lege ult. eod. tit.* ſic ait; *fas non eſt, ut Divini muneris Miniſtri corporalium Poteſtatum ſubdentur arbitrio.* Eandem Immunitatem Eccleſiaſticam, & tribunal diſtinctum Miniſtrorum Eccleſiæ firmavit Jovinianus, teſte Sozomeno *lib. 6. cap. 3.* Et Gratianus *Lege ult.* Et Juſtinianus in variis Legibus, ſignanter in authentica, *quomodo oporteat Episcopos.* Et Carolus Magnus *Lege capitali lib. 1. cap. 281.* Et Fridericus II. authentica *ſtatuimus. C. de Episcopis & Clericis.* Et Carolus IV. Et Honorius, ac alii juſtiſſimi, & piiſſimi Imperatores idem præſtiterunt ſuis Conſtitutionibus: Ergo &c.

6. Probatur *quartò*: varia extant heroica exempla Antiſtetum Eccleſiaſticorum, qui poteſtatem ſuam Eccleſiaſticam exemptam, & tanquam ſuperiorem laicâ exercuêre in Summos Principes, & contra eos conteſtati fuêre: unde Fabianus Papa teſte Euſebio *lib. 6. cap. 23.* Philippum I. Imperatorem Catholicum excluſit à S. Communione Paſchali, propter publica peccata; nec niſi purgatum admiſit. Et S. Ambroſius repulit ab Eccleſiæ ingreſſu Theodoſium Seniorem, ob injuſtam cædem Theſſalonicæ factam, teſte Theodoreto *lib. 5. hiſtor. cap. 17.* Et Hoſius Legatus Pontificius in Concilio Nicæno dixit Conſtantio Imperatori; *tibi DEUS imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit, &c. cave nè quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens magno crimini obnoxius fias.*

7. Objiciunt Hæretici *primò*: Act. 25. Paulus Eccleſiaſticus ad Cæſarem appellavit; utique quia agnovit in eo reſidere poteſtatem etiam ſuper Eccleſiaſticas perſonas. *Secundò*; 2. Petri *cap. 1.* habetur, *ſubditi eſtote omni humanæ creaturæ propter DEUM, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis*; ubi locutio eſt generalis, etiam complectens Clericos. *Tertiò*; Conſtantinus Imperator in quadam epiſt. relata à Theodoreto *lib. 1. hiſtor. cap. 20.* teſtatur, ſe in exilium amandâſſe Euſebium Epiſcopum Nicomedienſem; & addit ibi ordinationem ſequentem, *ſi quis Episcoporum inconſultè tumultuatus ſit, miniſteriô DEI, hoc eſt meâ executione illius audacia coërcebitur.* *Quartò*; plures Leges conditæ ſunt ab Imperatoribus, Clericos Eccleſiæ pariter obligantes, & concernentes res Eccleſiaſticas, ac Spirituales; ùt videre eſt ex *Lege placet C. de SS. Eccleſiis.* Et *Leg. 40. de Episcopis & Clericis* *Quintò*: quidam Summi Pontifices obediverunt Imperatoribus; unde Gregorius Mag. *lib. 1. epiſt. epiſtolâ 9. cap. 100.* Imperatorem Mauritium vocat ſuum Dominum, ejúsque ſe famulum proteſtatur; & legem ab eo miſſam acceptavit, ac publicari fecit. Et de Agathone Papa ſcribitur, quòd acceperit *Divalem juſſionem Conſtantini, Heraclii, & Tiberii Auguſtorum invitantium, & adhortantium, ut debeat vel Sacerdotes, vel miſſos ſuos dirigere in Regiam Urbem.* Et Agatho *epiſt.* 1. ad eosdem reſcribit, *manſvetiſſimi rerum Domini, iis quæ per ſacram Veſtram Maj. dudum præcepta ſunt, efficaciter promptam obedientiam orſus ſum exhibere.* *Sextò*; Imperatores exercuerunt jurisdictionem in Summos aliquos Pontifices, eosdem deponendo, vel eligendo, vel confirmando; utì conſtat ex Gregorio Magno *lib. 7. indict. 1.* Et ex *cap. Agatho. dist. 63.* ubi dicitur, *electus in Romanum Pontificem non ordinetur, niſi ejus decretum Imperatori primùm præſentetur.* Et Otto Imperator, legitur exauctorâſſe Joannem XIII. Et Henricus IV. Benedictum IX. ac Sylveſtrum. Et Gloſſæ *in can. Adrianus*, & *can. Synodo*, & duobus ſeq. *diſt.* 63. tradunt, jus eligendi Papas, & confirmandi in Occidenti eſſe Carolo Magno ab Adriano I. & Othoni I. à Leone VIII. conceſſum: Ergo &c.

8. Reſpondeo *ad Primum*: Paulus non poterat à Concilio,, vel S Petro tunc Eccleſiæ Summo Pontifice liberari factus reus à laicis; unde ad Cæſarem laicum neceſſariò appellare coactus fuit, penes quem erat poteſtas occidendi, & liberandi. Perhoc tamen non agnovit ſe ſub Cæſaris jurisdictione, & Eccleſiæ, & Eccleſiaſticarum perſonarum Judicium neceſſariò ad eum ſpectare. *Ad ſecundum* dico; illud dictum ideo prolatum fuiſſe à D. Petro ad Neophytos laicos, qui putabant ſe acceptâ jam Lege Gratiæ (quæ eſt libertatis Lex, & gloriæ filiorum DEI) ſe ſe fore exemptos ab obedientia Principum Laicorum: unde D. Petrus eos inſtruit dictis verbis, ut agnoſcant ſe manere ſubditos talibus Principibus, nec eximi ab eorum obedientia in rebus licitis. Cum quo ſtat, quòd Eccleſiæ, & Clerici Eccleſiæ non ſint ſubjecti Regibus & Principibus Laicis. *Ad Tertium*, Calvinus falsè allegat factum Conſtantini; nam prout in citata epiſtola genuina habetur, dictus Imperator dicit, ſe Euſebium Epiſcopum jam à Concilio Nicæno depoſitum, tantùm amandâſſe in exilium, ſeu executum fuiſſe ſententiam Concilii. Inſuper Calvinus allata verba Conſtantini falſavit; nam in textu genuino nulla comminatoria, Imperatoria verba in Epiſcopos habentur; ſed bene

in

in Laicos ſe animadverſurum affirmat, ſi Euſebium iterum in Eccleſiam receperint, excluſô verô Epiſcopô. *Ad Quartum* dico, illas Leges Imperatorum, Clericos & Eccleſias concernentes fuiſſe à principio tantùm inſtructorias; non verò obligatotias: poſtea autem, quia ſalutares videbantur Eccleſiæ, ideo Papæ & Epiſcopi illas acceptarunt, eísque vim obligandi contulerunt; ſícque jam cenſentur eſſe Eccleſiaſticæ; non autem laicæ, Immunitatem Eccleſiæ violantes. *Ad Quintum* Neg. Ant. & ad exemplum primum dico; Gregorium Mag. virum à natura ſuaviſſimum in verbis, ſolùm ex innata ſua ſuavitate, & urbanitate uti illis humanis verbis: præſertim quia tractabat cum tali Imperatore, qui à natura erat ferox, & ab eodem Gregorio *in Pſal. 5. pœnit.* vocatus, *alter Nero*, & *Diocletianus.* Præterea idem Gregorius illam Legem à Mauritio Imperatore miſſam, quâ vetabat, nè quis miles fieret Religioſus, acceptavit quidem; ſed eandem ſtatim correxit, præcipiendo, ne ſuſciperentur ante diligentem de eorum vita factam inquiſitionem; habitâ autem ejuſmodi inquiſitione juſſit, ut illi, qui vitæ ptobatæ reperti fuiſſent, omnino in Monaſterium reciperentur; utì patet ex *lib. 7. epiſt. 11.* Ad ſecundum exemplum de Agathone reſpondetur ſimiliter; Agathonem (& eſt generalis reſponſio ad alia ſimilia objecta) hunc Papam Imperatorum præfatorum juſſionem acceptâſſe ex humanitate, & urbanitate tantùm; eò quòd eſſet tunc temporis nimìs potentes, & eorum auxiliô indigerent pro Eccleſiæ defenſione præſertim in Oriente: in Occidente autem Summi Pontifices contra Imperatores plenè authoritatem, & poteſtatem ſuam exercuêrunt; eò quòd Imperatorum Occidentis, & populi eſſet major erga Summum Pontificem obſervantia. *Ad Sextum* objectum dico primò; Juſtinianum Imperatorem injuſtè ſibi uſurpáſſe illud jus, ut de ejus aſſenſu Sum. Pontifex eligeretur, ac electus ejus confirmatoriô decretô egeret (nam ante tempora Juſtiniani hoc non fuit in uſu) ut videlicet magìs dilataret Imperatorium ſuum jus, ac Conſtantinopolim præferret Romæ, quæ id temporis calamitatibus, & cladibus erat deformata: unde eâ liberatâ per Imperatores de manibus Gothorum, hanc quaſi mercedem voluit habere, ut Romani Pontificis electio ſinè ſuo conſenſu non fieret; & ut electus confirmaretur ab eo; quod & ad tempus practicatum fuit per eum, & aliquos Succeſſores Imperatores. Inſuper idem Juſtinianus voluit, ut Conſtantinopolitanus Patriarcha ſit primus inter 4. Patriarchas. Sed Phocas Imperator hoc ipſum deinde abrogavit, & decretum edidit de Primatu Eccleſiæ Romanæ, júsque omne antiquum Romano Pontifici circa electiones, & confirmationem reſtituit; utì conſtat ex hiſtoriis authenticis Eccleſiæ apud Baronium ad annos illos; & apud Bellarminum *lib. 2.* de Rom. Pontifice; Suarez. *lib. 3. cap. 29.* contra Regem Angliæ &c. Quod attinet illa exempla depoſitorum ab Imperatoribus Pontificum dico; conceſsô gratis, quòd vera ſint; attamen quia Imperatores hujuſmodi depoſitiones violentè, & contra omne jus exercuerunt, nihil per hoc infringitur Eccleſiæ Immunitas. Nam & tali modo violento Sylverius Papa à Theodoſia impia Auguſta depoſitus fuit: & Vigilius Papa à Juſtiniano relegatus: & Martinus Papa à Conſtante proſcriptus. Præterea Sylveſter III. non fuit verus Papa: nec ab Henrico IV. ſed Benedicto IX. legitimo Pontifice fuit eiectus: Benedictus autem Pontificatui renunciavit: Gregorius IV. ceſſit Henrico, & Monachus eſt effectus. Demum Joannes XIII. ab Othone partim ex ignorantia; partim ex malevolentia fuit dejectus; ſed armis, non jure fundato.

LIBER III.

Continens Controverſias de S. Scriptura, Traditionibus, Fide, Gratia, Sacramentis in Genere, ac Sacramentalibus, Cæremoniis, ac Exorciſmis.

CAPUT I.

De S. Scriptura, ſeu Verbo DEI ſcripto.

ARTICULUS I.

Quid ſit S. Scriptura? & qui ejus Canonici libri?

1\. NOta primò: nomine *S. Scripturæ* intelligitur illa locutio, in ſcriptum redacta, quæ DEUM habet authorem; ſicut Scriptura alicujus Regis vocatur illa, quæ authorem habet talem Regem. Et propterea talis Scriptura dicitur *Verbum DEI ſcriptum*, eò quòd litteris ſit expreſſa in S. Bibliis: Cenſetur autem DEUS eſſe author S. Scripturæ, ſive aliquam partem ejus digitò ſuô immediatè exaraverit; utì ſcripſit Tabulas Legis Veteris, ſeu Decalogum in lapide Exodi 32. ſive eam alteri ſcribenti dictaverit; utì dictavit plura Prophetis, de quo procedit illud 2. Petri 1. *Siquidem Spiritu S. inſpirati locuti ſunt Sancti DEI homines.* Sive tandem eam alteri dictandam, & ex ſua inſpiratione ſcribendam committat, utì Eccleſiæ, ſeu Conciliis, & Summo Pontifici ex Cathedra loquenti aliquos articulos Fidei declarandos commiſit, qui tanquam verbum DEI credi debent: nam Eccleſia, & Summus Pontifex circa res Fidei audiendi ſunt, & eis credendum, juxta illud Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus.* Et illud Deutern. 17. *qui noluerit Sacerdotis imperio obedire, ex decreto Judicis moriatur.*

2\. Nota ſecundò: nomine *libri canonici* intelligitur ille liber, qui relatus eſt in Canonem, ſeu Catalogum verum S. Scripturæ tanquam divinus, ſeu à DEO immediatè datus, vel inſpiratus: cujusmodi ſunt Geneſis, Exodus, & alii infra *concl.* 1. nominandi.

3\. Nota tertiò: ſtatim ab exordio Eccleſiæ hæreſes pullularunt circa libros Canonicos S. Scripturæ: nam Simoniaci, Marcioniſtæ, Carpocratitæ, & Cerdoniani docebant totum Vetus Teſtamentum eſſe à malo DEO dictatum, & ideo illud abjecerunt. Nicolaitæ, & Gnoſtici Pſalmos David repudiabant. Lutherus cum Judæis librum Job eliſit ex Canone legitimo. Alii Eccleſiaſtem, & Cantica Canticorum. Alii Prophetam Danielem. Alii, ùt Lutherani, Sapientiam, Eccleſiaſticum, Judith, Tobiam, lib. Machabæorum, Eſther, & Baruch. Manichæi repudiârunt novum Teſtamentum. Alii Evangelium S. Joannis reſpuerunt. Cerinthus ſolum Marcum; & Marcioniſtæ ſolum Lucam agnoverunt. Ebionitæ omnes Pauli Epiſtolas ablegârunt, Ariani, & Lutherus Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos ſuſtulerunt. Idem facit Lutherus cum Epiſtola Judæ, & Jacobi: & de Apocalypſi idem tulit judicium, quod de libro 4. Esdræ. Marcioniſtæ autem, & Alogiani eandem Apocalypſim penitus abjecerunt. Alii alios eliminarunt ex Catalogo Canonicorum librorum.

4\. Dico primò; Libri Canonici omnino cenſentur eſſe ſequentes; ſcilicet Veteris Teſtamenti Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Joſue, Judicum, Ruth, quatuor libri Regum, duo Paralipomenon, duo Eſdræ, Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Sapientia, Eccleſiaſticus, quatuor majores Prophetæ, id eſt Iſaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, & Daniel; duodecim minores Prophetæ, id eſt Oſeas, Joël, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias; duo libri Machabæorum, ſcilicet primus, & ſecundus. Novi verò Teſtamenti ſequentes; quaturor Evangelia, videlicet ſecundùm

Matthæum,

Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; Actus Apoſtolorum à Luca conſcripti; quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli, puta una ad Romanos, duæ ad Corinthios &c. duæ Epiſtolæ S. Petri, Epiſtolæ tres S. Joannis, Epiſtola una S. Jacobi, & una S. Judæ, & Apocalypſis S. Joannis Apoſtoli. Ita Catholici; contra præfatos, & alios Hæreticos.

5. Probatur *primò*: hunc Catalogum librorum Canonicorum ſtatim primis ſæculis Chriſtianitatis aſſignavit, & declaravit Innocentius I. Papa An. 402. *epiſt. ad Exuper. cap. 7.* Et Concilium Carthaginenſe III. cui S. Auguſtinus interfuit. Et Gelaſius in Concilio Romano eodem ſæculo 4. vivens, ùt patet ex *tom. 2. Conciliorum.* Et Eugenius in Concilio Florentino, cui Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ Patres interfuêre. Et Trident. *ſeſſ. 4.* Ergo &c. Deinde omnes SS. PP. hos libros pro Canonicis agnoverunt, & eos ùt tales citant in ſuis ſcriptis: Ergo &c.

6. Probatur *ſecundò* ſpecialiter de illis libris, quos tanquam non Canonicos infeſtarunt Hæretici; *primò* de libris omnibus Veteris Teſtamenti in communi; nam ut *lib. 1. cap. 1. art. 3.* oſtendi, non datur niſi unicus DEUS, infinitè bonus, à quo omnis Lex, & Scriptura S. vetus proceſſit: Ergo Vetus Teſtamentum ab eo eſt dictatum; ac proinde non reſpuendum. *Secundò*, de Pſalmis David in particulari; hi pſalmi communiter à veteri Eccleſia reputati fuêre Canonici, & à Spiritu S. inſpirati Pſalmiſtæ; unde & in Synagoga decantabantur. Inſuper omnes SS. PP. & Concilia eos recipiunt ùt Canonicos. Et quia continent partim prophetias veridicas, à Spiritu S. dictatas de Chriſto, Eccleſia &c. partim preces devotas ad DEUM; partim ſententias ſanctiſſimas &c. Ergo nulla ratio eſt eos repudiandi. *Tertiò* de libro Job, Eccleſiaſte, & Canticis: quia hos libros & priſcus approbatus Canon Hebræorum, & Concilium Laodicæum, & Carthaginenſe III. ùt Canonicos admittunt. *Quartò* de libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Judith, Tobiæ, & Machabæorum: nam hos libros tanquam Canonicos amplectitur tum cit. Concilium Carthaginenſe. Tum S. Auguſtinus, Baſilius *lib. 2. de doct. Chriſtian. cap. 8.* S. Baſilius, Innocentius I. & Gelaſius Summi Pontifices ex primis 5. ſæculis, in quibus Hæretici tenent Papas fuiſſe ſanctos, & abſque errore. *Quintò* de libris Eſther, & Baruch: Concilium vetus Laodicenſe *can. 59.* & Clemens Alex. circa An. 200. *lib 1. & 4. ſtromat.* Et Origines circa An. 230. *ad Pſalm. 1.* ac alii veteres PP. Epiphanius, Cyrillus, Hilarius &c. hos libros reponunt inter Scripturas authenticas & Canonicas. *Sextò*; totum novum Teſtamentum prout in Bibliis Catholicorum regiſtratur ſecundùm ſingulas ſuas partes, tanquam genuinam Scripturam Canonicam, & Spiritûs S. oracula continentem, conſtanter ſtatim recepit tum Primitiva Eccleſia 5. ſæculorum; uti patet ex Innocentio I. *epiſt. ad Exuper. cap. 7.* Tum Concilium Carthaginenſe, Laodicenſe &c. Tum priſci SS. PP. illorum ſæculorum, puta Auguſtinus *cit.* &c. Idem fecerunt alii poſteriores Patres; & Concilia Generalia: Ergo &c.

7. Objiciunt *primò* Hæretici: libri Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, & Machabæorum non extant in Canone Judæorum: Ergo cenſendi ſunt apogryphi, & non Canonici. *Secundò*; aliqui Patres dubitarunt de mox recenſitis libris; item de Epiſt. S. Judæ. S. Petri, S. Jacobi &c. an ſint Canonici; uti videre eſt apud Hieronymum *in præfat. in libros* Salomonis: Ergo &c.

8. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Conſeq. nam non ſolùm illi libri, qui in Canone antiquo Judæorum regiſtrantur pro Canonicis habendi ſunt; ſed & alii, quos Eccleſia nova DEI, & Chriſti deinde ùt Canonicos declaravit; unde notat Auguſtinus *lib. 18. de Civ. DEI cap. 36. Machabæorum libros non Judæi; ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Eſtque ratio; nam vetus ille Canon Judæorum traditus fuit ab Eſdra; vel ſaltèm Eſdræ tempore, quo necdum conſcripti erant libri Machabæorum. *Ad ſecundum*; conceſsô gratis Ant. quòd aliqui priſci PP. dubitârint de quibusdam libris S. Scripturæ, an reverâ Canonici ſunt, Neg. Conſeq. poſtquam enim legitimè definitus fuit ab Innocentio I. Canon librorum Canonicorum, in concluſione poſitus, nemo ampliusde iis dubitavit: unde S. Auguſtinus præfatam Pontificiam definitionem amplexatus eſt cum aliis Epiſcopis Africæ, in Concilio Carthaginenſi III. Idem fecit Exuperius cum Epiſcopis Galliæ; & Gelaſius cum Epiſcopis Concilii Romani; Eugenius cum Epiſcopis Concilii Florentini; & tota S. Synodus OEcumenica Tridentina, totáque Eccleſia Chriſtiana; exceptis Lutheranis, Calviniſtis, ac aliis Hæreticis recentioribus, ac priſcis.

ARTICULUS II.

De vera editione ; & legitima verſione S. Scripturæ

1. NOta primò : ante tempora D. Hieronymi plures erant editiones S. Scripturæ, ſeu Bibliorum; pluréſque verſiones ex Hebræo in Græcum; & ex Græco in Latinum; uti patet ex S. Auguſt. *lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 11.* Sed hæ pleræque corruptæ erant, & aliquibus erroribus ſcatentes; omnium tamen famoſior, & receptior erat editio illa, quæ ex 70. Interpretum Græco textu erat verſa, ſeu translata in Latinum ; uti patet ex S. Auguſtino, & aliis PP. Demum S. Hieronymus Vetus Teſtamentum ex Hebræo in Græcum, & finaliter ex Græco in Latinum tranſtulit: Novum autem Teſtamentum 70. Interpretum Seniorum exemplar Græcum, jam antea translatum in Latinum, in multis locis purgavit à mendis, correxítque debitè; uti teſtatur S. Auguſtinus *epiſt. ad Hieronymum.* Itaque juxta hanc D. Hieronymi verſionem, & correctionem prodiit editio totius S. Scripturæ, quæ hodie dicitur *Editio Vulgata*; & quâ Univerſa Eccleſia hactenus uſa fuit; unde Iſidorus *lib. 1. officior. cap. 12.* dicit, *de Hebræo in Latinum eloquium Hieronymus Presbyter tantùm ſacras Scripturas convertit, cujus editione generaliter omnes Eccleſiæ usque modò utuntur; eò quòd veracior eſt in ſententiis, & clarior in verbis.*

2. Dico primò: Chriſti Fideles hodie tenentur omnes S. Scripturæ libros relatos *in concluſione priori art.* recipere, & tanquam Canonicos, ac veluti Verbum DEI venerari, prout in ſola Vulgata Editione D. Hieronymi continentur; repudiatis aliis quibuſcunque editionibus. Ita Catholici; contra Lutherum, Oecolampadium, Theodorum Bibliandrum, alióſque hæreticos, nuper ſpurias verſiones, & editiones Bibliorum cudentes.

3. Probatur *primò*: ſola Editio Vulgata, & verſio S. Scripturæ, à D. Hieronymo concinnata, ab Eccleſia pro authentica agnita & præfixa eſt, atque pro omnibus Chriſti Fidelibus decretata; unde Trident. Concilium *ſeſſ. 4. in Decret. de edit.* ait, *inſuper eadem ſacroſancta Synodus conſiderans, non parùm utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ DEI, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit innoteſcat; ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & Vulgata Editio; quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis Lectionibus, Diſputationibus, Prædicationibus, & Expoſitionibus, pro authentica habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præſumat.* Et infrà: *Decernit & ſtatuit, ut poſthac S. Scriptura potiſſimum verò hæc ipſa Vetus & Vulgata Editio, quàm emendatiſſimè imprimatur.*

4. Probatur *ſecundò* : hujuſmodi Editio Vulgata magnâ diligentiâ à Summis Pontificibus Pio IV. Pio V. Sixto V. & Clemente VIII. recognita, cum antiquis exemplaribus Vulgatæ Editionis (quæ extant in Vaticana Bibliotheca) collata, & expurgata fuit à mendis librariorum, ac correctius impreſſa : Ergo eâ ſolâ uti tenentur omnes Chriſti Fideles. *Tertiò* ; quia uſum hujus Editionis tanquam omnibus Chriſti Fidelibus præceptum atteſtantur SS. PP. & ipsâ utuntur; uti conſtat ex S. Iſidoro ſupra *not.* 1. relato. *Quartò* : quia omnes aliæ Editiones poſteriores vulgatæ, quæ ab Hæreticis elaboratæ ſunt, inter ſe valdè diſſident, & ab ipſis Adverſariis reprobantur; ùt videre eſt in verſione, & Editione Lutheri, & alia Oecolampadii, & alia Theodori Bibliandri, & alia Caſtalionis, & alia Junii, & alia Tremelii, & alia Münſterii, & alia Bezæ, &c. Unde & ipſe Lutherus *in comment. de noviſſ. verbis Davidis*, ait, *omnino meliùs eſſet, retinere illam hactenus receptam, & uſitatam verſionem Bibliorum, quàm tot novas verſiones cumulari, quibus nihil proficitur, niſi quod diſſimilitudo, & diſcrepantia lectionum memoriam legentium turbet, & ſtudium remoretur, ac in multis locis incertiorem, quam fuerat, dimittat.*

5. Probatur *Quintò* : uſus Editionis Vulgatæ valde recommendat conformitatem, concordiam, ac unitatem Eccleſiæ; nam quamvis Chriſti Fideles ſint per univerſam mundi machinam diffuſi : unâ tamen loquuntur Linguâ, ac iiſdem Spiritûs S. ſententiis, formulis, ac verbis; ut proinde ipſis rectè accommodari poſſit illud, quod ſcribitur Gen. *1. cap. Erat autem terra labii unius, & ſermonum eorundem*; Et ibidem, *ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus.* Econtra verò Hæreticis varias verſiones Bibliorum introducentibus quadrat, quod ſequitur ibidem, *confundamus linguam eorum, ut non audiat unuſquisque vocem proximi ſui.* Et iterum illud ibidem, *vocatum eſt nomen ejus Babel; quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ.*

AR-

ARTICULUS III.

Utrùm expediat vulgò concedere lectionem liberam totius S. Scripturæ, ita ut ejus interpretationem quiſque facere poſſit?

1. Dico primò: non expedit cuivis de vulgo permittere totius S. Scripturæ lectionem, ita ut de ea judicium, & interpretationem pro libitu facere poſſit. Ita Catholici; contra Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas, Zwinglianos, &c.

2. Probatur *primò*: in veteri Eccleſia ſolis Sacerdotibus competebat tractare S. Litteras, & ipſis committebatur ejusdem lectio, ita ut in vetus Teſtamentum interpretationem legitimam facere poſſent; unde dicitur Mal 2. quòd ſint *Sacerdotes, quorum labia cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eorum.* Et in Lege Nova ad eoſdem dicitur Matth. *28. docete omnes gentes.* Et Marc. *16. prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et Joan. *14. Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo ille vos docebit omnia.* Et 1. ad Tim. 4. *attende lectioni, exhortationi, doctrinæ.* Et ad Tit. *2. tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam, verbum ſanum, irreprehenſibile &c.* Et 2. ad Tim. *4. prædica verbum, inſta opportunè, importunè, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Quibus, & aliis pluribus textibus non idiotis, & cuilibet de vulgo; ſed Clericis, & doctis prædicatio, quæ ſupponit S. Scripturæ lectionem & interpretationem, committitur: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò*: SS. PP. docent, S. Scripturæ interpretationem petendam eſſe è Magiſtris Eccleſiæ; & conſequenter his ſolis competit S. Scripturæ lectio; unde ait D. Auguſtinus *lib. 1. de mor. Eccleſ. cap. 1. quis mediocriter ſanus non facilè intelligat, Scripturarum expoſitionem ab iis petendam eſſe, qui earum Doctores ſe eſſe profitentur? fierique poſſe, imò id ſemper accidere, ut multa in doctis videantur abſurda, quæ cùm à Doctoribus exponuntur, eò laudanda videantur elatiùs, quò abjectius aſpernanda videbantur, & eò accipiantur aperta dulcius, quò clauſa difficiliùs aperiebantur.*

4. Probatur *tertiò*: S. Scriptura in ſuo ambitu continet multa obſcura, & difficilia intellectu; ùt infra oſtendetur: Ergo non expedit eam univerſim legi à quovis de vulgo, ita ut de ea judicium ſuum ferre, & interpretationem ac commentarium conficere licitè valeat. Unde contra Laicos ſui temporis paſſim facientes S. Scripturæ lectionem, & expoſitionem arbitrariam in eandem cudentes (utì hodiè faciunt Novatores) conqueritur D. Hieronymus *Epiſt. ad Paul.* dicens, *ſola Scripturarum ars eſt, quam ſibi paſſim omnes vendicant; hanc garrula anus, hanc delirus ſenex, hanc Sophiſta verboſus, hanc univerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant.* Et S. Jacobus plebæorum temeritatem in legendis, & exponendis S. Litteris comprimit dicens Jac. 3. *nolite plures Magiſtri fieri Fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis.*

5. Objiciunt Hæretici *primò*: omnibus, etiam plebæis hominibus promiſſa eſt doctrina, intellectus S. Scripturæ, & conſequenter ſufficiens capacitas ad ejus interpretationem: Ergo eam æquè legere, ac interpretari poſſunt. Probat. Ant. Iſa. 54. indefinitè dicitur, *ponam univerſos filios Iſraël doctos à Domino.* Et Jerem. 3. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & non docebit ultra vir proximum ſuum &c. omnes enim cognoſcent à me, à minimo uſque ad maximum, dicit Dominus.* Et Joan. 9. affirmat Chriſtus ex Prophetis, quòd *erunt omnes docibiles DEI*: Ergo &c. *Secundò*: Salvator noſter mandat omnibus, ut inveſtigent doctrinam Chriſtianam ex Scriptura S. dicens Joan. *5. Scrutamini Scripturas*: Ergo &c. *Tertiò*: Beroenſes in communi 1 & 17. commendantur, quòd quotidie ſcrutati fuerint Scripturas, an illa, quæ ipſis dicta fuerant à Paulo, & Sila, ſint conformia veritati. *Quartò*: DEUS indifferenter etiam indoctis, & plebæis myſteria Fidei revelat, juxta illud Matt. *11. abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelàſti ea parvulis*; adeoq; hi etiam S. Litteras evolvere, & dijudicare poſſunt.

6. Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Ant. & ad ejus probationem dico; per illos, & ſimiles textus Prophetas veteres duntaxat voluiſſe indicare, quòd temporibus Chriſtianorum tam publica, ac manifeſta erit orthodoxa Fides; & tam viſibilis ac conſpicua Eccleſia Catholica, ut ea neminem poſſit latere; eò, quòd infantibus ſtatim cum lacte matrum inſtillabitur. Seu vult dicere, quòd doctrina Evangelica nunquam poterit ſupprimi, & occultari; ſicut revera ab annis 1687. nunquam in occulto latitavit; ſicut latuère Hæreticorum dogmata falſa uſque ad tempus ſuorum Hæreſiarcharum. *Ad ſecundum* Neg. Ant. nam Salvator noſter ibi tantùm loquitur ad Sacerdotes, Levitas, & Phariſæos miſſos ad Joannem, qui clavim accepetant

Digitized by Google

perant ſcientiæ. *Ad Tertium* dico Beroenſes ideo commendari, quia Scripturas à Paulo, & Sila pro concione expoſitas conferebant cum ipſa explicatione, ſeu interpretatione earundem, conſiderantes, an non forſitan novis aliquibus modis, ignoratis à priſcis Doctoribus, eas gloſſarent: Quod eſt valdè laudabile, & utinam practicaretur à Chriſti fidelibus univerſis hoc noſtro tempore, quò tot peregrina dogmata in mundum invecta ſunt. *Ad Quartum* Neg. Ant. regulariter loquendo: unde in illo textu *parvulorum* nomine non veniunt indocti omnes; ſed humiles, ac nullius rei cognitione tumentes, quales erant Apoſtoli Piſcatores, ſed inſtructi à Spiritu S. & ab ipſa etiam Sapientia Incarnata, cui totô trienniô auſcultârunt.

ARTICULUS IV.

S. Scriptura non eſt ubique clara; ſed eget illuſtratione.

1. DIco primò; non omnes S. Scripturæ textus præſeferunt clarum, & cuilibet obvium apertum ſenſum; ſed quidam eorum ſunt obſcuri, & difficiles intellectu, egéntque interpretatione legitimâ. Ita Catholici; contra Lutherum, Zwingl. Calvin. Witaker. Morton. Brent. &c.

2. Probatur *primò*: quorundam textuum S. Scripturæ obſcuritas, & difficultas intelligendi conſtat ex illo Act. 8. *accurrens autem Philippus audivit eum* (ſcilicet Eunuchum Candacis Reginæ Æthiopum.) *legentem Iſaiam Prophetam; & dixit; putasne intelligis, quæ legis? qui ait, & quòmodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi.* Et ex illo 2. Pet. 3. *Paulus ſecundùm datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut in omnibus Epiſtolis loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Et propter eundem Scripturæ difficilem intellectum, ac obſcuritatem Matth. 13. *acceſſerunt ad eum* (ſcilicet JESUM) *Diſcipuli dicentes, ediſſere nobis parabolam zizaniorum agri:* Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò* afferendo quosdam paſſus S. Scripturæ difficiles intellectu: nam imprimis Prophetia Ezechielis de viſione quatuor animalium obſcuritatem, & difficilem habet intellectum. Item Prophetia Danielis de 70. hebdomadibus, & de abominatione deſolationis; de qua proinde dixit Chriſtus Matth. 24. *qui legit intelligat.* Item tota D. Joannis Apocalypſis, teſte S. Hieronymo, tot habet Sacramenta, quot verba. Et complures alii textus publicè præſeferunt difficilem intellectum, ac obſcuritatem. Unde omnes SS. PP. priſci agnoverunt ejuſmodi difficultatem Scripturarum; & ad eas intelligendas S. Baſilius, & S. Nazianzenus tredecim annis in monaſterio ſubſtitêre, continuato ſtudio earundem. Et S. Hieronymus relictis negotiis Romanis contulit ſe in Bethleëm, ubi earum ſtudio totus quantus deditus fuit Et S. Chryſoſtomus fatetur ſe ab ipſomet D. Paulo circa eas inſtructum fuiſſe. Et B. Gregorius à Spiritu S. in columbæ ſpecie comparente, juxta atteſtationem Petri Diaconi, circa eaſdem S. Litteras eruditus fuit.

4. Probatur *tertiò*: obſcuritatem quorundam paſſuum S. Scripturæ ingenuè fatentur omnes SS. PP. & ſignanter qui idiotas, & temerarios in errores inducunt: Unde D. Auguſtinus *lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 6.* dicit: *multi & multiplicibus obſcuritatibus, & ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt Scripturas, aliud pro alio ſentientes: quibusdam autem locis quid vel falsò ſuſpicentur, non inveniunt: ita obſcurè quædam dicta caliginem obducunt. Obſcuritatibus hiſce* (ait idem S. Pater ſent. 67. Proſperi.) *non temerè Scripturæ ſunt tectæ; ſed ob id maximè, ne vileſcant, & excreſcant, ut paſcant.*

5 Nota autem primò: à DD. Catholicis, tres potiſſimum cauſas afferri obſcuritatis aliquorum paſſuum S. Scripturæ. *Prima* eſt ex parte rerum, quæ tractantur in S. Scriptura: nam in ea afferuntur hiſtoriæ; ùt in Geneſi, Exodo, Numeris &c. Item Prophetiæ, ùt in Pſalmis, in Prophetis majoribus, & minoribus, ac Apocalypſi. Item myſteria Fidei de Trinitate, Incarnatione, Prædeſtinatione, reali præſentia Chriſti in Euchariſtia &c. Item morales regulæ morum. Itaque circa myſteria Fidei, & Prophetias variæ adſunt obſcuritates; & ejuſmodi myſteria ſecundùm Paulum 1. ad Cor. *cap. 13. videmus nunc per ſpeculum in ænigmate.*

6. *Secunda* cauſa eſt ex parte modi, quô res Scripturæ tractantur: res namque S. Scripturæ in pluribus locis modô umbroſô exhibentur; ob ſequentes cauſas. *Primò*, quia in S. Scriptura extant in verbis complures figuratæ, & tropicæ locutiones, metaphoræ, allegoriæ, parabolæ &c. Quibus tanquam involucris multæ veritates occultantur, quæ primum lectoris captum ſubterfugiunt; tales locutiones ſunt illa epitheta, quæ Chriſto accomodantur; ùt quòd ſit *lapis, vitis, Alpha, & Omega* &c. *Secundò*; quia in eadem S. Scriptura adſunt etiam in

ipſis

ipſis rebus figuræ, ita ut una res ſæpè ſit figura, & typus alterius rei, per illam ſignificatæ; quod non ſtatim innoteſcit: talis figura contingit, dum Agnus Paſchalis ſit figura Chriſti; & mare rubrum figura Baptiſmi: Et manna figura Euchariſtiæ. Agar ancilla Abrahæ figura Synagogæ; & Sara uxor Abrahæ figura Eccleſiæ.

7. *Tertia* cauſa obſcuritatis, & difficultatis S. Scripturæ oritur ex parte apparentis contradictionis, quam videtur prima fronte præſeferre. Tales contradictiones apparent eſſe ſequentes; Exod. *20. cap.* dicitur, *honora patrem tuum, & matrem tuam.* Sed èontra Luc. *14.* dicitur, *qui non odit patrem ſuum, & matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Item Gen. *1.* & *2.* narratur creatio mundi fuiſſe ſucceſſiva per intervalla dierum 6. Sed èontra Eccleſ. 18. dicitur, *qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.* Item Marc. *16.* dicitur, *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed è contra Matth. *10.* dicitur *in viam gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum ne intraveritis.* Item Joan. *6.* dicitur, *qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Sed èontra ibidem habetur, *Spiritus eſt, qui vivificat; caro non prodeſt quidquam.*

8. Objiciunt Hæretici contra concluſionem *primò*: S. Scriptura vocatur *lucerna*, quod ejus claritatem indicat; unde *2.* Pet. *1.* *habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* *Secundò*, Deut. *30.* dicitur, *mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum*: Ergo facilis eſt intellectus Scripturæ: nec (inquit Brentius) opus eſt montes ſuperare; vel Romam ire pro interpretatione ejus. *Tertiò*, Pſal. *18.* dicitur, quòd ſit *præceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

9 Reſpondeo *ad Primum*: S. Scripturam ideo tantùm vocari *lucernam*; quia ea debitè intellecta, & interpretata illuminat mentem caliginoſam inſtar lucernæ; quemadmodum enim lucerna in caliginoſo loco poſita ſufficiens præbet lumen, ne ibi ambulantes impingant; ita & S. Scriptura, & maximè prophetica de Chriſto legitimè expoſita, & intellecta ſufficienter lucet in mente noſtra, ut credamus in Chriſtum. *Ad Secundum* dico; per *mandatum* ibi intelligi, Legem Moſaicam quoad judicialia cæremonialia, & Decalogum; ſenſus ergo illius Scripturæ eſt, quod Lex Moſaica quoad præfata, quam ego DEUS do tibi Iſraël ſervandam, non eſt tibi ignota, neque ex remotis terris ad te afferenda (alioquin poſſet te excuſare ab ejus obſervatione) ſed eſt in corde tuo, & mente tua; quia ſufficienter tibi promulgata. Cum quo ſtat, quòd plura alia leges Moſaicæ, & maximè Prophetiæ variæ, ſint obſcuræ; pro quarum interpretatione Chriſti fideles meritò ad Cathedram Supremam Eccleſiæ, Romanum ſcilicet Pontificem, ac ejus aſſiſtentes Doctores recurrunt. *Ad Tertium* reſpondetur, utì *ad Primum.*

ARTICULUS V.

Judicium de S. Scriptura, nuper juxta textum Hebraicum, Græcum, & mentem Hæreticorum edita.

1. DIco primò: S. Scriptura, ſeu Biblia nuper à Lutheranis, & Calviniſtis edita juxta limpidum (ùt ajunt) fontem Hebraicum, ſunt depravata, & mendoſa: ac proinde inſufficientia ad probandas Fidei articulos univerſos. Ita Catholici; contra Lutheranos, & Calviniſtas.

2. Probatur: plura ſunt loca in S. Scriptura, ſeu Bibliis Hebraici textûs, quæ eorum depravationem, & corruptionem indicant: nam *primò* Pſal. *21.* (qui juxta Judæos, & Proteſtantes eſt Pſalmus 22.) ad delendam præclaram illam Prophetiam de Chriſti crucifixione, pro *caru foderunt manus meas, & pedes meos*, intruſerunt Judæi contra verborum ſenſum, & Grammaticam Hebraicam, ac antiqua ipſorum Maſſoretha ly *caari*, id eſt *ſicut Leo manus meæ.* *Secundò*, Gen. *49.* illud nomen Meſſiæ *Schiloah.* (id eſt *miſſus*, ſeu *mittendus.*) perverterunt Judæi, adjiciendo *Jod.* litteram, *Cheth* literam mutando *He*, contra Grammaticam &c. *Tertiò*, ubi legendum eſſet in Pſalm. 18. in omnem terram exivit *Kolam* (id eſt *ſonus*) eorum; utì legunt 70. Interpretes, & D. Paulus ad Rom. *10. cap.* nunc in Hebraico textu invenitur *Kavam* (id eſt *perpendiculum.* *Quartò*, in Hebræo moderno textu integræ ſubinde ſententiæ omiſſæ ſunt; ùt Joſue 21. omittuntur 4. Urbes Leviticæ, quas Rubenitæ Levitis dederunt; quæ tamen ſunt in 70. Interpretibus, & Chaldæo: & niſi addantur, nullæ erunt urbes à Rubenitis datæ Levitis; contra expreſſum DEI mandatum Joſ. 21. Et contra

S. Hiſtoriam 1. Paralip. *cap. 6.* Plures aliæ mendæ, & corruptiones ſimiles paſſim ab Expoſitoribus S Scripturæ, & Controverſiſtis, ei aſſignantur: Ergo Biblia, conformiter ad textum Hebraicum ſunt depravata, ac mendoſa; ac proinde inſufficiens & incerta regula res Fidei explicandi.

3. Dico ſecundò: pariter S. Scriptura, ſeu Biblia, edita juxta textum Græcum non correctum, ſcatent corruptionibus, & depravationibus. Ita Catholici; contra eosdem Hæreticos.

4. Probatur: plures pariter paſſus S. Scripturæ Græci textûs ſunt corrupti, & depravati: unde etiam de ipſa corrupta verſione Græca 70. Interpretum, quæ cæteris melior putabatur, ſæpe conqueritur D. Hieronymus, ùt *in præfat. 1. in Paral. epiſt. 107.* Item *epiſt. 108.* & *89.* ſub finem. Deinde aliqua loca corrupta Græci textûs adducam; & primò Joan. 7. ubi Vulgata, & vera Editio, imò & adverſariorum habet, *nondum erat Spiritus datus, quia JESUS necdum erat glorificatus*; Græca habet, *nondum erat Spiritus S.* quem textum Macedoniani depravarunt, qui Divinitatem Spiritûs S. negant. *Secundò*, 1. ad Cor. 15. ubi in Latino legitur, *omnes quidem reſurgemus; ſed non omnes immutabimur*; in Græco dicitur, *non omnes dormierunt; ſed omnes immutabimur.* *Tertiò*, Luc. 1. ubi Vulgata Editio habet, *quod naſcetur ex te*; Græca (& ex ea Calvinus, ac Biblia Geneuenſia) omittit ly *ex te*, quod factum eſt fraude Eutychianorum, & Monothelitarum. *Quartò*, in multis Græcis Codicibus omittitur *ultimum cap.* Marci; & ex S. Joanne *8. cap.* hiſtoria adulteræ. Et 1 Joan. 5. ille celebris textus, *tres ſunt, qui teſtimonium dant*, qui expùnctus fuit ab Arianis: Ergo S. Scriptura, ſeu Biblia juxta textum Græcum non correctum edita, ſcatent corruptionibus, & deptavationibus.

5. Dico tertiò: ſed & S. Scriptura, ſeu Biblia, nuper à diverſis Hæreticis juxta particularem eorum mentem verſa, in pluribus depravata, & mendoſa ſunt; nec apta regula ad Fidei dogmata inde probanda. Ita Catholici; contra Lutheranos, Calviniſtas, ac univerſos novellos verſores Bibliorum Germanicorum, Batavicorum, Anglicorum, Gallicorum, Genenenſium, &c.

6. Probatur *primò*: Biblia Novatorum imprimis non habent authenticum Canonem, cùm plures libros verorum Bibliorum aut omittant, aut tanquam non Canonicos agnoſcant; puta Eccleſiaſticum, Sapientiam, lib. Machabæor. Epiſtolam D. Pauli ad Hebræos, Et Epiſtolas Judæ ac Jacobi. Deinde Novatores nec debitam, nec fidelem, ac ſinceram verſionem Bibliorum fecerunt, cùm vel Græcum, vel Hebraicum textum, vel propriam arbitrariam mentem in hoc ſint ſecuti: ſícque mendas, depravationes, ac corruptiones plurimas intruſerunt: ut proinde ipſimet Novatores hoc ſibi objiciant. Quare

7. Probatur *ſecundò* ex mutua Hæreticorum colluſione, & impugnatione, quâ verſiones novellas tanquam ſuſpectas, adulteratas, & corruptas ſibi objiciunt. Nam verſionem Bibliorum à Luthero factam carpunt Tigutini, Oſiandrini, Bucerus, Münſterus, & Zwinglius, qui *tom. 2. de ſacra. p. 412.* inquit, *Verbum DEI Luthere adulteras, manifeſtus, & communis Scripturarum corruptor deprehenderis.* Econtra Tigurina Zwinglianorum Biblia ad ſe miſſa abjecit Lutherus, & eorum authores vocat *Anti-Chriſtos, deceptores, intellectûs aſinini homines.* Item Beza Biblia noviter versa Proteſtantium Baſilienſium, appellat *in multis impia.* Et Caſtalii verſionem vocat *ſacrilegam*, atque *ethnicam.* Item Molinæo teſte, verſio Calvini, *addit multa littera, ac litteram in multis locis transponit*: Bezæ verò, *mutat textum; & ſi omnes ejus errores notarentur* (inquit Caſtalio) *magno volumine opus eſſet.* Item Jacobus hæreticus Angliæ Rex *Verſionem novam Geneuenſium Bibliorum cenſet eſſe omnium deterrimam.*

CAPUT II.

De Traditionibus, ſeu Verbo DEI tradito.

ARTICULUS I.

Utrùm extent in Eccleſia veræ Traditiones Divinæ, & Apoſtolicæ?

1. NOta primò: in duplici differentia ſunt Traditiones, ſcilicet Eccleſiaſticæ, ac Divinæ, Apoſtolicæque. *Traditiones Eccleſiaſticæ* ſunt, quæ poſt tempora Apoſtolorum ab Eccleſia, vel SS. PP. introductæ ſunt, v. g. quòd Paſſio Domini, Reſurrectio, ac Aſcenſio in cœlum aniverſariâ ſolemnitate cele-

celebretur, utì notat Auguſt. *epiſt. 118. Traditiones Divinæ*, ſeu *Apoſtolicæ* ſunt, quæ à Chriſto dictatæ ſunt, & ab Apoſtolis traditæ Eccleſiæ; & ab Eccleſia ad poſteros Fideles ſunt tranſmiſſæ. Dicuntur *Divinæ*, quia à Chriſto DEO primariò originantur. Dicuntur *Apoſtolicæ*, quia ab Apoſtolis exceptæ & Eccleſiæ ſunt traditæ.

2. Dico primò: extant in Eccleſia DEI, & Chriſti veræ Traditiones Divinæ ſeu Apoſtolicæ, ac conſequenter præter Verbum DEI ſcriptum, etiam datur Verbum DEI non ſcriptum; ſed traditum. Ita Catholici; contra Arianos, Macedonianos, Eunomianos, Eutychianos, Pelagianos, Lutheranos, Calviniſtas, Confeſſioniſtas, Anglicanam Eccleſiam, Bezam Witakerum, Perkinſum, &c.

3. Probatur *primò*: in Eccleſia Veteris Teſtamenti extabant Traditiones Moſaycæ veræ, & Divinæ, videlicet, quòd omnes & ſinguli libri, qui regiſtrati reperiebantur in legitimo Canone Judæorum, eſſent Divini, ac à DEO inſpirati, fidéque credendi; quod tamen nusquam in Veteri Teſtamento ſcriptum eſt. Item quòd extet pro prolibus fœmineis recens natis remedium aliquod pro delendo originali peccato. Item quòd Sacrificia cruenta Legis Moſaycæ figuraverint Chriſti mortem; quorum utrumque etſi nullibi in Scriptura expreſſum, erat de fide credendum: Ergo pariter in Eccleſia DEI, & Chriſti, ſeu Novi Teſtamenti extant veræ & Divinæ ac Apoſtolicæ Traditiones; & conſequenter in eadem Eccleſia datur Verbum DEI non ſcriptum; ſed traditum.

4. Probatur *ſecundò*: S. Evangelium priùs prædicatum fuit vivâ voce, quàm ſcriptô commendatum: unde Matthæus primus omnium conſcribens S. Evangelium, illud octavô poſt Chriſti mortem annô elucubravit: Ergo illud prius fuit in Traditione: & conſequenter ſicut Evangelium tunc, ita & hodie extant Traditiones aliquæ veræ, Divinæ, & Apoſtolicæ. *Tertiò*, plura extant credenda, quæ in S. Scriptura, ſeu Verbo DEI ſcripto non exprimuntur apertè: adeoque propter Traditionem continuam Divinam, & Apoſtolicam ſunt credenda. Ant. Probat. & præterea ſimul.

5. Probatur *quartò* Concluſio, inducendo principales Traditiones Divinas & Apoſtolicas, quæ præter S. Scripturam extant. *Prima* eſt, quòd hæc tota S. Scriptura, quâ defactò utitur Eccleſia DEI, & Chriſti, ſit genuinum Verbum DEI. *Secunda*, quòd tota illa S. Scriptura in iis, quæ ad fidem, & ſalutem eſt neceſſaria, Eccleſiæ maneat ſalva, & incorrupta. *Tertia*, quòd Eccleſia habeat verum, & legitimum ſenſum S. Scripturæ. *Quarta*, quòd ſpiritus S. procedat à Patre, & Filio; quod Symbolum quidem refert, ſed clarè in S. Scriptura non exprimitur. *Quinta*, quòd Filius à Patre ſolo ſit, non factus, nec creatus; ſed genitus. Et Spiritus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus; ſed procedens. *Sexta*, quòd infantes ſint baptizandi, juxta Orig. *in cap. 6. Epiſt. ad Rom.* nam ex S. Scriptura apertè non liquet. *Septima*, quòd baptizati ab Hæreticis, non ſint rebaptizandi, juxta S. Auguſt. *lib. 2. de Bapt. contra Donatiſt. cap. 7. Octava*, quòd in Baptiſmo proferri debeat iſta forma, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Nona*, quòd certus & quidem ſeptenarius detur numerus Sacramentorum Novi Teſtamenti. *Decima*, quòd Mater Chriſti ſemper manſerit Virgo, etiam poſt partum. Et quamvis aliqua ex his etiam probari poſſint ex S. Scriptura, ùt Baptiſmus infantium ex illo Joann. 3. *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non poteſt introire in regnum cœlorum.* Et forma Baptiſmi ex illo Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.* Attamen quia non conſtat ſæpe, quis ſit verus, & legitimus ſenſus Scripturæ, niſi ex Traditione, & praxi Eccleſiæ; ideo adhuc Traditione opus eſt; ſícque Traditio Divina, & Apoſtolica extat,

6. Probatur *quintò*: Concilia OEcumenica, & SS. PP. tam Veteris, quàm Novi agnoſcunt in Eccleſia exiſtere Traditiones Apoſtolicas; ut S. Ignatius *in epiſtolis ad Epheſios, Magneſianos, Trallianos, Romanos &c.* Et Irenæus *lib. 3. cap. 2.* Et S. Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 12.* Baſilius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Auguſtinus, Tertullianus, Hieronymus &c. Ergo &c.

7. Objiciunt Hæretici *primò*: Traditiones quæque inutiles ſunt in Eccleſia: Ergo non extant. Probat. Ant. ad Fidei Myſteria ritè cognoſcenda, ad vitia extirpanda, ad juſtificationem obtinendam, & ad opera ſalutaria Chriſtiana, & Eccleſiæ neceſſitates ſufficit ſola S. Scriptura: utì conſtat ex illo 2. ad Tim. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo DEI ad omne opus bonum inſtructus*: Ergo &c. *Secundò*, omnium Traditionum uſus inhibitur in S. Litteris: Ergo nullæ Traditiones dantur. Probat. Ant. ad Gal. 1. dicitur, *licèt nos,*

aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit: Ergo &c.

8. Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Ant. cum Ant. Probationis ejusdem, & ad textum D. Pauli dico, ex eo non ſequi, quòd ſola S. Scriptura ſit utilis, & ſufficiens ad univerſa opera Chriſtianorum ritè terminanda; nam non eſt ſufficiens ad clarè, expreſsè, & infallibiliter reſolvendum, quòd hæc 4. Evangelia revera ſint S. Evangeliſtarum Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis; & alia plura; ſed ad hanc reſolutionem infallibilem requiritur Traditio Apoſtolica. Vult ergo Apoſtolus ibì tantùm, quòd S. Scriptura ſit utilis ad erudiendos ſubditos Timothei circa fidem, & mores bonos, ac corripiendos corruptos: cum quo tamen ſtat, quòd penes eandem S. Scripturam detur Traditio Apoſtolica pariter utilis ad alia quædam opera, neceſſitates, & fines Eccleſiæ. *Ad ſecundum* Neg Ant. Et ad Probat: ejusdem dico, D. Paulum loqui contra quosdam falſos Apoſtolos, qui ſeduxerant Galatas circa juſtificationem, docentes ad eam non ſufficere fidem in Chriſtum; ſed requiri etiam Circumciſionem, & obſervantiam aliarum cæremoniarum Moſaycarum: ad quam falſam doctrinam infrigendam profert citatum textum; qui proinde (utì ex ejus ſcopo præfato, ad quem prolatus eſt, patet) non excludit Traditiones Apoſtolicas veras.

ARTICULUS II.

De Neceſſitate, & obligatione obſervandi Traditiones Divinas, & Apoſtolicas.

1 DIco primò: ſumma eſt neceſſitas in Eccleſia Traditionum Divinarum & Apoſtolicarum. Ita Catholici; contra Hæreticos *priori art.* relatos.

2. Probatur *primò*: ex S. Scriptura conſtat neceſſitas Traditionum Divinarum & Apoſtolicarum: nam Apoſtoli plures inſtructiones neceſſarias circa Religionem Chriſtianam acceperunt à Chriſto, quæ ſcripta non ſunt in Codice SS. Bibliorum; unde Chriſtus dixit Apoſtolis Joan. 16. *multa habeo vobis dicere; ſed non poteſtis portare modo &c.* quibus verbis Traditionum communicatio à Chriſto facta Apoſtolis poſt Reſurrectionem indicatur. Et de iisdem neceſſariis inſtructionibus relucentibus in Traditionibus, & acceptis à Chriſto procedit illud Act. 1. *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno DEI.* Et illud Luc. 24. *aperuit illis ſenſum, ut intelligerent Scripturas.* Et 3. Joan. Joannes pariter Apoſtolus Traditionum neceſſitatem allegans ait, *plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam, & atramentum; ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui:* Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò*: SS. PP. paſſim adſtruunt neceſſitatem Traditionum Divinarum, & Apoſtolicarum; ut Irenæus *lib. 3. cap. 4.* Et Origines *tract. 29. in Matth. in fine.* Et Tertullianus *lib. de coro milit. cap. 3.* Et Cyprianus *lib. 1. Epiſt. 12.* Et Baſilius *lib. de Spirit. S. cap. 27.* Et Hieronymus *dial. adverſ. Luciferi.* Et Epiphanius *hær. 61.* ubi ait, *oportet autem & Traditione uti; non enim omnia à Divina Scriptura poſſunt accipi: quapropter aliqua in Scripturis, & aliqua in Traditione Sancti Apoſtoli tradiderunt; quemadmodum dicit Apoſtolus, ſicut tradidi vobis &c.* Ergo &c.

4. Probatur *tertiò*: multa ſunt neceſſariò credenda, quæ in S. Scriptura clarè non exprimuntur; ſed ſola Traditione Divina & Apoſtolica innoteſcunt: Ergo ad hæc credenda neceſſariæ ſunt Divinæ Apoſtolicæ Traditiones. Prob. Ant. *primò*: Fide Divina credendus eſt iſte articulus, *S. Scriptura eſt verè Divina, & à DEO revelata*; ſed hic non exprimitur in S. Scriptura: nam licèt in ea dicatur ſubinde, hoc vel illud eſſe à DEO dictatum, vel revelatum; id tamen non ſufficit per ſe; quia & Judæi in ſuo Thalmud, & Machometani in ſuo Alcorano habent, quòd eorum contenta ſint à DEO revelata, quæ tamen ſunt humana, & falſa: igitur Scripturam S. eſſe à DEO reverà revelatam, aliunde, quàm ex Scriptura certò ſcire oportet: ſed non aliunde, quàm per Traditiones Divinas, & Apoſtolicas hoc aſſerentes: Ergo hæ ſunt neceſſariæ ad credendum hunc articulum, *S. Scriptura eſt Divina, & à DEO revelata.* *Secundò*, Fide Chriſtiana neceſſariò etiam credendus eſt iſte articulus, *hæc 4. Evangelia Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis, ſunt horum Apoſtolorum veri libri, & libri Canonici*; & hæc, *4. tantùm, & non alia, quæ ſub nomine S. Thomæ, & Bartholomæi Apoſtolorum circumferuntur*: ſed hic articulus non conſtat ex S. Scriptura; quamvis enim tituli Apoſtolorum, & Evangeliſtarum ipſis præfigantur; hoc tamen non ſufficit; quia ſuppoſitii eſſe poſſunt: Ergo ad hunc articulum debitè credendum recurrendum eſt neceſſariò ad Traditiones Divinas & Apoſtolicas, aſſerentes hunc articulum. *Tertiò*, Fide pariter credendum eſt, *hunc Codicem S. Bibliorum eſſe incorruptum, & in nullo ſubſtantiali puncto vitiatum*: ſed hoc in ipſis Bibliis non reperitur;

ſed

ſed in Traditionibus Apoſtolicis : Ergo hæ ſunt neceſſariæ ad hunc articulum credendum. *Quartò*, ſimiliter firma Fide credendum eſt contra Arianos, quòd *Filius in Divinis ſit conſubſtantialis Patri, ſeu unius ejuſdémque indiviſa Subſtantia*; ſicut dicitur *in Symb. D. Athanaſii* : ſed hunc articulum SS. Concilii Nicæni firmiùs & evidentius probabant ex Traditionibus : Ergo &c.

5. Dico ſecundò : extat mandatum, & eſt gravis obligatio pro omnibus Chriſti Fidelibus, obſervandi Traditiones Divinas, & Apoſtolicas. Ita Catholici; contra eoſdem Hæreticos *art. 1.* relatos.

6. Probatur *primò* : in Veteri Teſtamento extabat mandatum, non erat obligatio ſervandi Traditiones quaſdam ſupra *art. 1. concluſ. 1.* relatas; de quibus dicitur Pſalm. 77. *quanta mandavit Patribus noſtris nota facere ea filiis ſuis, ut cognoſcat generatio altera; filii qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filiis ſuis* : Ergo pariter in Novo Teſtamento extat mandatum & gravis obligatio Traditiones Divinas, & Apoſtolicas obſervandi.

7. Probatur *ſecundò* : mandatum, & obligatio obſervandi Traditiones Divinas & Apoſtolicas conſtat ex S. Litteris Novi Teſtamenti; unde dicitur 2. ad Theſſ. *cap. 2. Fratres ſtate, & tenete Traditiones; quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Et 1. ad Tim. *ult. cap.* dicitur, *ô Timothee depoſitum cuſtodi*, id eſt, Traditiones, ſeu ſpeciales doctrinas tibi manifeſtatas obſerva ; de quibus clariùs loquitur 2. ad Tim. 1. *formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti in fide, & in dilectione in JESU Chriſto. Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum S. qui habitat in nobis.* Et rurſus *eadem epiſt. cap. 2. tu ergo fili mi confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto JESU, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus tuis, qui idonei erunt, & alios docere* : Ergo &c.

8. Probatur *tertiò* : SS. PP. uno ore docent, extare mandatum, & obligationem obſervandi Traditiones Divinas & Apoſtolicas; ùt videre eſt apud Originem *hom. 5. lib. Numeri.* Et apud Cyprianum *lib. 2. epiſt. 3.* ubi ait, *admonitos nos ſcias, ut in Calice offerendo Dominica Traditio ſervetur.* Et apud Irenæum *lib. 3. cap. 4. oportet apprehendere veritatis Traditionem; quid enim, ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis? nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias ?* Et apud Chryſoſtomum *orat. 4. in epiſt. ad Theſſal.* comentans illa verba. *Tenete Traditiones* ſic ait, *hinc eſt perſpicuum, quod non omnia per epiſtolas tradiderunt ; ſed multa etiam ſinè ſcriptis, & ea quoque ſunt fide digna : quamobrem Eccleſiæ quoque Traditionem cenſeamus eſſe fide dignam : eſt Traditio, nihil quæras amplius.* Et apud S. Auguſtinum *Epiſt. 118.* ubi ait, *illa autem quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto orbe terrarum obſervantur, dantur intelligi ab ipſis vel Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, &c. commendata, atque ſtatuta retineri ; ſicuti quòd Domini Paſſio, & Reſurrectio, & Aſcenſio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritûs Sancti anniverſaria celebrentur.* Et apud Epiphanium *hær. 61. oportet autem Traditione uti ; non enim omnia à Divina Scriptura accipi poſſunt* : Ergo &c.

9. Probatur *quartò* : Divinarum Traditionum exiſtentia, uſus, & obligatio ſtabilita fuêre per Concilia; puta in V. Synodo Conſtantinopolitana *act. 10.* Et in Nicæna Synodo II. *act. 1.* Imo & in Nicæna I. tradita affirmat Theodoretus *lib. 8. hiſtor. cap. 8.* Et noviſſimè in Tridentino Concilio *ſeſſ. 4.* & Decreto de Canonic. ſcript. inſerto : Ergo &c. Eadem decreta fuerunt per Juſtinianum Imperat. *cap. de Sum. Trinit. lib. 5.* poſtremæ editionis : Ergo &c.

10. Objiciunt Hæretici *primò* : Traditiones quæcunque Veteris Teſtamenti non habebant ullum valorem, neque obligationem; imò erant prohibitæ obſervari; unde dicitur Deut. 4. *cap. non addetis ad verbum, quod ego præcipio vobis; nec auferetis ab eo* : Ergo idem dicendum de Traditionibus Novi Teſtamenti. *Secundò*, ſimiliter in Lege Nova Traditiones prohibentur; nam Apocal. *ult. cap.* dicitur, *ſi quis appoſuerit ad hæc, apponet DEUS ſuper ipſum plagas* : Ergo &c. *Tertiò*, nullæ Traditiones ſunt neceſſariæ in Novo Teſtamento; ſufficit enim S. Scriptura, pro obtinenda vita æterna : quod conſtat ex ſequentibus Scripturæ S. paſſibus; nam Joan. 10. *Scrutamini Scripturas, quod vos putatis in ipſis vitam æternam habere.* Et Luc. 16. *habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos.* *Quartò*, Chriſtus reprehendit Traditiones Phariſæorum, opponens illis præcepta Legis Divinæ; unde interrogantibus Phariſæis Matth. 5. *quare diſcipuli tui tranſgrediuntur Traditiones Seniorum?* reſpondit, *quare & vos tranſgredimini mandatum DEI?* Et Matth. 15. ait idem Chriſtus, *irritum feciſtis mandatum DEI propter Traditionem Veſtram.* *Quintò*, ad Coloſſ. 2. mandat Apoſtolis cavere à Traditionibus, ibi, *videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundùm Traditionem hominum* : Ergo &c.

11. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad textum Deut. 4. dico, ejus ſenſum eſſe, quòd

DEUS velit, legem veterem à Judæis debere exactè obſervari, abſque ulla ejus immutatione; quod fieri poteſt, etſi admittantur, & etiam ſerventur Traditiones legitimæ Divinæ, quæ legem illam non mutant. Vel ſenſus eſt, quòd DEUS præcipiat ad Legem veterem nil addi, vel demi ſenſu privato hominum, & nè humana hiſce Divinis immiſceantur: at Traditio Divina legitima, non eſt quid humanum, & privato ſenſu hominum excogitatum; ſed Divinum quid, & ab eodem DEO Legiſlatore acceptum. *Ad ſecundum* Neg. pariter Ant. & ad textum Apocalyp. dico; per eum duntaxat prohiberi, ne verba Prophetiæ Apocalypticæ ab aliquo depraventur, additione, vel diminutione aliquorum ad eandem. *Ad Tertium* Neg. Ant. ad primum tertum S. Scripturæ probativum ejusdem Joan. 5. illum nil officere Traditionibus Divinis; nam eô mandatur ſolummodò diligens lectio S. Scripturæ, in qua rerum neceſſariarum ad ſalutem doctrinæ, & leges regiſtrantur, de quarum numero ſunt etiam Traditiones Divinæ, à S. Scriptura inſinuatæ, ut obſerventur; uti ſupra *in probationibus concl. ult.* oſtenſum eſt. Ad ſecundum textum Luc. 16. dico, pariter illô non convelli Traditiones; nam hæ pariter in Moyſe, & Prophetis habentur, ùt in Pſalm. 77. ſupra allegato: quare Hæretici audiant illum. *Ad Quartum* Chriſtus ſolùm reprehendit Traditiones humanas Phariſæorum; cujusmodi erat frequens, & importuna lotio manuum, & ſimiles, quas anteponebant obſervationi Legis & præceptorum DEI, uti conſtat ex *cap. 7.* Marc. Sed Traditiones Divinæ & Apoſtolicæ non ſunt hujus ſpeciei. Similiter de iiſdem humanis Traditionibus Judæorum procedit ille textus Matth. 15. uti & ille ad Coloſſ. 2. qui allegatur *in Objectione 5.* Vel loquitur hic Apoſtolus de Traditionibus Gentilium, quæ Fidei Chriſtianæ repugnabant.

CAPUT III.

De Fide.

ARTICULUS I.

De neceſſitate, & natura Fidei veræ ac Theologicæ.

1. Dico primò: poſt lapſum Adæ ſemper aliqua Fides vera, & Theologica habitualis, & actualis fuit neceſſaria neceſſitate medii, & præcepti ad ſalutem, omnibus hominibus adultis. Ita Catholici; contra Pelagianos.

2. Probatur prima pars: poſt lapſum Adæ omnibus hominibus adultis fuit neceſſaria neceſſitate medii juſtificatio: ſed hæc neceſſariò trahit ſecum Fidem Theologicam habitualem, & actualem: unde ait Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7. hæc tria ſimul infuſa* (ſcilicet in juſtificatione) *accipit homo, Fidem, ſpem, & charitatem*: Ergo poſt lapſum Adæ ſemper aliqua Fides Theologica & vera habitualis, & actualis fuit neceſſaria neceſſitate medii ad ſalutem.

3. Probatur ſecunda pars: in ipſa natura extat præceptum dictans, & jubens, ut quisque applicet media neceſſaria ſalutis. Et extat etiam præceptum poſitivum in S. Scriptura; unde ad Hebr. 11. dicitur *ſine fide impoſſibile eſt placere DEO.* Et ibidem *credere enim oportet accedentem ad DEUM, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Et Marc. 16. *qui non crediderit, condemnabitur.* Et Joan. 3. *qui non credit jam judicatus eſt.* Unde etiam Auguſt. *ſerm. 38. de temp.* ait, *Fides eſt humanæ ſalutis initium, ſine hac nemo ad Filiorum DEI conſortium pervenire poteſt*: Ergo &c.

4. Dico ſecundo: Fides actualis vera Theologica ad ſalutem neceſſaria eſt aliquis aſſenſus intellectûs rationem naturalem claram non præſupponens. Ita Catholici; contra Manichæos, Petrum Abailardum, Calvinum &c.

5. Probatur primò: S. Litteræ teſtantur Fidem veram Theologicam non eſſe actum naturalem, rationi ſeu naturali lumini mentis innitentem; nam D. Paulus Fidem veram ad Hebr. 11. *cap.* appellat *ſubſtantiam ſperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Et 1. ad Cor. 2. dicit de eadem, *ut Fides veſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute DEI.* Et 2. ad Cor. 10. dicit Paulus de Fide vera Theologica, *in captivitatem redigentes omnem intellectum, in obſequium Fidei.* Et propterea eadem Fides comparatur à S. Petro *epiſt. 2. cap. 1. lucernæ lucenti in caliginoſo loco*: Ergo &c.

6. Probatur ſecundò: SS. PP. concluſionem apertè aſſerunt: ùt videre eſt apud D. Baſilium Gregorium Nazian. & Auguſtinum dicentem *ſerm. 1. de Trin. fidelis ſum, credo quod neſcio.*

neſcio. Et *tract. 46. in Joan. quid eſt Fides? niſi credere, quod non vides.* Et apud Gregorium Mag. *hom. 26. in Evang.* ubi explanans illud, *quia vidiſti me Thoma, credidiſti;* ait, *profectò liquet, quòd Fides illarum rerum eſt, quæ apparere non poſſunt,* ſcilicet per diſcurſum rationis.

7. Objicit Abailardus: ut ſit Fides vera Theologica ad ſalutem neceſſaria, non debet eſſe levis, & cita; nam qui citò credit levis eſt corde: Ergo debet eſſe ex prævia ratione. Reſpondeo Neg. Conſeq. nam ad hoc ut Fides vera non cenſeatur eſſe levis, vitiosè cita, & absque fundamento, ſufficit, quòd eliciatur ex motivo Divinæ revelationis circa talem, vel talem articulum Fidei factum; tametſi ratio humana & naturalis ad eam eliciendam non concurrat: alias meritoria non eſſet; nam ùt ait D. Gregorius; *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.*

ARTICULUS II.

Quòd Fides Theologica ad ſalutem neceſſaria non ſit aliqua fiducia voluntatis.

1. DIco primò: Fides vera Theologica actualis ad ſalutem neceſſaria non eſt aliqua fiducia voluntatis; ſed aſſenſus intellectûs, quô credens firmiter aſſentitur alicui articulo revelato à DEO. Ita Catholici; contra Lutherum, Zwinglium, Melanthonem, Calvinum, Bezam, Fieldum, &c.

2. Probatur *primò*: ex S. Scriptura conſtat Fidem Theologicam actualem neceſſariam ad ſalutem non eſſe aliquem actum voluntatis, ſeu fiduciam; ſed actum intellectûs; unde ipſa vocatur ad Hebr. 11. *argumentum non apparentium;* id eſt, *convictio,* & *demonſtratio,* ùt vertit Auguſtinus *lib. 13. de Trin. cap. 1.* & Chryſoſtomus in memoratum paſſum: ſeu ùt legit Syrus *perſuaſio,* quæ omnia ad intellectum pertinent; quaſi dicat Paulus, Fides eſt lumen, quo convincitur intellectus credentis, ad ea firmiter credenda, quæ non videt: Ergo &c.

3. Probatur ſecundò: in eadem S. Scriptura dicitur ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbô DEI, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.* Et Joan. 17. *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum DEUM verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum:* ſed intelligere, & cognoſcere ſunt actus intellectûs, & non voluntatis: Ergo Fides Theologica ad ſalutem neceſſaria eſt actus intellectûs, & non voluntatis.

4. Objectiones Hæreticorum ſolvuntur infra *cap. 4. de Juſtificatione,* quam Hæretici prætendunt fieri per Fidem, quæ eſt fiducia quædam hominis in promiſſiones Divinas de ſuis pecccatis remiſſis.

ARTICULUS III.

An Fides vera ſit multiplex; & an quisque in ſua poſſit ſalvari?

1. DIco primò: unica duntaxat eſt Fides vera, conducens ad vitam æternam attingendam. Ita Catholici; contra Mahometanos, Calvinum, Deiſtas, ſeu novos Arianos.

2. Probatur *primò*: ex S. Scriptura conſtat, unicam duntaxat eſſe Fidem veram, proficuam ad vitam æternam adipiſcendam; hinc monet Apoſtolus ad Hebr. 13. *doctrinis variis nolite abduci.* Et 1. ad Cor. 1. rogat Fideles, *obſecro vos Fratres per nomen Domini noſtri JESU Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis Schiſmata; ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia.* Et ad Epheſ. 4. ait, quòd ſit *unus Dominus, una Fides, unum baptiſma;* Ergo *væ* (inquit Eccleſ. 2.) *peccatori terram ingredienti duabus viis;* væ Novatoribus in dies novas vias Religionis excogitantibus, & ingredientibus. Ex his ulterius.

3. Dico ſecundò: nequit unuſquiſque Sectarius in ſua Fide ſalvari ex eo, quòd ſolùm confusè credat in JESUM Chriſtum, aut explicitè in ſolos articulos Symboli Apoſtolici: ſed in ſola Catholica Fide eſt ſalus. Ita Catholici; contra Libertinos Novatores, ſeu Politicos modernos.

4. Probatur *primò*: ex dictis priori concluſione, unica eſt duntaxat Fides, vera conducens ad vitam æternam, quæ eſt Catholica: Ergo non unuſquiſque Sectarius ſalvari poteſt in ſua ex eo præcisè, quòd credat confusè in JESUM Chriſtum, aut explicitè in Articulos Symboli. *Secundò;* ſi unuſquiſque Sectarius poſſet ſalvari in ſua Fide, ad quid jubentur zizania, quæ à Diabolo ſeminantur in medio tritici (id eſt Hæretici.) alligari in faſciculos ad comburendum? item ſi Lutheranus in ſua Fide, Calviniſta in ſua, Zwinglianus in ſua ſalvari poteſt, cur tot lites, & Controverſiæ inter eos ſuſcitantur? aut cur Lutherani excludunt Catholicos, & Calviniſtas;

niſtas? aut cur tot Concilia Generalia etiam priſca tot expenſis, & fatigiis ſunt celebrata contra novas Sectas erumpentes? aut cur SS. PP. veteres tot codices ſcripsêre contra Arianos, Neſtorianos, Pelagianos, Donatiſtas, Luciferianos &c. Ergo &c.

5. Objiciunt Hæretici *primò*: Joan. 3. dicitur, *ut omnis qui credit in illum* (ſcilicet Chriſtum) *non pereat: ſed habeat vitam æternam.* *Secundò*: 1. ad Cor. 3. dicitur, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere; præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JESUS*: Ergo quicumque Sectarius tenens hoc fundamentum credendo in Chriſtum, poteſt ſalvari in ſua Fide. *Tertiò* 1. Joan. 4. dicitur, *quiſquis confeſſus fuerit, quoniam JESUS eſt Filius DEI, DEUS in eo manet, & ipſe in DEO.* *Quartò*: incredibile eſt, & contra DEI miſericordiam, ut tot Sectarii, extra Fidem Catholicam viventes in Germania, Anglia, Dania, Suecia, Moſcovia, Ungaria & alibi, damnentur: Ergo &c.

6. Reſpondeo *ad Primum*; illum textum Scripturæ Joan. 3. intelligi non de confuſa Fide in Chriſtum; ſed de diſtincta, & in particulari quoad præcipua myſteria nobis revelata: nam Chriſtus proferens illum textum, locutus eſt in particulari de myſterio ſuæ Divinitatis, & quòd ſit Unigenitus DEI Patris; uti conſtat ex contextu, qui ſic habet, *ſic DEUS dilexit mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum non pereat.* *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam eſt eadem reſponſio, uti antè; hic enim textus Pauli petit, ut credens in Chriſtum Fundamentum, credat in præcipua ejuſdem Chriſti myſteria; uti alibi ſe explicat idem Apoſtolus, ſcilicet ut credat in Divinitatem, ad Rom. 14. *qui prædeſtinatus eſt Filius DEI in virtute*: & in humanitatem ad Galat. 4. *miſit DEUS Filium ſuum factum ex muliere*: & in Paſſionem 1. ad Cor. 2. 3. *nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum*: & in mortem, Sepulturam, & Reſurrectionem 1. ad Cor. 15. *tradidi enim vobis imprimis, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundùm Scripturam; & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die*: & in Aſcenſionem ad Eph. 4. *aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*; & ſic de aliis myſteriis alibi, quæ D. Athanaſius inſeruit ſuo Symbolo. *Ad Tertium* dico; iſtum paſſum pariter eſſe intelligendum de diſtincta, completa, & ſpecifica Fide in cætera quoque myſteria Chriſti; aliàs eorum credulitas gratis nobis inculcaretur in mox præfatis locis D. Pauli & aliis: unde in iſto textu 1. Joan. 4. non dicitur, *quiſquis ſolùm confeſſus fuerit.* *Ad Quartum* dico; hoc non magìs eſſe incredibile, nec videri magìs contra DEI miſericordiam, quàm quòd olim totus ferme mundus; & hodie in variis regnis vixerit ſub idololatria, & ſic perierint multæ milliones hominum; & hodie pereant tot millia Mahometanorum.

ARTICULUS IV.

Utrùm Fides Theologica ſtet cum peccatis, quæ non ſunt contra Fidem?

1. Dico primò: Fides Theologica non amittitur per quodvis peccatum mortale; ſed remanet in peccatoribus illis, qui aliqua peccata, non tamen incredulitatis committunt. Ita Catholici; contra Lutherum, Melanthon. Calvinum &c.

2. Probatur *primò*: Fides Theologica non amittitur per peccatum, expellens charitatem; ſicut conſtat ex illo 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum*: Ergo &c. *Secundò*: ſimiliter Fides non amittitur per vitioſam vitam; uti patet ex illo Matth. 7. *multi dicent mihi in illa die, Domine Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus, & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos*: nunquam; hoc eſt, nec tunc quidem, quando ex Fide miracula edebatis; ſed vitam, Fidei decretis conſentaneam non ducebatis: Ergo &c.

3. Probatur *Tertiò*: Concluſio clarè patet ex illa parabola Matth. 25. ubi vox illarum quinque Virginum fatuarum, *Domine Domine aperi nobis* apertè demonſtrat, illas habuiſſe Fidem, & ſimul etiam peccata, quandoquidem eiſdem clauſa fuit janua; & quia Sponſus eis reſpondit, *amen dico vobis, neſcio vos.* Item ex illa parabola Matth. 22. ubi in convivio regio nuptiali repertus fuit quidam homo, non habens veſtem nuptialem; id eſt charitatem, ſeu ſtatum gratiæ excludentem peccata mortalia; habens tamen Fidem, quia jam per eam intraverat ad locum convivii, id eſt in Eccleſiam: quam Gloſſam dat Gregorius *hom.* in hunc paſſum Matth. dicens, *quid ergo debemus intelligere per veſtem nuptialem, niſi charitatem? intrat enim ad nuptias; ſed cum veſte nuptiali non intrat, qui in S. Eccleſia fidem habet; ſed charitatem non habet.* Item ex aliis parabolis conſtat

ſtat peccatores remanere Fideles, eos ad Eccleſiam pertinere, & conſequenter habere Fidem; nam zizania ſunt in eodem agro Eccleſiæ cum tritico Matth. 13. Et in eadem ſagena piſces boni, & mali Matth. 13. Ergo &c.

4. Objiciunt Hæretici *primò*: Jac. 2. dicitur. *Fides ſinè operibus mortua eſt*: Ergo ſicut homo mortuus non eſt verus homo; ita neque in peccatoribus erit vera Fides. *Secundò* 1. ad Tim. 5. dicitur *Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, Fidem negavit, & eſt Infideli deterior*: Ergo in malis Patribusfamilias non eſt Fides. *Tertiò*: ex Fide neceſſariò naſcitur charitas, ſeu ſtatus gratiæ; tantáque eſt Fidei connexio cum charitate, ut altera ſinè altera eſſe non poſſit; unde Joan. 13. dicitur, *in hoc cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*: Ergo &c. *Quartò*; aliqui PP. connectunt veram Fidem cum charitate; unde Gregorius *hom. 29. ſuper Evangel.* dicit, *vera etenim Fides eſt, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit.*

5. Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Conſeq. quia S. Jacobus *loc. cit.* non confert Fidem mortuam cum homine mortuo; ſed cum corpore mortuo; quod verè eſt corpus, licèt non vivum; ita etiam Fides Theologica charitate vacua, eſt quidem Fides vera; at non viva; ſed mortua eſt. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. quæ non ſequitur ex illo Ant. Sed potius hæc ſequitur: Ergo peccator, ſeu malus Paterfamilias negat ſe Fidem habere; quia ita ſe gerit, ut qui facta ejus inſpiciunt, meritò ſibi perſuadeant, illum Fide carere; eò quòd ponat actiones, planè contrarias Fidei, juxta dictum Apoſtoli ad Tit. 1. *qui verbis confitentur ſe noſſe DEUM, factis autem negant.* Et ita interpretabantur hunc locum Anſelmus *in Comment.* ſuper hunc paſſum. Et Hieronymus *lib. 2. contra Jovian.* *Ad Tertium* Neg. Ant. illa autem authoritas Joan. 13. procedit de Fide formata charitate, ſeu perfecta, ac completa, quæ ſemper petit charitatem: itaque ſenſus hujus textûs eſt; tunc cognoſcent omnes, vos eſſe perfectos, & completos Fideles, ſi charitatem ad invicem oſtenderitis; perfecta enim Fides eſt illa, quæ per charitatem operatur, ad Gal. 5. *Ad Quartum* dico; SS. PP. ſignanter Gregorium, *cit.* connectentes Fidem cum charitate, loqui pariter de Fide formata, ſeu perfecta, ac completa: cum quo ſtat, quòd Fides charitate vacua ſit vera Fides; etſi imperfecta, & incompleta.

ARTICULUS V.

An liceat aliquando negare Fidem?

1. DIco primò: nec ob metum tormentorum, nec ob mortem ipſam, ullo unquam tempore licet negare Fidem. Ita Catholici omnes; contra plures veteres Hæreticos, Gnoſticos, Helceſaitas &c. Quos recenſet Euſebius *lib. 6. Hiſt. c. 28.* & Tertull. *in Scorpiaco*: ac contra Recentiores noſtros Libertinos, atque Anabaptiſtas.

2. Probatur *primò*: ex Scriptura conſtat, Fidelem non poſſe ex ulla cauſa negare Fidem; unde dicitur Matth. 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum, coram Patre meo.* Et Luc. 9. *Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere* (negando ſcilicet Fidem, ut à morte temporali liberetur) *perdet illam*, æternaliter, ſcilicet: quæ explicatio colligitur ex ſequentibus verſibus textûs; *Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in Majeſtate ſua, & Patris, & SS. Angelorum.* Et 2. ad Tim. 2. *Si negaverimus, & ille negabit nos.* Unde S. Auguſtinus *tract. 66. in Joan.* *Quanta vita eſt confiteri Chriſtum; tanta mors eſt, negare Chriſtum*: Ergo &c. *Secundò*: idem patet ex factis SS. Martyrum, qui in omni ætate graviſſima tormenta & ipſam potiùs mortem ſubiêre; quàm Fidem negarunt. *Tertiò*, idem conſtat ex perpetuo Eccleſiæ judicio; quæ ſemper judicavit maximum eſſe crimen, metu mortis negare Fidem; ùt patet ex *Can. Apoſt. 61.* Concilio Nicæno, *Can.* 10. & aliis antiquis: Ergo &c.

3. Dico ſecundò: Neque etiam licet negare Fidem indirectè, inter Turcas, alióſque Infideles, negando ſe eſſe Chriſtianum; vel inter Hæreticos, ſe eſſe Papiſtam, Romaniſtam &c. neque licet uti verbis ambiguis, aut reſtrictione mentali, quando agitur de confitenda, aut neganda Fide, ex quibus audientes communiter intelligerent ipſum negare ſe eſſe profeſſorem talis Fidei. Ita Catholici veri; contra quoſdam Politicos modernos.

4. Probatur prima, & ſecunda pars: præceptum de non neganda Fide intelligitur tam de negatione directa, quàm de indirecta; quia utrobique verè, & realiter negatur Fides: & irrogatur magna injuria cultui veri DEI: unde qui negat ſe eſſe Chriſtianum, negat Chriſtum; uti patet ex ſermone Chriſti; *ter me negabis*; Item qui negat ſe Papiſtam

eſſe, ſecundùm omnium æſtimationem negat myſteria propoſita à Papa: Ergo &c.

5. Probatur tertia pars: ſi quis poſſet hôc modô licitè per verba ambigua, vel reſtrictionem mentalem negare Fidem, ſequeretur, quòd poſſet nunquam confiteri Fidem, ob metum mortis, tormenti; & ſic præceptum Confeſſionis Fidei, à Chriſto propoſitum eſſet inutile; ſed ſequela eſt falſa: Ergo &c. Prob. ſequela: quia in omni caſu facilè inveniretur ambiguum aliquod verbum, vel reſtrictio ad eludendum interrogantem me de Fide: Ergo &c. Præterea SS. PP. præcipuè Cyprianus *Epiſt. 52. &c.* & Eccleſia olim judicarunt graviter peccâſſe Chriſtianos quosdam dictos *Libellaticos*, qui pecuniâ ſibi impetrabant libellum à Judice Gentili, quô ſignificabatur, ipſos immolâſſe idolis; licèt in re nunquam immolaſſent: Ergo &c.

6. Nota tamen: quòd ſi ſub nomine *Chriſtiani* alia conditio Perſonæ intelligatur ab interrogante, quàm Profeſſor Fidei Chriſtianæ, v. g. in bello contra Turcas; ſi Turcæ per Chriſtianum intelligant ſuum hoſtem, nil de Fide curando; tunc negare ſe Chriſtianum, non eſt contra Confeſſionem Fidei; ſed contra veritatem tantùm. Similiter, ſi quis interrogetur, an ſit Papiſta, cum intentione inferendi ipſi mortem, non in odium Fidei Papalis; ſed in odium Nationis, ſubjectæ in politicis Papæ; utì contigit tempore Urbani VIII. gerentis bellum cum Duce Florentino, & Parmenſi; tunc poſſet ſe negare Papiſtam eſſe; nec plus in tali caſu peccaret contra Fidem, quàm ſi negaret ſe eſſe Sileſium vel Bohemum. Objectiones ſunt exigui momenti; unde eas omitto.

ARTICULUS VI.

An liceat ſimulare Fidem alienam, utendo Cæremoniis illius?

1. DIco primò: nunquam licet ſimulare Fidem utendo Cæremoniis falſæ Religionis, quando prudenter à circumſtantibus poſſet exiſtimari, hujusmodi uſum eſſe revera ſignum profeſſionis Religionis falſæ. Ita Catholici; contra quosdam Politicos hujus ſæculi.

2. Probatur *primò*: hujusmodi ſimulatio vetita eſt 2. ad Cor. 6 *nolite jugum ducere cum Infidelibus; quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? aut quæ pars Fideli cum Infideli?* Ergo &c. *Secundò*, per ſimulationnm, & uſum ſimilium Cæremoniarum falſæ Religionis ſimulans reverà profitetur ad extra falſam Religionem, cum ſcandalo ſuorum confidelium, quod eſt illicitum: Ergo &c. *Tertiò* roboratur Concluſio exemplô Eleazari in lib. *Machabæorum*; & multorum SS. Martyrum; ùt Sabæ, teſte Metaphraſte; & Gordii teſte S. Baſilio *hom. 19.* qui ſollicitati ad ſimulationem falſæ Religionis, nunquam poterant induci; qui proinde plurimùm ab Eccleſia recommendantur: Ergo &c. *Quartò*; quia hic fuit indubitatus Eccleſiæ ſenſus, quæ ſemper habuit tanquam negatores Fidei, & lapſos in Fide, qui etſi Fide interiùs retentâ exteriùs per ſimulationem actus ſimulatos fecerunt. *Quintò*, accedit exemplum Marcellini Papæ incenſum coram idolis imponentis, & fumigantis; quod factum tanquam malum deinde amara pœnitentiâ expiavit: Ergo &c.

3. Objicies *primò*: Jehu 4. Reg. 10. ut poſſet occidere omnes Sacerdotes Baal, omnes convocavit ſimulans ſe velle ſolemne Sacrificium offerre Baal; & tamen laudatur à Scriptura ipſius factum per illa verba; *ſtudiosè egiſti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis*: Ergo &c. *Secundò*; 4. Reg. 5. Naaman Syrus mundatus à lepra per Elizæum promiſit, ſe non amplius facturum holocauſtum diis alienis; ſed ſoli DEO, & rogavit Prophetam dicens v. 18. *Depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remmon, ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus ſervo tuo*: Elizæus illi reſpondit; *Vade in pace*: quaſi diceret, poteris hoc bonâ conſcientiâ facere, ſecluſo animo adorandi illud: Ergo &c.

4. Reſpondeo *ad Primum*: Neg. Conſeq. nam Jehu per illam Simulationem peccavit; ùt docet S. Auguſtinus *lib. contra mend. c. 2.* & S. Thomas &c. Unde Dominus in Scriptura non laudat hanc ſimulationem; ſed ſolùm ipſius factum, quòd videlicet occiderit omnes Sacerdotes Baal; & domum Achab funditùs deleverit. *Ad ſecundum* dico; Naäman Syri adorationem in templo non fuiſſe Cæremoniam, ſeu actum Religionis, quô coluiſſet falſum DEUM; ſed erat tantùm ſervitium politicum, quod licitè præſtabat ſuo Regi, flectendo dum Rex genu flecteret; exhibendo præcisè per hoc actum famulitii. Hinc colligitur excuſari ſervos, dum adeunt cum Dominis templa Turcarum, aut Hæreticorum pro ſervitio politico præſtando: non tamen pro actu Religionis.

ARTI-

ARTICULUS VII.

De Fide ſpeciali quorundam Hæreticorum.

1. DIco primò: non pertinet ad Fidem veram Theologicam, & ad ſalutem neceſſariam, ut quiſque adultus certâ Fide ſpeciali teneat, peccata ſibi certò eſſe remiſſa, ſe juſtificatum eſſe, ſibi præparatam eſſe ſalutem æternam, & ſe regni cœleſtis hæreditatem aditurum. Ita Catholici; contra Lutheranos, Calviniſtas, aliúſque Novatores,

2. Probatur *primò*: nuſquam in S. Litteris præfata puncta Fidei ſpecialis leguntur eſſe revelata, & propoſita in ordine ad certa Fide de ſe eadem credenda: imò è contra in iisdem S. Litteris incertitudo cujusvis hominis privati de jam aſſecuta ſua juſtificatione asſeritur; unde dicitur Eccleſ. 9. *neſcit homo, utrùm amore, an odiô dignus ſit.* Et Eccleſ. 5. *de propitiato peccato noli eſſe ſinè metu.* Et propterea rectè dicitur Proverb. 28. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus.* Et D. Paulus monet 1. ad Cor. 4. *nolite ante tempus judicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium.* Et ibidem idem Apoſtolus allegans incertitudinem ſuæ juſtificationis dicit, *ſed neque me ipſum judico; nihil enim mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum; qui autem judicat me, Dominus eſt*: Ergo non pertinet ad Fidem Theologicam veram, & neceſſariam ad ſalutem, ut quisque certa Fide teneat, peccata ſibi certò eſſe remiſſa, aut ſe juſtificatum eſſe, &c.

3. Objiciunt Hæretici *primò*: incertitudo juſtificationis (quam aſſerunt Catholici) excarnificat conſcientias, adimit quietem ac gaudium cordis, & adducit deſperationem: Ergo ſatius eſt aſſerere quemlibet Chriſtianum debere credere certâ Fide ſuam juſtificationem. *Secundò*; in Symbolo Fidei proponitur nobis credenda remiſſio peccatorum, ſed non aliorum, quàm noſtrorum: Ergo &c. *Tertiò*; 1. Joan. 3. *ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres.* *Quartò*; ad Rom. 4. *cap.* dicitur, *ideo ex fide, ut ſecundùm gratiam firma ſit promiſſio*; id eſt, ut certi ſimus de peccatorum remisſione: Ergo &c.

4. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam experientiâ conſtat, bonorum Catholicorum conſcientias non excarnificari incertitudine juſtificationis ſuæ particularis; neque eos propter eandem incertitudinem eſſe inquietos, triſtes, aut deſperatos: nam hi, quibus charitas DEI diffuſa eſt in cordibus ſuis ad Rom. 5. certa ſpe, & fiducia nituntur (quæ non confundit) & DEI miſericordiam intuentur, de obtinenda juſtificatione; unde quadrat ipſis illud 1. Joan. 3. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM*: ſolantur eosdem, & anxiam dubitationem de juſtificatione obtenta adimunt absque ulla ſpeciali fide Lutherana, quies interna, mens ſerena, internum gaudium, pœnitentiæ opeſa aſſumpta, victoria obtenta ſuper iram, libidinem, inanem gloriam, ac ſimilia vitia, horror à vitiis, delectatio in virtutibus exercendis &c. *Ad Secundum* dico credere illâ remisſionem peccatorum *in Symbolo Fidei* expresſam tanquam credendam, non eſt credere ſibi, vel alteri eſſe remiſſa peccata; ſed eſt credere, quòd in Eccleſia ſit poteſtas, quam ipſa habet remittendi peccata, ob merita Chriſti; & hanc remiſſionem credere debemus futuram circa nos peccatores, ſi Sacramenta Eccleſiæ, præſertim Baptiſmi, & Pœnitentiæ ritè frequentaverimus. *Ad Tertium* dico, in iſto textu 1. Joan. 3. ly *vita* non capitur pro juſtificatione; ſed pro vita æterna, ut ſenſus ſit, ſcimus fore participes æternæ vitæ, dummodo proximos diligamus: unde ly *quoniam* uſurpatur pro *ſi*. *Ad Quartum*, genuina interpretatio hujus textûs eſt, quòd firma ſit promiſſio DEI facta fidelibus de juſtitia, ſeu juſtificatione; id eſt quòd ſuum ſortiatur effectum, ſinè ullis legis veteris operibus; ſed per Fidem in Dominum JESUM Chriſtum; cum quo ſtat, quòd hanc juſtitiam hìc & nunc quilibet in particulari de ſe certò credere neceſſe non habeat.

ARTICULUS VIII.

Variæ reſolutiones Catholicæ circa Fidem.

1. DIco primò: Fides vera Theologica non eſt ullis erroribus permixta. Ita Catholici; contra Calvinum *lib. 3. inſtit. cap. 2.*

2. Probatur *primò*: Fides vera Theologica tota quanta proficiſcitur à Spiritu S. qui non eſt Spiritus errorum, ſed Magiſter veritatis puræ; unde dicitur Joan. 16. *cùm venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*: Ergo &c. *Secundò*; ſi minimus Fidei

veræ Theologicæ articulus eſſet affectus aliquo errore, uti blasphemat Calvinus, ſanè de omni articulo ejus dubitari poſſet; ſicque caſſa foret promiſſio Chriſti, *ego vobiscum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſeculi.* Item Eccleſiæ authoritas proponentis articulos Fidei eſſet fallibilis; contra dicta *lib. 2. cap. 6. art. 5.* Item Religio Chriſtiana nullum haberet firmum fundamentum; contra Apoſtolum 2. ad Tim. 2. *ſed firmum fundamentum DEI ſtat:* Ergo &c.

3. Dico ſecundò: Fides vera Theologica reddit Fideles infallibiliter certos de illis articulis, quos dogmatizat. Ita Catholici; contra eundem Calvinum.

4. Probatur propterea Fides vera Theologica tam eſt certificans credentem, ut vincat omnes veritates certas mundi; unde dicitur 1. Joan. 5. *hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, Fides noſtra.* Et ideo etiam D. Petrus prædicans Judæis dicit Act. 2. *certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael.* Et D. Paulus 1. ad Cor. 9. de certitudine ſuæ Fidei ait, *ego ſic curro, non quaſi in incertum.* Etenim *ſi incertam det vocem tuba, quis parabit ſe ad bellum?* inquit idem Apoſtolus 1. ad Cor. 14. Et S. Auguſtinus *lib. de Fide ad Petr. cap. 36. firmiſſimè tene, & nullatenus dubites.* Eadem certitudo patet ex ſacris Canonibus omnium Conciliorum Generalium, qui articulos Fidei tunc controverſos tanquam certiſſimos, & certificantes Fideles eosdem obſervantes definierunt ex inſtinctu Spiritûs S. Ergo &c.

5. Dico tertiò: Fides vera non naſcitur niſi ex auditu Chriſti, & ejus Spiritu Divino, inſpirante Apoſtolis, & Eccleſiæ, ac Summo mo Pontifici res credendas. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, Anabaptiſtas &c.

6. Probatur ad Rom. *10. cap.* profertur concluſio, dum dicitur, *Ergo Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Et 1. ad Theſſ. 2. *quoniam cùm accepiſſetis à nobis verbum auditus DEI, accepiſtis illud, non ut verbum hominum; ſed, ſicut eſt verè, verbum DEI, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* Et huc etiam collimavit olim Prophetia Iſa. 54. *ponam univerſos filios tuos doctos à Domino.* Et illud Luc. 10. *qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit:* Ergo &c.

7. Nota primò: reliqua Fidem concernentia, in aliis Capitibus afferentur; maximè quâ ratione Fides juſtificet, *cap. ſequenti, art. 3. & 4.*

CAPUT IV.

De Gratia Juſtificante; & Juſtificatione.

ARTICULUS I.

De natura, nominibus, & exiſtentia Gratiæ Juſtificantis.

1. NOta primò: duplex ſolet hominibus à DEO largiri gratia, una auxilians; altera juſtificans. De prima agitur *ſequenti cap.* De ſecunda *hoc cap.* Hæc Gratia Juſtificans eſt quoddam ſpeciale, & ſupernaturale donum DEI; & deſcribitur communiter à Catholicis Doctoribus, quòd *ſit forma quædam ſupernaturalis, intrinſecè animæ inhærens, eandémque juſtam, ac DEO gratam faciens, & ad vitam æternam ordinans.* De hac acris eſt diſceptatio inter Catholicos, & Hæreticos recentiores.

2. Nota ſecundò: Gratia Juſtificans ob illuſtria officia, quæ exercet, & ſpeciales effectus, quos producit in anima Juſtificati, à S. Litteris, & Doctoribus varia ſortitur nomina, quibus etiam ejus exiſtentia, & neceſſitas plurimùm probatur, præter argumenta infra adducenda. *Primò* itaque vocatur *Spiritus Sanctus* ad Gal. 4. *miſit DEUS Spiritum Filii ſui in corda noſtra clamantem, Abba Pater:* eò quòd Gratia Juſtificans efficiat Filios DEI, juxta illud ad Rom. 8. *quicunque Spiritu DEI aguntur hi ſunt Filii DEI. Secundò*, vocatur *Arrha*, ſeu *Pignus* hæreditatis, juxta illud 2. ad Cor. 1. *qui dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris*; Gratia namque Juſtificans confert homini jus ad vitam æternam, quæ eſt hæreditas noſtra; ſicut pignus oppignoranti dat jus ad hæreditatem, juxta illud ad Rom. 8. *ſi enim Filii ſumus, utique & hæredes quidem DEI, cohæredes autem Chriſti. Tertiò* vocatur *Lux* juxta illud 2. ad Cor. 4. *qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris:* per hoc enim donum mirum in modum noſtra illuſtratur mens, expulſis tenebris peccatorum. *Quartò*, appellatur *ſanctitas*, juxta illud ad Epheſ. 4. *induite novum hominem, qui ſecundùm DEUM creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis:* quia hôc donô Chriſtianus conſecratur DEO ad naturam Sanctorum accedens, efficitúrque plenus Deô, & deſinit eſſe profanus. *Quintò*, vocatur *vita* juxta illud

1. Joan.

1. Joan. 3. *tranſlati enim ſumus de morte ad vitam*: cùm per hoc donum peccator revocetur ad vitam, ſinè quo priùs erat mortuus moraliter. *Sextò*, vocatur *unctio*, juxta illud 1. Joan. 2. *unctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis*; hôc donô enim anima Chriſtiana ungitur, conſecratúrque DEO. *Septimò* dicitur *ſemen DEI*, juxta illud *cit. ep. cap. 3. qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit; quia ſemen ejus manet in eo*; hoc enim donum habet ſe inſtar ſeminis, ex quo ſuccreſcunt uberes fructus bonorum operum, & gloria. *Octavò*, à DD. Orthodoxis vocatur *Gratia Habitualis*; quia inſtar habitûs cujusdam animæ inhæret. Vocatur etiam *Gratia Sanctificans*; quia ſanctitatem formalem affert animæ. Dicitur *Gratia gratum faciens*, quia animam Juſtificati reddit gratam DEO. Dicitur *Juſtitia*; quia peccatorem conſtituit formaliter juſtum, & DEO placentem. Dicitur *Gratia juſtificans*, quia transfert hominem peccatorem de ſtatu injuſtitiæ ad ſtatum juſtitiæ, & adoptionis filiorum DEI, ſeu ad Juſtificationem.

3. Nota tertiò: Gratia Juſtificans eſt entitativè ipſa Charitas habitualis, ſeu habitus illius Charitatis, quæ eſt una ex virtutibus Theologicis: utì conſtat ex S. Scriptura, quæ eosdem effectus, & munia tribuit Gratiæ Juſtificanti, & Charitati: nam *primò* Gratia Juſtificans eſt illud donum, per quod Spiritus S. datur, & diffunditur in cordibus humanis, habitátque permanenter in amicis DEI; quod totum tribuit Scriptura Charitati ſupernaturali Theologicæ, ad Rom. 5. ibi, *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* *Secundò*, Gratia Sanctificans eſt radix & perfectio virtutum; quod pariter attribuitur Charitati habituali ſupernaturali Theologicæ, ad Rom. 13. ibi, *plenitudo legis eſt dilectio.* Et 1. ad Cor. 13. *charitas patiens eſt, benigna eſt &c. non cogitat malum &c. omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet &c.* *Tertiò*, Gratia Sanctificans eſt omnium DEI donorum maximum: quòd ſimiliter convenit Charitati præfatæ Theologicæ 1. ad Cor. 13. ubi Apoſtolus Charitatem anteponit omnibus donis. Et ad Coloſſ. 3. ubi ait, *ſuper omnia hæc charitatem habete, quod eſt vinculum perfectionis.* *Quartò*, Gratia Sanctificans conjungit hominem DEO; idem præſtat Charitas, juxta illud 1. Joan. 4. *DEUS Charitas eſt, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* *Quintò*, Gratia Sanctificans hominem efficit amicum DEI: idem etiam operatur Charitas ſecundùm illud Joan. 15. *vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis*; quod fit per Charitatem, juxta illud Joan. 14. *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me.* *Sextò*, Gratia Juſtificans eſt, quæ regenerat hominem, & juſtum facit; hoc ipſum etiam efficit Charitas cum Fide, juxta illud ad Gal. 5. *nam in Chriſto JESU neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed Fides quæ per dilectionem operatur.*

4. Dico primò: exiſtit in hominibus juſtificatis intrinſecè, ac permanenter, niſi labantur mortaliter, Gratia Juſtificans, quæ eſt diſtincta à juſtitia Chriſti. Ita Catholici; contra Lutherum, Calvinum, Illyricum, Oſiandrum, Bezam, & Confeſſionem Anglicanam nuperam.

5. Probatur prima pars Concluſionis *primò*: de beneficio ſingulari Gratiæ Juſtificantis intelligitur illud 2. Petri 1. *maxima, & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini Divinæ conſortes naturæ*; quod fit mediante Gratia Juſtificante. Item illud Joan. 1. *de plenitudine ejus omnes nos accepimus, & Gratiam pro gratia.* Et illud ad Rom. 1. *per quem accepimus gratiam.* Et de eodem dono Gratiæ procedit illud Luc. 1. *ave Gratiâ plena.* Et illud Act. 6. *Stephanus autem plenus Gratiâ & fortitudine.* Et illud 2. ad Tim. 1. *admoneo te, ut reſuſcites Gratiam DEI, quæ eſt in te per impoſitionem manuum.* Et illud ad Rom. 5. *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S.* quem textum expendens D. Auguſtinus *lib. de Spir. & litt. cap. 32.* ait, *Charitas, non quâ nos ipſe diligit; ſed quâ nos facit dilectores ſuos.* Eandem Gratiam probant omnes textus S. Scripturæ ſupra *notab.* 3. allati pro Charitate, quatenus entitativè eſt ipſa Gratia Juſtificans: Ergo exiſtit in hominibus Juſtificatis intrinſecè, & permanenter, niſi labantur mortaliter, vera Gratia Juſtificans.

6. Probatur *ſecundò*: eandem inexiſtentem intrinſecè, & permanentem Gratiam Juſtificantem in hominibus juſtificatis aſſerunt SS. Concilia; & ſignanter noviſſimè Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 11.* *Tertiò* eandem dogmatizant SS. PP. priſci unanimiter; S. Baſilius *lib. de Spiritu S. cap. 26.* Et S. Chryſoſtomus *hom. 1. in epiſt. ad Eph.* Et S. Ambroſius *lib. 6. hexam. cap. 8.* Et S. Auguſtinus *lib. 15. de Trin. cap. 8.* Ergo &c.

7. Probatur ſecunda pars Concluſ: *primò*: Gratia Juſtificans eſt quid permanenter, & intrinſecè inhærens animæ juſtificati, inſtar cujusdam formæ ſpiritualis; utì mox oſtenſum eſt: éſtque inſuper forma ſpiritualiter immutans, renovans, convertens, dealbans, & abluens ejusdem hominis juſtificati animam: utì patet ex ſequentibus paſſibus S. Scripturæ; de hac enim Gratia dicitur 1. ad

Cor. 3. *neſcitis quia templum DEI eſtis, & Spiritus DEI habitat* (id eſt permanenter inhæret) *in vobis*. Et ad Epheſ. 4. *renovamini Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm DEUM creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis*. Et Iſa 1. *ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur* (ſcilicet in Juſtificatione per formam Juſtificantem) *& ſi fuerint rubra ut vermiculus, velut lana alba erunt*. Et Pſalm. 50. *lavabis me, & ſuper nivem dealbabor*. Et 1. ad Cor. 6. *abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis*: Sed hæc omnia formaliter non conveniunt Juſtitiæ Chriſti, per quam prætendunt Hæretici, juſtificari peccatorem: Ergo Gratia Juſtificans eſt quid diſtinctum à Juſtitia Chriſti. *Secundò*; Gratia juſtorum tandem poteſt intendi, juxta illud 2. Petr. 3. *creſcite in Gratia*: item diffunditur in anima juſti, juxta illud ad Rom. 5. *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*: ſed hæc pariter non conveniunt Juſtitiæ Chriſti: Ergo Gratia Juſtificans eſt diſtincta à Juſtitia Chriſti.

8. Objiciunt Hæretici *primò*: in hominibus juſtificatis adhuc reperitur peccatum repugnans Divinæ Legi; utì patet ex illo ad Rom. 7. *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati*: Ergo talibus hominibus non inexiſtet intrinſecè aliqua Gratia Juſtificans permanens. *Secundò*; omnis anima noſtra, & ejus opera continuò ſunt immunda unde dicitur Iſa. 64. *facti ſumus ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*: Ergo in nullo juſtificato adeſt intrinſeca aliqua inhærens Juſtitia, ſeu Gratia Juſtificans intrinſeca mundans. *Tertiò*; ex ſententia Catholicorum ſequeretur, quòd juſtificatus ſuis operibus attribueret, ſe mundum eſſe factum per procuratam Gratiam Juſtificantem; quod eſt contra illud; *quis poteſt dicere, mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? numquid juſtificari poteſt homo comparatus DEO? aut apparere mundus natus de muliere*? Ergo &c.

9. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad textum D. Pauli dico, per legem membrorum repugnantem non intelligi peccatum formale; ſed tantùm congenitam concupiſcentiam, ſeu naturalem rebellionem carnis, quæ trahit ad peccatum, & à peccato Adæ ortum habet; ſicque impropriè tantùm peccatum dicitur. Et cum ea ſtare poteſt interna Juſtitia, & Gratia Juſtificans permanens, quouſque homo erumpat in peccatum, ſequendo concupiſcentiam. *Ad ſecundum* Neg. Ant. nam reperti fuêre homines qui reverà habebant animas intrinſecè mundas, & opera munda; unde Gen. 6. Noë dicitur juſtus, atque perfectus: & parentes S. Joannis Baptiſtæ incedere in omnibus mandatis, & juſtificationibus *Luc. 1.* Itaque Iſaias Propheta allegatus loquitur non de juſtificatis; ſed de impiis ſui temporis, de quibus ſubjungit, *eod. cap. non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te*: illorum enim impiorum opera, puta jejunia, ſacrificia, eleëmoſynæ, cæteráque externi cultûs Divini miniſteria, erant rapinis, ac aliis iniquitatibus referta. *Ad Tertium* Neg. Ant. nam Catholici acceptam à DEO Gratiam Juſtificantem non attribuunt ſuis operibus; ſed DEI bonitati, ac miſericordiæ, *qui dignos nos facit* (ut ait D. Paulus ad Coloſſ. 1.) *in partem ſortis ſanctorum*: unde adhuc fatentur, ſe non habere à ſe cor mundum, aut à ſe puritatem excludentem peccatum, aut nativitatem mundam; ſed eam provenire à DEO, mundante per Juſtificationem.

ARTICULUS II.

An Juſtificatio formaliter fiat per Juſtitiam Chriſti imputatam; vel per Gratiam inhærentem à DEO creatam, & infuſam?

1. Dico primò: Juſtificatio hominis peccatoris non fit per Juſtitiam Chriſti eidem imputatam, & fide apprehenſam ab ipſis, tanquam per cauſam formalem ipſiusmet Juſtificationis; ſed per Gratiam habitualem à DEO creatam, & infuſam, ac permanentem durante Juſtitiâ juſtificante. Ita Catholici cum Tridentino *ſeſſ. 6. c. 7.* contra Calvinum, Illyricum, & alios recentiores Sectarios.

2. Probatur *primò*: nullus extat textus S. Scripturæ, probans nobis peccatoribus imputari Juſtitiam Chriſti, ita ut cenſeatur eſſe noſtra, & per eandem juſtificâti evadamus; utì patebit ſolvendo Objectiones Calviniſtarum, & aliorum infrà: è contra verò extant plurimi textus Scripturæ, quibus clarè convincitur, peccatoribus à DEO communicari Gratiam habitualem inhærentem, & permanentem durante Juſtitia eorum; utì mox apparebit ex 2. & 3. *probat.* Ergo non per Juſtitiam Chriſti peccatoribus imputatam; ſed per talem Gratiam habitualem fit Juſtificatio hominis peccatoris tanquam per cauſam formalem.

3. Pro-

3. Probatur *ſecundò* : homo peccator in Juſtificatione dicitur intrinſecè mutari, quod fieri nequit per Juſtitiam Chriſti tantùm imputatam peccatori, & ſoli Chriſto intrinſecè inhærentem ; ſed per aliquam formam intrinſecam & realem immutantem, qualis eſt Gratia habitualis, à DEO creata & infuſa ac permanens durante juſtitia juſtificati : Ergo &c. Prob. Ant. homo peccator in Juſtificatione dicitur *renovari*, ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritûs S. quem effudit in nos abundè* : Et ad Eph. 4 *renovamini Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm DEUM creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis* : renovatio autem importat intrinſecam aliquam realem mutationem. Item idem peccator dicitur *regenerari* ſpiritualiter 1. Pet. 1. *qui ſecundùm miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos* &c. regeneratio autem ſpiritualis pariter importat intrinſecam mutationem. Item idem peccator dicitur lavari in Juſtificatione; 1. ad Cor. 6. *& hæc quidem fuiſtis ; ſed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, & in Spiritu DEI noſtri* : ablutio verò rurſus mutationem aliquam intrinſecam denotat : Ergo &c.

4. Probatur *tertiò* : in Juſtificatione dicitur cauſa formalis ejus diffundi in corde peccatoris, ad Rom. 5. *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis* ; Sed talis diffuſio non fit per Juſtitiam Chriſti . utpote quæ in ipſius tantùm corde contingit : Ergo fit per Gratiam. Rurſus peccator in Juſtificatione dicitur fieri conformis imagini Chriſti, ejúſque imaginem portare, 1. ad Cor. 15. *ſicut portavimus imaginem terreni* (ſcilicet Adam) *portemus & imaginem cœleſtis JESU Chriſti.* Et ad Coloſſ. 3. *expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes novum eum qui renovatur in agnitionem, ſecundùm imaginem ejus, qui creavit illum* : Sed portare imaginem Chriſti, & fieri conformes imagini Chriſti, ſupponit intrinſecam aliquam formam formaliter cauſantem ejuſmodi imaginem, quæ nequit eſſe Juſtitia ſoli Chriſto intrinſeca ; ſed Gratia aliqua inhærens homini : Ergo &c. Tandem in Juſtificatione evadit homo Filius DEI, juxta illud 1. Joan. 3. *videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii DEI nominemur, & ſimus* : ſed fieri, & eſſe Filium DEI, nequit contingere per imputationem ſolam extrinſecam Juſtitiæ Chriſti ; utpote quæ nihil in homine ponit : Ergo hoc fieri debet per formam inhærentem Gratiæ habitualis, ſeu Charitatis.

5. Probatur *quartò* : SS. PP. priſci aperté docent Juſtificationem ſeu Juſtitiam hominis peccatoris fieri per aliquod donum Supernaturale DEI, & formam intrinſecè inhærentem Gratiæ ; unde Cyrillus Alexand. *lib. 4. comment. in Iſai.* ait, *formatur autem in nobis Chriſtus Spiritu Sancto nobis Divinam quandam formam per ſanctificationem & juſtitiam indente.* Et Auguſtinus *lib. 1. de peccator. merit. & remiſſ.* ait, *legimus juſtificari in Chriſto, qui credunt in eum, propter occultam communicationem, & inſpirationem Gratiæ ſpiritualis.* Et *lib. de nat. & grat. cap. 70.* loquens de Charitate formaliter juſtificante dicit, *charitas ergo perfecta, perfecta juſtitia eſt* ; ubi Juſtitiam inhærentem dicit eſſe Charitatem, id eſt Gratiam habitualem. Eandem doctrinam habet Irenæus *lib. 5. cap. 6.* Et Cyprianus *Epiſt. 2. lib. 2. ad Donat.* Et Ambr. *lib. 6. Hexamer.* Et Chryſoſtomus *hom. 40. in Epiſt. 1. ad Cor.*

6. *Quintò* roboratur Concluſio, ex illuſtribus prædicatis, quæ conveniunt Gratiæ habituali, & ſupr. *art. 1. not. 2.* ſunt relata ; quæ indicant Juſtificationem hominis peccatoris per ipſam fieri, & non per Juſtitiam Chriſti imputatam : Ergo &c. *Sextò* ; Originale peccatum cuilibet Filio Adæ inhæret internè ; & non per imputationem : Ergo etiam Juſtitia Filio DEI, ſeu juſtificato inhæret internè ; ſícque is per eam, & non per Juſtitiam Chriſti, juſtificatur. *Septimò* ; homo in Juſtificatione recuperat illud, quod in Adam amiſit ; ſed amiſit Gratiam habitualem, quæ erat Adæ intrinſeca : Ergo hanc recuperat in Juſtificatione ; ſícque per eam, & non per Chriſti Juſtitiam juſtificatur.

7. Objiciunt Calviniſtæ *primò* : S. Scriptura docet reconciliationem Mundi peccaminoſi factam eſſe per non reputationem, id eſt non imputationẽ peccatorum ejus ; unde ſic legunt in ſuis Bibliis 2. ad Cor. 5. *quoniam quidem* DEUS *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum* : Ergo &c. *Secundò*, Chriſto fuit imputatū noſtrum peccatum, qui tamen peccatum non habuit : unde dicitur 2. ad Cor 5. *eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur juſtitia DEI in ipſo* : Ergo ſimiliter Juſtitia Chriſti nobis imputatur, ut juſti habeamur ; ſícque Juſtificatio noſtra fit per imputationem Juſtitiæ Chriſti. *Tertiò* ; ad Rom. 4. dicitur, *credidit Abraham DEO, & reputatum eſt illi ad juſtitiam* : Ergo Juſtitia Chriſti, quæ per fidem apprehenditur, nobis imputatur, ſicut Abrahæ. *Quartò* 1. ad Cor. 1. dicitur, *ex ipſo autem vos eſtis in Chriſto JESU, qui factus eſt nobis ſapientia à DEO, &*

juſtitia,

juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio &c. *Quintò*: ad Epheſ. 4. dicitur de Juſtificatione, *induite novum hominem, qui ſecundùm DEUM creatus eſt*: Ergo ſicut veſtis non inhæret veſto, ita nec Juſtitia juſtificato,

8. Reſpondeo *ad Primum* illum textum non excludere in reconciliatione hominis facta per Chriſtum, & conſequenter in Juſtificatione communicationem Gratiæ juſtificantis; nam eò ipsò, quòd DEUS juſtificet mundum, ſeu hominem, ſibi ipſum in Chriſto reconcilians non imputando ei peccata, etiam habetur ſimul, quòd DEUS ipſi Juſtitiam, ſeu Gratiam per merita Chriſti, quâ evadat juſtus, infundat; unde utrumque hoc, videlicet non imputationem ulteriorem, ſub nomine condonationis peccatorum; & infuſionem Gratiæ ſub nomine convivificationis, ſeu elargitionis vitæ interioris in alio loco ad Coloſſ. 2. conjungit tanquam effectus Juſtificationis dicens; *& vos cum mortui eſſetis in delictis, &c. convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens quod adverſus nos erat, chirographum.* Vult itaque Apoſtolus in objecto paſſu dicere, quòd in reconciliatione peccatoris cum DEO, ſeu in Juſtificatione interveniat etiam non imputatio ulterior peccatorum ejus; ſed non tantùm; neque vult dicere, quòd per eam formaliter fiat Juſtificatio. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. quæ ex objecta authoritate 2. ad Cor. 5. non ſequitur; ſenſus enim ejus eſt, quòd Chriſtus factus ſit victima pro noſtris peccatis, & ipſi imputatum tanquam noſtrum, ut ſatisfaceret pro illis: nam peccatum ſumitur in S. Scriptura pro victima, ùt Oſeæ 4. ubi dicitur, quòd *Sacerdotes peccata populi mei comedent*, id eſt victimas, ſeu Sacrificia pro peccatis oblata. Ly, *ut efficiamur juſtitia DEI in ipſo*, quod additur in eadem objecta authoritate, non dicit, ut imputetur nobis juſtitia Chriſti; ſed ut ſimus juſtitia DEI, quæ ſcilicet nobis à DEO per Chriſtum infunditur; & ita Juſtitiam exponunt SS. PP. præſertim Auguſtinus. Itaque efficimur Juſtitia DEI propter infuſionem Juſtitiæ, ſeu Gratiæ, quæ nobis à DEO communicatur, & nobis inhæret. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. quæ rurſus non ſequitur ex illo textu: nam D. Paulus *loc. cit.* non dicit, quòd Juſtitia Chriſti apprehenſa per Fidem nobis imputetur ad Juſtitiam; ſed quòd Fides, quâ Abraham credidit, ſit ipſi reputata ad Juſtitiam; ſicut & nobis reputatur; ſed per modum duntaxat neceſſariæ Diſpoſitionis in adultis, ùt infra dicetur; non verò per modum formæ formaliter juſtificantis. Itaque vult Apoſtolus, quòd Abraham ad conſequendam Juſtitiam, debuerit præmittere Fidem, quæ elicita ipſi reputata fuit ad Juſtitiam, tanquam debita diſpoſitio. *Ad Quartum* dico, ſenſum illius textûs 1. ad Cor. 1. eſſe, quòd Chriſtus factus ſit pro nobis Juſtitia, ſeu noſtra Juſtitia, ideo, quia ſuâ Paſſione nobis Juſtitiam promeruit; & quia Juſtitiam inhærentem ſeu Gratiam Juſtificantem ipſe nobis donat, ac conſervat: & quia quidquid Juſtitiæ, & bonitatis reperitur in noſtris operibus, non ex virtute operum, quatenus hæc noſtra ſunt; ſed ex conjunctione cum meritis Chriſti, provenit. *Ad Quintum* Neg. Conſeq. nam ùt communiter dicitur, omnis ſimilitudo claudicat: ſufficit itaque ut allata ſimilitudo in aliquo verificetur, ſicut revera verificatur in hoc, videlicet, quòd ſicut veſtis non innaſcitur homini, ſed ab extrinſeco datur; ita & Juſtitia non innaſcitur homini, ſed à DEO datur. Deinde contextus loci objecti ad Epheſ. 4. indicat clarè, Juſtitiam reverâ eſſe moralem, ſeu ſpiritualem veſtem inhærentem; nam ibidem dicitur, *renovamini autem Spiritu mentis veſtræ, & induite novum hominem, qui ſecundùm DEUM creatus eſt, in juſtitia, & ſanctitate veritatis*; quæ verba ſignant intervenire in homine intrinſecam mutationem animæ, infundique intrinſecam, ſeu inhærentem Juſtitiam, à DEO creatam.

ARTICULUS III.

De Fide, quæ concurrit ad Juſtificationem.

1. Nota primò: aliqua Fides ad Juſtificationem neceſſaria eſt; nam ad Hebr. 11. dicitur, *ſine Fide impoſſibile eſt placere DEO.* Et ibidem, *accedentem ad DEUM oportet credere, quia eſt, &c.* Et Auguſtinus *lib. de peccat. orig. cap. 4.* Et *lib. de prædeſt. SS. cap. 7.* ait, *ex fide autem Apoſtolus ideo dicit juſtificari hominem, non ex operibus, quia ipſa prima datur, de qua impetrantur cætera.*

2. Nota ſecundò: Calviniſtæ, & Lutherani triplicem diſtingunnt Fidem, ſcilicet Fidem hiſtoricam; Fidem miraculorum; & Fidem promiſſionum. *Fidem hiſtoricam* dicunt illam, quâ credimus vera eſſe ea omnia quæ ùt à DEO revelata in Sacris Bibliis continentur; de qua loquitur Apoſtolus ad Hebr. 11. *Fide credimus aptata eſſe ſæcula. Fides Miraculorum* eſt eadem hiſtorica, quatenus annexam habet virtutem patrandi miracula,

credendo

credendo videlicet, quòd nihil ſit, quòd à DEO fieri non poſſit; de hac loquitur Apoſtolus 1. ad Cor. 13. *ſi habuero omnem Fidem, ita ut montes transferam.* *Fides* tandem *promiſſionum* èſt, quâ credimus veras eſſe promiſſiones DEI de gratuita peccatorum remiſſione per Chriſti merita; hanc dicunt Lutherani eſſe quandam ſpecialem fiduciam, quam habet homo in promiſſione, & miſericordia DEI; de qua Apoſtolus loquitur Marc. *ult. qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.*

3. Dico primò: Fides ad Juſtificationem concurrens, non eſt aliqua Fides ſpecialis promiſſionum, ſeu fiducia ſpecialis, quâ peccator credit ſibi peccata à DEO per Chriſtum eſſe remiſſa; ſed eſt Fides dogmatica, ſeu (ùt loquuntur adverſarii) hiſtorica, & miraculorum. Ita Catholici; contra Calviniſtas, & Lutheranos.

4. Probatur *primò* de dogmatica; in S. Scriptura reperitur, Fidem dogmaticam, ſeu hiſtoricam ad Juſtificationem conducere; unde de ea dicitur Joan. *6. verba vitæ æternæ habes. Et nos credimus, & cognovimus; quia tu es Chriſtus Filius DEI, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Et ad Rom. *10. hoc eſt verbum Fidei, quod prædicamus; quia ſi confitearis in ore tuo Dominum JESUM, & in corde tuo credideris, quod DEUS illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris.* Et ad Hebr. 10. poſtquam Apoſtolus dixiſſet, *juſtus autem meus ex Fide vivit*; ſtatim *ſequenti cap.* exprimit hanc fidem pertinere ad intellectum, & eſſe dogmaticam, ſeu hiſtoricam, per illa verba, *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbô DEI.* Ergo &c *Secundò*: Fides dogmatica, ſeu hiſtorica eſt, quâ credimus Chriſtum eſſe crucifixum, mortuum, ſepultum, deſcendiſſe ad inferos, reſurrexiſſe, & aſcendiſſe ad cœlos: ſed hæc ad Juſtificationem concurrit, & ad eam utilis, imò neceſſaria eſt in adultis: unde dicitur 1. ad Cor. 15. *notum autem facio vobis Evangelium, &c. per quod & ſalvamini, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, & quia Sepultus eſt, & quia reſurrexit tertiâ die &c.* Ergo &c.

5. Probatur *ſecundò* de Fide miraculorum: hanc Fidem concurrere ad Juſtificationem, & eſſe utilem ad eandem, conſtat ex illo dicto Chriſti Matth. *16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur*: & quòd revera hæc ſit Fides miraculorum, patet ex ſequentibus verbis, *ſigna eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo Dæmonia ejicient; linguis loquentur novis; ſerpentes tollent &c.* Ergo &c.

6. Probatur *tertiò* de Fide ſpeciali promiſſionum, ſeu fiducia ſpeciali: nullibi in S. Scriptura extat aliqua ſpecialis promiſſio DEI revelata, quòd Calvino, vel Luthero, vel alteri peccatori in ſpecie ſint remiſſa peccata: Ergo circa hoc non poſſunt iſti habere Fidem, quæ eos juſtificaret; atque ita talis Fides eſt conficta. Nec ſufficit generalis promiſſio DEI in Scriptura revelata, quòd nimirum omnibus rectè converſis DEUS remittat peccata; quia ſaltèm nullus textus Scripturæ Luthero, vel Calvino, vel alteri particulari perſonæ peccatrici dicit, ſe rectè eſſe converſos; quapropter circa hujuſmodi converſionem iſtæ particulares perſonæ nullam Fidem juſtificantem poſſunt exercere; quæ ſemper innititur objecto revelato.

7. Objiciunt Hæretici *primò*: Apoſtolus ad Rom. 4. docet Juſtificationem ſequi ex Fide promiſſionis, illis verbis, *ideo ex Fide, ut ſecundùm Gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini &c.* Ergo &c. *Secundò* in Scriptura jubemur orare DEUM cum fiducia obtinendi ea, quæ rogamus; ſic dicitur Jac. 1. *Si quis autem veſtrûm indiget ſapientia, poſtulet à* DEO *qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, poſtulet autem in Fide nihil hæſitans*: Ergo Fides accepta pro Fiducia eſt quoq; diſpoſitio ad Juſtificationem; ſi eâ indigeat homo.

8. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. & ad textum Apoſtoli dico, ibi Fidem accipi pro Fide dogmatica, quam habuit Abraham de omnipotentia DEI, quâ effecturus erat aliquando DEUS, ut promiſſiones ejus adimplerentur ſibi factæ de converſione Gentium ad Fidem, & adventu Meſſiæ ex ſemine ſuo, ut ita eſſet Pater futurus omnium credentium non ſolùm Judæorum in circumciſione; ſed & Gentium ſecundùm Fidem; unde de hac Fide dogmatica ſequitur in *eod. cap. confortatus eſt* (ſcilicet Abraham) *Fide, dans gloriam DEO, pleniſſimè ſciens, quia quæcunque promiſit potens eſt & facere.* *Ad Secundum* concedo, quòd noſtras orationes debeat comitari aliqua Fiducia, ſcilicet ut non dubitemus DEUM poſſe præſtare id, quod rogamus; item DEUM velle præſtare id quod rogamus, ſi rogatio, & oratio fiat, ùt oportet; at non debet eas comitari Fiducia in ſenſu Hæreticorum, quâ confidimus, quòd in particulari certò impetraturi ſimus id, quod poſtulamus; quia nullibi conſtat abſque ſpeciali revelatione, quòd orans omnes adhi-

buerit conditiones neceſſarias ad ritè orandum. Præterea ex illa Fiducia Lutherana varia abſurda ſequuntur: maximè, quia tollit omnia media à Chriſto ad ſalutem inſtituta, ùt orationes, & ſimilia; nam in ipſo inſtanti, quod ſequitur talem actum Fiduciæ, quem Lutherani ponunt, cenſeretur peccator eſſe juſtificatus; ad quid ergo oraret deinde: imò in *Pater noſter* gratìs tunc oraret. *dimitte nobis debita noſtra*: item gratìs cum Publicano diceret, *DEUS eſto propitius mihi peccatori*: Ergo &c.

9. Dico ſecundò: ſola Fides qualiſcunque non juſtificat formaliter; ſeu non eſt ſola forma illa, à qua homo formaliter vocatur juſtus. Ita Catholici; contra Calvinum, Lutherum, Melanchtonem, Kemnitium &c.

10. Probatur *primò*: nullus extat paſſus S. Scripturæ, exprimens ſolam Fidem, qualitercunque uſurpetur, juſtificare formaliter: utì patebit ſolvendo Objectiones Calvini: Ergo &c. Lutherus, ut firmum pro ſe haberet teſtimonium ex Scriptura, propria authoritate audacter *in cap. 3.* ad Rom. tractante de Fide juſtificante, addidit ly *ſola*, corrumpendo Scripturam: & dum de ejuſmodi corruptela admoneretur, reſpondit, *ſic volo, ſic jubeo, ſit pro ratione voluntas.*

11. Probatur *ſecundò*: quemadmodum S. Litteræ dicunt Juſtificationē fieri per actum fidei (in quo tantoperè ſe fundant Hæretici) ita etiam docent eandem per alios quosdam actus perfici; puta per actum timoris, actum ſpei, actum dilectionis, actum pœnitentiæ; unde de actu timoris dicitur Eccleſ. 1. *timor Domini expellit peccatum*; nam qui ſinè timore eſt, non poteſt juſtificari. Et de actu ſpei dicitur 1. Joan. 3. *Omnis, qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille Sanctus eſt.* Et de actu dilectionis dicitur Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm.* Et de actu pœnitentiæ dicitur Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis &c. vita vivet, & non morietur.* *Tertiò*, roboratur concluſio omnibus argumentis ſupra *art. 2.* factis, quibus oſtenditur, Juſtificationem formaliter fieri per Gratiam inhærentem.

12. Probatur *quartò*: ſi ſola Fides formaliter juſtificaret, ſequeretur Calviniſtas, & Lutheranos imprudenter planè inter ſe digladiari circa nonnullas Controverſias Fidei; ac ſe ſe inſectari diris dicteriis; puta de præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia; de æterno DEI conſilio, & electione ad gloriam; de humanitate Chriſti ubique exiſtente, &c. Nam cùm tam Lutherani, quàm Calviniſtæ, communi doctrina aſſerant Juſtificationem ſola Fide fieri, quâ ſibi quiſque firmiter perſuadet, eſſe peccata remiſſa per Chriſtum, ejúſque Juſtitiam ſibi eſſe imputatam: conſequenter utrique hac ratione ſalvabuntur: ad quid ergo illæ contentiones inter ipſos.

13. Objiciunt Calviniſtæ *primò*: ex S. Scriptura conſtat, homines juſtificari per ſolam Fidem promiſſionum: nam ad Rom. 3. dicitur, *arbitramur enim hominē juſtificari per Fidem, ſinè operibus Legis.* Et ad Epheſ. 2. dicitur, *ſalvati eſtis per Fidem*: Ergo &c. *Secundò*; S. Scriptura docet hominem gratìs juſtificari; unde rurſus ad Rom. 3. dicitur, *juſtificati gratìs per gratiam ipſius*: Ergo ſola Fides juſtificat. *Tertiò*; S. Litteræ docent, omnes illos juſtificari, qui ſolam habent Fidem: unde dicitur, Act. 13. *in hoc omnis, qui credit, juſtificatur*: Ergo &c. *Quartò*; ubicunque S. Scriptura loquitur de Juſtificatione hominis, ſolius Fidei facit mentionem; ùt Luc. 7. *Fides tua te ſalvam fecit.* Et Joan. 3. *qui credit in Filium, habet vitam æternam*: Ergo &c. *Quintò*; Luc. 8. dicitur, *crede tantùm, & ſalva erit.* Hunc paſſum maximè putant adverſarii ſibi favere: Ergo &c.

14. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. ad authoritates ambas Scripturæ dico; Apoſtolum ibi loqui ad Judæos, & Gentiles, qui putabant ſe juſtos eſſe eô ipsô, quòd opera quædam exercerent ſinè Fide in Chriſtum; ut itaque oſtendat, nec Judæos ex nuda obſervatione Moſaycæ Legis, ſeu operibus Legis Veteris; nec Gentiles propter opera aliqua bona merè politica, & viribus naturæ, facta ante Chriſti Fidem ſuſceptam, poſſe juſtificari, aſſerit Juſtificationem fieri ex Fide Chriſti, quæ eſt initium Juſtitiæ, & merum donum DEI; atque neceſſaria diſpoſitio ad Juſtificationem obtinendam; quamvis non ſit ratio formalis, & forma ipſa juſtificans: & ita intelligunt hos paſſus Scripturæ SS. PP. quos D. Auguſtinus *lib. de Fid. & oper. cap. 4.* eſt ſecutus. *Ad Secundum* Neg. Conſeq. nam non ideo homo dicitur, gratìs juſtificari, quaſi Juſtificatio perficeretur formaliter ſolâ Fide; ſed quia ipſa fit mediante Gratia juſtificante, quæ gratìs, & liberaliter à DEO datur, atque abſque ullis meritis præcedentibus, eam exigentibus; item quia omnes actus, conducentes ad Juſtificationem. ut Timor, Spes, Charitas, ſunt mera gratuita DEI dona. *Ad Tertium* Neg. Ant. & ad textum Act. 13. dico; eô duntaxat indicari, quòd nulla ſit perſonarum acceptio apud DEUM; ſed cuncti peccatores tam Judæi, quàm

quàm Gentes poſſint ſalvari, per Fidem Chriſti amplexatam; ſecundùm quod habetur ad Rom. 3. *an Judæorum DEUS tantùm? nonne & Gentium? imò & Gentium; quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat Circumciſionem ex Fide, & præputium per Fidem.* Ex quo tamen non ſequitur, quod ejusmodi Fides in Chriſtum ſit ipſa forma juſtificans. *Ad Quartum* Neg. Ant. nam in quibusdam locis Scripturæ ad Juſtificationem præter Fidem etiam alia requirit, & eorum mentionem facit, ſignanter Charitatis, ad Galat. 5. ubi vult Fidem juſtificantem debere per Charitatem operari, quæ, inquit, per Charitatem operatur. Item 2. ad Theſſ. 1. ibi, *impleat* (DEUS) *omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei, in virtute*: Præterea ſicut S. Scriptura loquens de Juſtificatione, aliquando dicit eam fieri per pœnitentiam, vel dilectionem nulla facta mentione de Fide; & tamen non excludit Fidem, ad eam neceſſariam eſſe: ita etſi in quibusdam locis loquens de eadem Juſtificatione ſolius Fidei mentionem faciat, tacendo ibi alios actus ſpei, Charitatis, & Gratiam ſanctificantem; attamen ea non excludit. *Ad Quintum* dico; illum locum Scripturæ Luc. 8. non patrocinari adverſariis; quia non intelligitur de remiſſione peccatorum, ſeu Juſtificatione; ſed de excitatione puellæ mortuæ. Nec Chriſtus exigebat Fidem à puella, quam reſuſcitare intendebat; ſed à genitoribus deprecantibus Chriſtum pro filia defuncta.

ARTICULUS IV.

Qua ratione igitur Fides, & alia conducant ad Juſtificationem? ubi & de ejus cauſis omnibus.

1. NOta primò: Eccleſia Catholica in Concilio Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 6.* ponit ſequentem veram ſeriem actuum, qui tanquam diſpoſitiones prærequiruntur ad Juſtificationem adultorum peccatorum, maximè primam, dicens, *diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati Divinâ Gratiâ, & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in DEUM, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt; atque illud imprimis, à DEI juſtificari impium per Gratiam ejus, per Redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU; & dum peccatores ſe eſſe intelligentes, à Divina juſtitia Timore, quo utiliter concutiuntur ad conſiderandum DEI miſericordiam ſe convertendo in ſpem eriguntur, fidentes DEUM ſibi propter Chriſtum propitium fore; illùmque tanquam omnis juſtitia fontem diligere incipiunt; ac propterea moventur adversùs peccata, per odium aliquod, & deteſtationem; hoc eſt per eam Pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet; denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſma, inchoare novam vitam, & ſervare Divina mandata.*

2. Nota ſecundò: ex his patet; Fidem actualem conducere tantùm ad Juſtificationem, tanquam præviam diſpoſitionem neceſſariam; valde tamen inſignem; cùm ipſa ſit fundamentum, & radix prima ſalutis, & Juſtificationis. Debet autem regulariter eſſe talis; (uti conſtat ex *cit. Trident.* variis Scripturæ paſſibus, & Symbolo Apoſtolico) quâ juſtificandus, maximè prima vice, credat explicitè articulos ſequentes eſſe veros; DEUM videlicet exiſtere; & remuneratorem bonorum eſſe; item impium à DEO juſtificari per gratiam ejus, & redemptionem Chriſti JESU veri mediatoris, pro nobis paſſi, mortui &c. ſicut *in Symbolo Apoſtolorum* habetur; item de SS. Trinitate; & ſimilibus capitalibus dogmatibus Chriſtianorum: de quibus S. Scripturæ textus teſtantur, & credendos præcipiunt. Quod verò reliqui actus *in cit. Trident.* relati, ſcilicet timoris Divinæ juſtitiæ, ſpei veniæ, dilectionis DEI inchoatæ, odii peccati, propoſiti ſuſcipiendi baptiſma, ſi juſtificandus nondum ſit baptizatus; aliàs ſi ſit baptizatus propoſiti confitendi peccata, ac demum propoſiti ſervandi mandata, revera concurrant ad Juſtificationem; ſed tanquam diſpoſitiones tantùm; ſintque utiles; abundè contra Hæreticos oſtendi ex Scriptura, & SS. PP. *tom. 2. Scholæ meæ Theol. tract. 4. de grat. habit. diſp. 2. q. 2.* Circa alteram partem hujus articuli breviter.

3. Nota tertiò: cùm Juſtificatio ſit vera actio, quâ homo verè juſtus, amicus, & filius DEI efficiatur; unde ſuas debet habere cauſas; quæ ſecundùm ſententiam Catholicam, & veram ſunt hæ: *Cauſa Finalis* Juſtificationis eſt vita æterna juſtificati; uti conſtat ex illo 1. Petri 1. *reportantes finem Fidei veſtræ, ſalutem animarum. Cauſa Efficiens* ejus primaria eſt ipſe miſericors DEUS; & patet ex illo Job. 14. *quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu qui ſolus es? Cauſa meritoria*, quæ ad Efficientem reducitur eſt Chriſtus; & conſtat ex illo ad Rom. 3. *juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU, quem propoſuit*

DEUS propitiationem per Fidem in ſanguine ipſius &c. Cauſa inſtrumentaria Juſtificationis eſt Sacramentum Baptiſmi pro juſtificandis illis, qui necdum Chriſtiani ſunt; juxta illud ad Tit. 3 *Secundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis*: pro baptizatis verò eſt Sacramentum Pœnitentiæ administratum à veris miniſtris, de quibus dicitur Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Demum *cauſa formalis* Juſtificationis eſt Gratia habitualis, ſeu Charitas habitualis.

ARTICULUS V.

An in Juſtificatione tegantur tantùm, vel realiter deleantur peccata?

1. DIco primò: in Juſtificatione peccatoris non teguntur, vel occultantur tantùm peccata propter juſtitiam Chriſti imputatam; ſed verè tolluntur, & eradicantur quoad omnes ſuas ſordes, & maculas. Ita Catholici; contra Calvinum, Lutherum, Witakerum, & alios ſectarios.

2. Probatur *primò*: S. Litteræ clarè docent, in Juſtificatione hominis projici, tolli, exhauriri & auferri iniquitates; item hominem tunc mundari, ablui, lavari, longè fieri à peccatis; quæ omnia non eſſent vera, ſi peccata tantùm tegerentur, remanentibus ſordibus eorum: Scripturæ autem ſunt ſequentes; nam Mich. 7. dicitur, *projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Et 1. Joann. *ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccatum mundi.* Et Zach. 3. *ecce abſtuli à te iniquitatem tuam.* Et ad Hebr. 9. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.* Et Mich. 7. *cap. quis Deus ſimilis tui, qui aufers iniquitatem.* Et 1. Joan. 1. *Sanguis JESU Chriſti Filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* Et 1. ad Cor. 6. *hæc quidem fuiſtis; ſed abluti eſtis, ſanctificati eſtis.* Et Pſal. 50. *lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Et Pſal. 102. *quantum diſtat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates noſtras.* Ex his patet peccata in Juſtificatione revera deberi penitùs, remitti totaliter, & funditùs evacuari.

3. Probatur *ſecundò*: SS. PP. pariter dogmatizant in Juſtificatione, & ſanatione ſpirituali hominis peccatoris evacuari, & deleri totaliter omne veſtigium peccatorum; unde Chryſoſtomus *hom. 80. ad pop. Antioch.* ait: *ſi námque vel infinita quis habens vulnera pœnitentiam egerit, ſic ea DEUS delet, ut neque cicatricem, neque veſtigium, neque peccatorum oſtendat indicium.* Et Auguſtinus *lib. 1. ad Bonifac. cap. 13.* dicit contra Pelagianos, *dicimus enim baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina; non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, unde creſcant iterum, reſecanda peccata.* Et iterum in expoſitione ſuper illud Pſalm. 31. *quorum tecta ſunt peccata,* ait, *nec ſic intelligatis quod dixi, peccata coöperta ſunt, quaſi ibi ſint, & vivant.* Concluſionem etiam habet S. Hieronymus *lib. 3. adverſus Pelagianos.* Et S. Cyprianus *epiſt. 2. ad Donatum*: Ergo in Juſtificatione impii peccata verè auferuntur, & eradicantur.

4. Probatur *tertiò* ratione Theologicâ: Tum quia, ſi peccata in Juſtificatione duntaxat tegerentur, & non eradicarentur, revera verum eſſet dicere de eis, quòd ſecundùm quid remanerent; & conſequenter quòd juſtificatus ſecundùm quid eſſet odioſus, & damnationis obnoxius: ſed hoc eſt contra Apoſtolum ad Rom. 8. dicentem, *nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto JESU*: Ergo non teguntur in Juſtificatione. Tum quia per occultationem, & tectionem tantùm peccatorum fit injuria Sanguini Redemptoris noſtri, quô ſecundùm Scripturam 1. Joan. 1. dicitur nos verè laviſſe, & verè mundâſſe, *Sanguis JESU Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato*: Ergo &c.

5. Objiciunt Hæretici *primò*: plures textus S. Scripturæ docent ſecundùm litteram, peccata in Juſtificatione tantummodò tegi, operiri, & non imputari; talis eſt ille Pſal. 31. *Beati quorum remiſſa ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata.* Et ille, *Charitas operit multitudinem peccatorum* 1. Petr. 4. Et ille Ezech. 33. *ſi egerit pœnitentiam à peccato ſuo, &c. omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei &c.* Ergo non delentur, vel auferuntur radicitùs. *Secundò*; Non obſtante Juſtificatione remanet in homine concupiſcentia: ſed hæc eſt peccatum: Ergo &c.

6. Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Scripturam, & dico; allatos, ſimiléſque textus intelligendos eſſe de vera remiſſione, & ablatione peccatorum; uti eos ſemper intellexit Eccleſia, Concilia, & PP. accipiendo pro Synonymis, ly *tecta ſunt peccata, & abolita,* ſeu *verè remiſſa ſunt peccata*, ùt videre eſt apud Auguſtinum *in præfat. ad cit. pſal.* dicentem, *cooperta ſunt peccata, tecta ſunt, abolita ſunt,* & paulò pòſt, *ne ſic intelligatis, quod dixi, peccata coöperta ſunt, quaſi ibi ſint, & vivant.* Et ſic revera memoratos paſſus Scripturæ debere intelligi, ratio dictat; nam DEO ùt Omniſcio nil propriè cenſetur eſſe tectum, vel opertum;

ſed

ſed *omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus*; ùt loquitur alia Scriptura. *Ad ſecundum* dico; illam concupiſcentiam, quæ remanet in homine juſtificato, non dici à Scriptura cum omni proprietate *peccatum*; ſed tantùm ideo, quia vel eſt inclinatio naturalis ad peccandum, orta ex peccato originali; vel quia cauſat quandoque ſubitos aliquos motus inordinatos, qui facilè pelliciunt ad peccatum.

ARTICULUS VI.

Num juſtificatus poſſit habere aliquam certitudinem de ſua Juſtificatione?

1. Dico primò: nullus juſtificatus regulariter habet, aut habere poteſt talem certitudinem Fidei, cui non poſſit ſubeſſe falſum, de ſua Juſtificatione. Ita Catholici; contra Calvinum, Lutherum, Melanthonem, & alios Sectarios, docentes quemlibet poſſe, imò debere firmiter credere, ſe eſſe juſtificatum; atque ex ejuſmodi Fide quemlibet accipere certitudinem de ſua Juſtificatione.

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; quæ paſſim docet, nos regulariter nullam habere ſecuritatem, & ſcientiam veram de noſtra Juſtitia; ſed cum metu ſemper eſſe ambulandum; quod utique non faceret, ſi adeſſet certitudo Fidei eadem; ſic dicitur 1. ad Cor. 4. *nihil enim mihi conſcius ſum; ſed non in hoc juſtificatus ſum*, id eſt juſtificatum me credo, & judico, ùt gloſſat Chryſoſtomus, & Theophylactus. Item Eccleſ. 9. *ſunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu DEI; & tamen neſcit homo, utrùm amore, aut odiô dignus ſit; ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Item Eccleſ. 5. *de propitiato peccato noli eſſe ſinè metu.* Et ad Philipp. 2. *cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini*: Ergo nullus juſtificatus habet, neque habere poteſt certitudinem Fidei de Juſtificatione, abſque ſpeciali DEI revelatione.

3. Probatur *ſecundò*: Tum authoritate Tridentini, quod *ſeſſ. 6. cap. 9.* dicit, *quòd nullus ſcire valeat certitudine Fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe Gratiam DEI eſſe conſecutum.* Tum authoritative Innocentii III. qui *cap. accepimus, de purgat. can.* locum illum Job. 9: *etiamſi ſimplex fuero, hoc ipſum ignorabit anima mea*, explicat de incertitudine Juſtitiæ. Ergo &c.

4. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. concluſionem aſſerentium; ùt videre eſt apud Hieronymum ſcribentem *in cap. 9. Eccl.* Et Gregorium 9. *Moral. cap. 18.* Et *lib. 6. epiſt. epiſtolâ 22. ad Gregoriam Auguſtæ cubiculariam* ſuſcitantem, an ſibi eſſent remiſſa peccata, cui reſpondet, *rem mihi difficilem, & tibi inutilem poſtulâſti; difficilem, quia indignus ſum, cui revelatio immittatur à DEO; tibi inutilem; quia ſecuritas negligentiam parit.* Et apud Ambroſium *ſerm. in Pſalm. 118.* Et Auguſtinum *lib. 50. hom. 35.* dicentem *quàm diu vivimus hic, de nobis ipſis judicare non poſſumus, non dico quid cras erimus; ſed quid hodie ſimus*: Ergo &c.

5. Probatur *quartò* ratione: Tum quia certitudo Fidei regulariter de Juſtificatione haberi debet per expreſſam revelationem in Scriptura, vel definitionem Eccleſiæ; ſed ex nulla Scriptura, vel Eccleſiæ definitione habetur, hominem hunc in particulari v. g. Lutherum, vel Calvinum eſſe præditum Gratiâ juſtificante: Ergo nemo poteſt habere certitudinem Fidei de ſua Juſtificatione. Prob. Min. nam Scriptura, & Eccleſiæ definitio loquentes de Juſtificatione tantùm loquuntur generaliter: ſed ex ejuſmodi generali locutione non habetur ſufficienter, hunc in particulari hominem eſſe præditum Gratiâ ſanctificante: Ergo &c. Tum quia nullus eſt, aut eſſe poteſt certus certitudine Fidei, quòd poſuerit omnes conditiones, de facto neceſſariò requiſitas ad Juſtificationem; cujuſmodi ſunt præparatio debita per converſionem perfectam ad DEUM, id eſt ex motivo ſupernaturali procedentem, cum auxilio ſupernaturali gratiæ actualis; item actum dilectionis cum debita appretiatione, & deteſtatione, utì oportet; item Fidem, Spem, pœnitentiam requiſitam, &c. Ergo neque eſt, aut eſſe poteſt certus certitudine Fidei de accepta Juſtificationis Gratia.

6. Objiciunt Hæretici *primò*: Plures Scripturæ docent, à juſtificatis excludi formidinem; & conſequenter volunt eos habere certitudinem de ſua Juſtificatione; ſed non aliam, quàm Fidei: Ergo &c. Prob. Min. nam ad Rom. 8. dicit S. Paulus, *certus ſum, quòd neque mors &c. poterit nos ſeparare à Charitate DEI.* Et rurſus *cap. 15. certus ſum autem Fratres mei, & ego ipſe de vobis, quoniam & ipſi pleni eſtis dilectione. Secundò*; ad Rom. 8. *cap.* dicitur, quòd Spiritus teſtimonium reddit Spiritui noſtro (utique per teſtimonium Fidei) quô quivis poteſt, imò tenetur credere, ſe eſſe juſtificatum. *Tertiò*; 1. Joan. 3. habetur, *nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus Fratres*, quæ ſcientia non eſt alia, quam Fidei certitudo. *Quartò*; 1. ad Cor. 2. *nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus ſed Spiritum qui ex DEO eſt, ut ſciamus, quæ*

à DEO donata ſunt nobis. *Quintò*; quando ſuſcipio Baptiſma, vel confiteor cum vero dolore, & aliis diſpoſitionibus, acquiro certò Juſtificationem; ſed poſſum experimentô ſcire me ſuſcipere Baptisma, vel confiteri cum omnibus diſpoſitionibus: Ergo poſſum ſaltèm habere ſcientiam certam phyſicam de Juſtificatione.

7. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Maj. ad authoritates S. Scripturæ dico; illos, & ſimiles textus Scripturæ non excludere omnem formidinem, ſaltèm virtualem; ſed ſolùm inſinuare, quoſdam Sanctos eximios ob peculiaria beneficia à DEO accepta, & ſigna alia ſpecialia; item propter continuationem ſuorum bonorum operum, magnam concipere fiduciam de ſua ſalute, ita ut poſitivè non ſint anxii de ſua Juſtificatione; quæ eſt quædam certitudo tantùm negativa; non autem poſitiva, & propriè dicta: Poteſt etiam dici, quòd ly *certus ſum* nil aliud operetur, quàm quandam perſuaſionem; acſi diceret Apoſtolus, *perſuaſum mihi habeo, quòd neque mors &c. nos poterit ſeparare à charitate DEI*; Cum ejuſmodi perſuaſione autem ſtat formido de oppoſito. *Ad ſecundum*, gloſſo Scripturam, & dico; Apoſtolum loqui in perſona Fidelium; & tantùm velle, quòd Spiritus S. teſtificetur, ſeu (ùt Græca ſonat littera;) conteſtificetur Spiritui ipſorum, quòd ſint Filii DEI; quatenus nimirum per experientiam percipiunt ſuavitatem quandam, & tranquillitatem conſcientiæ, per pios motus, ac effectus in DEUM, ita ut confidenter dicant *Abba Pater*: cùm tamen hæc omnia etiam in injuſtis reperiri poſſint, puta in illis, qui laborant præſumptuoſâ, & erroneâ conſcientiâ; aut à Patre mendacii decipiuntur, cauſante ejuſmodi ſigna, ut Sanctos in ſuperbiam, aut inanem nimiam confidentiam inducat; idcirco nec hinc certitudo ulla Juſtificationis haurienda eſt. *Ad Tertium* gloſſo Scripturam, & dico, eam loqui de ſcientia morali; de qua infrà. *Ad Quartum* explico Apoſtolum, & dico; eum loqui de myſteriis Chriſtianæ Religionis, nec non de beneficiis præparatis Electis, quæ Apoſtolus ſcivit per revelationem tum generalem, tum peculiarem DEI. *Ad Quintum* Neg. Min. quia univerſalis eſt illa ſententia Eccleſiaſtici, quæ etiam cadit ſuper diſpoſitiones, ſuſcipientium Baptiſma, vel confeſſionem peragentium, quòd neſciat homo, *utrum amore, an odio dignus ſit.*

8. Dico ſecundò: Poteſt tamen juſtificatus adultus habere certitudinem moralem, ſeu conjecturalem de ſua Juſtificatione. Ita communiter TT.

9. Probatur: Tum quia cum ejusmodi certitudine morali ſeu conjecturali ſtat formido de oppoſito, quam paſſim aſſerit Scriptura eſſe, & debere eſſe in Fidelibus; item ignorantia deaſſecuta Gratia juſtificante, de dignitate amoris DEI, &c. teſte eâdem Scripturâ. Tum quia certitudo moralis, ſeu conjecturalis eſt illa, quæ hauritur ex veriſimilibus conjecturis, ingerentibus præſentem Juſtificationem; quales ſunt, quæ deſumuntur ab effectibus ſalutaribus; eò quòd videlicet juſtificatus in ſe experiatur deſiderium vitandi peccata mortalia, diligentiam in cavendis venialibus, ſtudium pietatis, ac bonorum operum, deſiderium cæleſtium, faſtidium terrenorum, dolorem de peccatis præteritis, propoſitum de cætero placendi DEO, pias in DEUM affectiones, deſiderium patiendi pro Chriſto, ipſámque tolerantiam tribulationum, ſuſceptionem ſedulam, & bene circumſtantionatam Sacramentorum, præſertim S. Pœnitentiæ, in ſumma promptam, & ſeriam applicationem eorum omnium, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, quæ quidem omnia non debent in quolibet adeſſe, ut pariant certitudinem moralem, ſeu conjecturalem; ſi autem adſint, utì revera adfuerunt in quibusdam eximiis Sanctis, v. g. S. Franciſco &c. magnam generant fiduciam de Juſtificatione; unde huic innixus dixit S. Bernardus *Serm. 69. prorſus habet Eccleſia DEI ſpirituales ſuos, qui non modò fideliter; ſed & fiducialiter agant in eo cum DEO, quaſi cum amico loquentes, teſtimonium illis præbente conſcientiâ gloriæ ejus.*

10. Nota tamen hic inſignem S. Tridentini Concilii doctrinam, quàm affert *ſeſſ. 6. cap. 13. nemo ſibi certè aliquid abſolutâ certitudine polliceatur, tametſi DEI auxiliô firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent; DEUS enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficit, operans velle, & perficere. Verumtamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant & cum timore, ac tremore operentur ſalutem ſuam, operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & caſtitate; formidare enim debent, ſcientes, quòd in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Gratia DEI.*

CAPUT

CAPUT V.
De Gratia Actuali.

ARTICULUS I.
De Exiſtentia Gratiæ actualis.

1. NOta primò: nomine *Gratiæ actualis* intelligitur, auxilium, Divinum ſupernaturale tranſiens, liberaliter à DEO collatum, quô homo vel prævenitur; vel adjuvatur in ordine ad eliciendas operationes ſalutares morales; vel ad habendas quaſdam cognitiones phyſicas, inveſtigatu difficillimas. Conſiſtit autem potiſſimè in quibuſdam motibus piis, & ſalutaribus; ſeu in motionibus tum voluntatis à DEO immiſſis, puta amoris, ſpei, religionis, delectationis, corroborationis; tum intellectus, videlicet in piis quibuſdam cogitationibus, vocationis, inſpirationis S. illuminationis, & ſimilium, uti diſcurrunt SS.PP. contra Pelagianos.

2. Nota ſecundò: Gratia inter varias alias diviſiones (quas vide in ſchola mea Theologica *tom. 2. tract. 5. diſt. 1. q. 1.*) partitur ad propoſitum in Efficacem, & Inefficacem. *Efficax* eſt illud donum, & beneficium DEI ſupernaturale, quod reipsâ infallibiliter obtinet effectum, ita ut liberum arbitrium infallibiliter ipſi conſentiat, & coöperetur. *Inefficax* eſt illud donum DEI ſupernaturale, excitans quidem ſufficienter hominem ad opus ſalutare ponendum; quod tamen hic & nunc non ponitur.

3. Dico primò: Datur Divina Gratia actualis in hominibus, quæ elevat, & neceſſaria eſt ad Beatitudinem aſſequendam. Ita Catholici; contra Pelagianos.

4. Probatur *primò*: ex S. Litteris conſtat dari Gratiam Divinam actualem elevantem, & neceſſariam ad obtinendam Beatitudinem; nam de hac loquitur D. Paulus 1. ad Cor. 15. *Gratiâ DEI ſum id, quod ſum; & Gratia ejus in me vacua non fuit.* Et de eadem prodit illud ad Rom. 5. *ſi enim unius delictô multi mortui ſunt, multo magis Gratia DEI, & donum in Gratia unius hominis JESU Chriſti in plures abundavit.* Et illud Joan. 15. *ſine me nihil poteſtis facere.* Et illud Joan. 6. *nemo poteſt venire ad me; niſi Pater meus traxerit eum*; quod fit mediante Gratia actuali. Et ad Philip. 1. *qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Chriſti JESU.* Et illud 2. ad Cor. 3. *non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt*: Ergo &c.

5. Probatur *ſecundò* authoritate Conciliorum legitimorum, quæ ſæpiùs anathematizarunt Pelagii dogma, negans exiſtentiam, & neceſſitatem Gratiæ Divinæ ſupernaturalis, ùt neceſſariæ ad beatitudinem; ſic imprimis egit Concilium Milevitanum anno. 416. cui interfuit D. Auguſtinus. Deinde Carthagienſe anno. 418. collectum ex 214. Epiſcopis, uti ſcribit Proſper *in Chronico*; cujus damnationi Zoſimus Sum. Pontifex eodem anno novum Apoſtolicum robur adjecit. Rurſus Generalis Synodus Epheſina unà cum Neſtorianiſmo damnavit Pelagianiſmum. Et noviſſimè Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5. & ſequentibus*, neceſſitatem, exiſtentiam, efficaciam, & concurſum Gratiæ Divinæ Supernaturalis graviſſimis verbis, ex S. Scriptura depromptis, aſſerit: Ergo &c.

6. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. exiſtentiam Gratiæ actualis tanquam elevantis, & neceſſariæ ad ſalutem aſſerentium; ùt videre eſt apud D. Auguſtinum *tom. 7.* in variis libris, & tractatibus contra Pelagianos. Et *tom. 2. epiſt. 90. & ſeq.* Et apud D. Hieronymum *in dial. contra Pelagian. & Lucifer.* Et *in tract. contra Pelag. ad Eteſiphontem.* Et apud S. Proſperum *libris 2. de vocat. Gent.* Et *lib. reſpons. ad Objecl. Gallorum.* Et apud D. Fulgentium *lib. 1. ad Moncinum.* Et *lib. de Incarnat. & grat. Chriſti*: Et apud S. Anſelmum *lib. de concord. præd. & grat. cum lib. arbit. &c.*

7. Probatur *quartò*: DEUS ex nihilo produxit creaturas rationales ad finem beatitudinis ſupernaturalis, & in ordine ad eandem præfixit iiſdem varia præcepta, & quidem quædam difficillima obſervatu: Ergo etiam deſtinavit iiſdem creaturis media inſervientia ad debitè aſſequendum talem finem ſupernaturalem. Subſumo; ſed nulla alia congruentiora ſunt, quàm dona, & beneficia Divina gratuita Gratiarum ſupernaturalium: Ergo dantur Gratiæ Divinæ ſupernaturales elevantes, & neceſſariæ ad conſequendam beatitudinem. Prob. Conſeq. DEUS cæteris creaturis à ſe conditis contulit motus, & qualitates convenientes, atque neceſſarias ad ſuos fines naturales attingendos: Ergo à fortiori deſtinavit media inſervientia ad conſequendum finem ſupernaturalem beatitudinis.

nis. Præterea extant, & ſunt neceſſaria ſpecialia auxilia Gratiæ Divinæ ſupernaturalis in ordine ad cognoſcenda myſteria ſupernaturalia Fidei; ad ſervandam diu totam legem naturæ; ad ritè ſe diſponendum pro juſtificatione; & ſimilia complura opera; de quibus infrà: Ergo etiam datur Gratia Divina ſupernaturalis neceſſaria in ordine ad aſſequendam beatitudinem, ad quam conducit notitia myſteriorum Fidei, obſervantia Legis naturæ, iuſtificatio &c.

8. Objiciunt Pelagiani *primò*: Cornelius Centurio antè converſionem Act. 10. dicitur fuiſſe *Religioſus, ac timens DEUM cum omni domo ſua, faciens eleëmoſynas multas plebi, & deprecans DEUM ſemper*: ex quibus habetur, Cornelium abſque gratia actuali elicuiſſe opera diſponentia ad beatitudinem conſequendam: cùm hæc non detur niſi converſis, & baptizatis: Ergo &c. *Secundò*; opus, quô præparatur homo ad Juſtificationem, & conſequenter ad beatitudinem conſequendam, eſt ab homine ſolo; & conſequenter abſque gratia aliqua ſpeciali actuali: unde dicitur Prov. 16. *hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam.* Et Zachar. 1. *convertimini ad me, & convertar ad vos*: Ergo &c. *Tertiò*; ſi beatitudo dependeret neceſſariò à Gratia actuali elevante, ſequeretur DEUM eſſe perſonarum acceptatorem: ſed hoc dici nequit: Ergo &c. *Quartò*; auxilium Gratiæ actualis neceſſariò elevantis, & conducentis ad beatitudinem præjudicaret libero arbitrio: ſed hoc dici nequit: Ergo &c.

9. Reſpondeo *ad Primum*: illud encomium fuiſſe datum Cornelio, quando jam credebat in Chriſtum; etſi necdum explicitè; eò quòd necdum tunc plenè eſſet inſtructus in Fidei myſteriis omnibus; utì tenet D. Auguſtinus *lib. de prædeſtin. SS. cap. 7.* unde illas eleëmoſynas, ac alia opera bona jam eliciebat cum Gratia actuali; utì tenet idem S. Pater. *Ad Secundum* Neg. Min. & ad authoritates Scripturæ dico; hominis quidem eſſe præparare animam, & ſe convertere ad DEUM; quia DEUS neminem ad ſe vocat, niſi volentem; nec ad ullum convertitur, niſi ad volentem converti ad DEUM; ſed utraque iſta volitio hominis fieri nequit abſque ſpeciali auxilio Gratiæ actualis; ad has enim requiritur pia cogitatio, quæ non niſi à DEO donatur; *non enim ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt*, 2. ad Cor. 3. *Ad Tertium* Neg. Maj. tunc enim ſolùm committitur perſonarum acceptio, quando debitum intercedit, ita ut uni conferatur id, quod alteri debetur: non autem quando aliquid donatur liberaliter, & gratuitò; utì fit in collatione Gratiæ actualis, à qua dependet beatitudo. *Ad Quartum* Neg. pariter Maj. Gratia enim quantumvis efficax non deſtruit, ſed adſtruit, liberum arbitrium; unde dicitur de homine habente Gratiam actualem, Eccl. 31. quòd *potuit transgredi, & non eſt transgreſſus*; quod liberum arbitrium cum Gratia ſubſiſtere indicat.

ARTICULUS II.

An reverà aliquando hominibus detur aliqua Gratia tantùm inefficax?

1. Dico primò: DEUS aliquando quibuſdam hominibus dat Gratiam tantùm inefficacem ſufficientem tamen ad ſalutem. Ita Catholici; contra Pelagianos, & Calvinum *lib. 2. inſtit. c. 3.*

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; nam de Gratia tantùm inefficaci, quibuſdam hominibus conceſſa, extant ſequentes paſſus S. Scripturæ; Jerem. 7. *vocavi vos, & non reſpondiſtis.* Et alius ſimilis huic Proverb. 1. *vocavi* (nota Gratiam vocantem, ſeu prævenientem) *& renuiſtis; extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret.* Et ille Oſe. 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum.* Et ille Matth. 23. *quoties volui congregare filios tuos* (utique per auxilium Gratiæ ſufficientis) *quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Et ille Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo & ipſe mecum*: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò* authoritate Conciliorum; eandem Gratiam aſſerentium; ùt videre eſt in Arauſicano, ubi adſtruit Gratiam ſufficientem ad ſervanda præcepta ſalutis in Baptizatis, & conſequenter inefficacem dicens; *hoc ſecundùm Fidem Catholicam credimus, quòd acceptâ per Baptiſmum Gratiâ omnes baptizati Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere*: & tamen non omnes Baptizati Chriſto auxiliante adimplent ea, quæ pertinent ad ſalutem: adeoque habent ſolam Gratiam ſufficientem, ſeu inefficacem. Idem docet Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 11.* Ergo &c.

4. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. docentium, multos quidem accipere Gratiam Divinam; ſed eam repellere, negligere &c. Sola autem Gratia ſufficiens ſeu inefficax repellitur;

pellitur; ſic loquitur Proſper *lib. 1. de vocat. gent. cap. 9. magna pars hominum ſalvandæ Gratiam aut repellit, aut negligit.* Et Auguſtinus *lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2.* dicit, Eſau potuiſſe velle, & currere (mediante ſcilicet Gratiâ ſufficienti) & tamen non voluiſſe, nec cucurriſſe. Et D. Cyrillus *lib. 1, in Joan. cap. 11.* expendens illud, *Mundus eum non cognovit*, dicit, *illuminat enim Filius; repellit autem Gratiam creatura*: Ergo &c.

5. Probatur *quartò* ratione: Tum quia videmus de facto non omnes homines juſtos perſeverare in Juſtitia accepta; Ergo hi ſolam Gratiam ſufficientem ſeu inefficacem nacti ſunt. Tum quia reprobi habent ſolam Gratiam inefficacem ſeu ſufficientem: ſi enim efficacem haberent, ſalvarentur. Tum quia experientia conſtat, plures homines poſſe reſiſtere, & de facto ſæpè reſiſtere Gratiis Divinis, deſuper immiſſis. Unde D. Laurentius Juſtinianus *lib. de Spir. animæ reſurrect.* in principio ait, *quamvis ad inſinuandum, hominem poſſe DEO reſiſtere, multis Divinorum eloquiorum valeat authoritatibus comprobari; id tamen unuſquiſque ſufficienter experitur in ſe. Quis oro, tantâ ſanctitate eſt præditus, ut ſæpiſſimè aſpirationi non renitatur internæ, aut torpore victus, aut propriâ affectione ſeductus? O quantis clamoribus introrſus, quantiſvè exhortationibus ſacris excitatur peccator, antequam de morte, ſeu ſomno delictorum evigilet!* Sed Gratia, cui reſiſtitur, eſt tantùm inefficax ſeu ſufficiens: Ergo DEUS dat quibusdam hominibus tantùm ſufficientem, ſeu inefficacem Gratiam.

6. Objicit Calvinus *primò*: Gratia Chriſti eſt ſemper victrix; id eſt, cum effectu infallibiliter conjuncta: Ergo omnis Gratia à Chriſto proveniens eſt efficax. *Secundò*: Auguſtinus aſſerit, omnem Gratiam eſſe Efficacem: Ergo nulla datur ſufficiens. Prob. Ant. *lib. de Prædeſt. SS. cap. 82.* ait, *abſit, ut quisquam non audiat, qui à Patre audivit, & didicit.*

7. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. cujus contrarium patuit manifeſtè *ex probationibus* paulò antè præmiſſis. *Ad Secundum* Neg. Ant. & gloſſo D. Auguſtinum dicendo, quòd locô citatô loquatur de Gratia Efficaci præcisè; non de omni Gratia. Nam alibi manifeſtè diſtinguit duas Gratias, unam Efficacem in Electis, puta *lib. 1. ad Simpl. quæſt. 2.* dicens, *illi Electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non Electi; quia non ſecuti, quamvis vocati*; en Gratiam vocationis Inefficacem.

ARTICULUS III.

An Gratia actualis ſit neceſſaria ad exiſtentiam DEI, & alias veritates naturales cognoſcendas?

1. Dico primò: poteſt quis ſinè Gratia actuali ſpeciali cognoſcere exiſtentiam DEI, ac quaſdam alias veritates, tam ſpeculativas, quàm practicas. Ita Catholici, contra Calviniſtas, Lutheran. Confeſſ. Angliacanam nuperam.

2. Probatur prima pars *primò*: exiſtentiam poſſe naturaliter, & ſinè Gratia actuali DEI cognoſci, conſtat ex S. Scriptura; nam, ad Rom. 1. dicitur; *inviſibilia DEI à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Et Sap. 13. *à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri*: Ergo &c. *Secundò*; idem conſtat ex SS. PP. unde D. Damaſcenus *lib. de Fid. cap. 1.* ait; *nemo eſt mortalium, cui non hoc ab eo naturaliter inſitum ſit, ut DEUM eſſe perſpectum habeat.* Et D. Hieronymus commentans illud Job. 26. *omnes homines vident eum*, dicit, *per naturæ bonum notitia Creatoris ineſt cordibus*: Ergo &c.

3. Probatur ſecunda pars: Tum quia vis nativa cognoſcitiva intellectûs non eſt extincta in ſtatu naturæ lapſæ; ſed naturalia manſerunt integra, ùt loquuntur PP. & Scholaſtici: Ergo eâ attingi poſſunt multæ veritates ſpeculativæ naturales. Tum quia multæ veritates ſpeculativæ naturales dependent à ſenſibus; quas proinde homo in ſtatu naturæ lapſæ naturaliter poterit cognoſcere. Tum quia vis nativa intellectûs humani eſt diſcurſiva; adeóque potens inferre naturaliter varias conſequentias, dicendo v. g. *totum eſt majus ſuâ parte: Ergo ulna eſt major quadrante ulnæ*: Ergo &c.

4. Probatur tertia pars: ſecundùm S. Scripturam, & SS. PP. homini etiam Gentili à natura ineſt quædam notitia naturalis veritatum practicarum, inſtruens de honeſto faciendo, & de turpi, ſeu rationi diſſono vitando; quæ notitia vocatur *Lex cordi inſcripta*: unde ad Rom, *2. cap.* dicitur; *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in*

cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientiâ ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus. Idem adſtruit Auguſtinus ſuper *Pſalm. 56.* dicens; *manus formatoris noſtri in ipſis cordibus veritatem ſcripſit, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: Ergo extat in corde etiam lapſi hominis lex ſcripta, ſeu notitia naturalis aliquarum veritatum practicarum moralium; adeóque ad eam venandam non eget Gratiâ actuali ſpeciali. Tum quia nec in principiis generalibus morum penetrandis, v. g. *bonum eſt amplectendum, malum fugiendum* &c. Nec in particularibus cognitionibus practicis, ex iis deductis, v. g. his, Dsus, *qui eſt ſummum Bonum, eſt amandus, & colendus; parentes honorandi; pauperes adjuvandi* &c. eſt ulla ſingularis difficultas; imò unicuique ratione rectè utenti ſunt obviæ notitiæ ſimiles: Ergo eas ſolis naturalibus viribus intellectûs homo percipere poteſt, etiam in ſtatu naturæ lapſæ.

5. Objiciunt Calviniſtæ *primò* contra primam partem Concluſionis: S. Scriptura dicit, quòd DEUS *habitat lucem inacceſſibilem*: Ergo &c. *Secundò*: DEUS eſt infinitus omnimodè: Ergo nequit cognoſci abſque Gratia actuali ſpeciali. Reſpondeo; his & ſimilibus argumentis tantùm probari, quòd DEUS non poſſit naturaliter cognoſci comprehenſivè, & prout omnimodè cognoſcibilis eſt: cum quo ſtat, quòd poſſit naturaliter cognoſci ſecundùm ſuam exiſtentiam, citra comprehenſionem.

6. Objiciunt *ſecundò* alii contra ſecundam partem concluſionis: quælibet cognitio cujuſcunque Veritatis, etiam ſpeculativæ, ſecundùm Concilium Arauſicanum eſt donum: Ergo nequit homo ullam obtinere abſque Gratia actuali. Prob. Ant. nam *cap. 22.* dicit Sacra Synodus, *fatendum eſt tam Veritatem, quam Juſtitiam eſſe ab illo fonte, quem in Eremo ſitire debemus.* Et Milevitanum ait, *can. 4. DEUS eſt, qui docet hominem ſcientiam*, utique ſuâ Gratiâ actuali. Et Apoſtolus 1. ad Cor. 4. dicit *quid habes quod non accepiſti?* ſcilicet per ſpecialem Gratiam DEI: Ergo &c.

7. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. de dono, ad quod obtinendum ſpeciale DEI auxilium requiritur. Et *ad Arauſicanum* dico; ipſum ſolùm velle, quòd omnis veritas ſit à DEO ùt fonte; eò quòd ipſe ſit Author naturæ, & concurrat concurſu ſuo generali ad omnes effectus earum; etſi non omnes procedant ex ſpeciali Gratia DEI. *Ad Milevitanum* dico ſimiliter, quòd DEUS ùt Author naturæ doceat hominem ſcientiam, condendo nimirum ejus intellectum, & concurrendo ad omnes actus ejus ſcientificos; ſinè tamen ſpeciali Gratia. *Ad Apoſtolum* eſt eadem reſponſio, quòd homo omnia acceperit à DEO ùt Authore naturæ; non tamen ſemper ex ſpeciali ejus Gratia.

8. Objiciunt *tertiò* contra tertiam partem concluſionis: D. Paulus dicit 2. ad Cor. 3. *non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt*: Ergo nullam poteſt homo lapſus percipere Veritatem practicam ſolis naturalibus viribus intellectûs, ſed ad eam neceſſaria erit Gratia DEI. Reſpondeo exponendo Scripturam, & dico; eam loqui de cognitione practica ſupernaturali Fidei conducente ad finem ſupernaturalem, ad quam eliciendam ſufficientes ſimus ex DEO, id eſt, mediante DEI Gratia; Concluſio autem loquitur de cognitione practica, quæ ſit ordinis naturalis.

Dico ſecundò: non tamen omnes veritates ſpeculativæ, nec omnes practicæ morales naturaliter, & abſque ſpeciali Gratia actuali DEI cognoſci poſſunt. Ita Catholici.

9. Probatur prima pars Concluſionis: Tum quia quædam veritates ſpeculativæ valde profundè in ipſis naturis rerum latent; ac proinde difficillimæ ſiunt inveſtigationis, ac inventionis; & quædam practicæ artificiales in arcanis Regulis artis difficillimæ quoque factibilitatis, ut vis practica cognoſcendi intellectûs ea naturaliter aſſequi non poſſit; uti patet in ſpeculativis de motu magnetis; de flexu & reflexu maris; de numero exacto ſtellarum, earúmque phyſicis admirandis influentiis; de cœlorum motu multiformi, excentrico & concentrico: in practicis verò artificialibus, de valdè artificioſis mixturis colorum præparandis; ac ſimetria extraordinaria & vivis modis, effigies rerum ad vivum adumbrandi, &c. Ergo pro harum, & ſimilium veritatum debita notitia aſſequenda neceſſaria eſt Gratia ſpecialis Actualis. Tum quia idcirco complures veteres Philoſophi, etſi ſapientiſſimi; ùt Ariſtoteles Plato, & alii, defectu Gratiæ Actualis circa nonnullas Veritates naturales ſpeculativas hallucinati ſunt. Tum quia omnium Veritatum cognitiones ſunt propè infinitæ; pro quibus proinde procurandis longiſſimum tempus requireretur: *breves autem ſunt dies hominis*, inquit Job; inſuper hi multis aliis curis, ſenſualibus occupationibus, & faſtidiis nunc intercepti, nunc

impediti

impediti penitùs adverſa valetudine, & corruptione naturæ, nunc ipſarum Veritatum ſubtili indagine fatigati: Ergo homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt naturaliter cognoſcere omnes Veritates ſpeculativas naturales; idem dic de omnibus practicis artificialibus à pari.

10. Probatur ſecunda pars Concluſionis: de omnibus agibilibus in particulari procedit illud S. Scripturæ Eccleſ. 1. *cunctæ res difficiles; non poteſt eas homo explicare ſermone*. Tum authoritate SS. PP. maximè Clementis Alexandrini, Juſtini, Lactantii, & Auguſtini paſſim docentium, antiquos etiam perſpicaciſſimos Philoſophos circa plura agibilia hallucinatos fuiſſe; utique defectu Gratiæ Actualis: Ergo ad omnia agibilia ritè cognoſcenda neceſſaria eſt Gratia Actualis ſpecialis. Tum quia ſecundùm omnes PP. ſignanter Auguſtinum *lib. 22. de Civit. DEI cap. 22. & Retract. cap. 9.* homo per peccatum contraxit vulnus ignorantiæ, quæ eum fecit in multis agendis moralibus præſertim cæcutire: Ergo &c. Tum quia multa ſunt agibilia in particulari in ordine ad finem ſupernaturalem; ad quæ proinde neceſſaria eſt notitia ex Gratia ſpeciali Actuali procedens.

ARTICULUS IV.

An Gratia actualis ſit neceſſaria ad cognoscenda myſteria Fidei?

1. Dico primò: Ad ritè cognoſcenda Myſteria Fidei, & eisdem aſſentiendum, ùt oportet propter revelationem Divinam, & Myſteriorum propoſitionem neceſſaria eſt viatori Gratia Actualis ſpecialis. Ita communis Catholicorum; contra Pelagianos.

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; neceſſitatem Gratiæ actualis ad credendum aſſerentis; unde dicitur Joan. *6. nemo poteſt venire ad me* (ſubintellige credendo) *niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum*; mediante videlicet Gratiâ actuali ſpeciali. Et iterum, *nemo poteſt venire ad me, niſi ei fuerit datum à Patre meo*: quæ verba apertè dationem neceſſariam Gratiæ ſpecialis inſinuant. Eadem neceſſitas Gratiæ actualis ad credendum colligitur ex illo 1. ad Cor. *12. nemo poteſt dicere* (fide nimirum confitendo) *Dominus JESUS, niſi in Spiritu S.* id eſt in Gratia actuali, à ſpiritu S. proveniente. Et ex illo 2. ad Cor. 3. *non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis* (cogitatione utique credulitatis ſupernaturalis) *quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt*, id eſt, ex ſpeciali DEI Gratia actuali provenit: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò* Authoritate Conciliorum; eandem neceſſitatem Gratiæ pro credendo, ùt oportet, expreſſè dogmatizantium; ſic loquitur Arauſicanum II. *Can. 5. ſi quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, non per Gratiæ donum nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.* Idem repetit *can. 7.* Et Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 3.* definit: *ſi quis dixerit, ſinè prævenientè ſpiritûs S. inſpiratione atque ejus adjutorio hominem credere poſſe, ſicut oportet, anathema ſit.* Vide etiam pro hoc determinationem Cœleſtini Papæ *in Epiſt. 1. ad Episc. Galliæ cap. 10.* Et Leonis Papæ *epiſt. 84.* alias 86. Et Innocentii I. *Epiſt. ad Episc. Africæ*: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò* Authoritate SS. PP. eandem doctrinam profitentium: ùt videre eſt apud Proſperum *lib. 1. de vocat. gent. cap. 23.* Et apud Fulgentium *lib. de Incarnat. cap. 20.* Et apud Auguſtinum pluribus in locis contra Pelagium, ejúsque ſequaces, ſignanter *lib. de Gratia cap. 31.* Et *lib. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 3.* Et *lib. de bono perſev. cap. 1. 2. & 3.* Et apud Iſidorum *lib. 3. ſent. cap. 20.* dicentem; *doctrina* (ſcilicet fidei) *ſinè adjuvante Gratia, quamvis infundatur auribus, ad cor nunquam deſcendit, foris quidem perſtrepit; ſed intus nihil proficit. Tunc autem ſermo DEI infuſus auribus ad cordis intima pervenit, quando DEI Gratia mentem interiùs, ut intelligat tangit*: Ergo ad ritè cognoſcenda myſteria fidei, & iisdem aſſentiendum neceſſaria eſt Gratia actualis viatori.

5. Probatur *quartò* ratione: Tum quia aſſenſus myſteriorum fidei, ùt oportet, eſt actus ſupernaturalis: Ergo ad ejus debitam productionem neceſſaria eſt Gratia actualis ſupernaturalis. Tum quia aſſenſus myſteriorum fidei, ùt oportet, eſt una ex diſpoſitionibus ad juſtificationem ſupernaturalem peccatoris requiſitis, adeóque debet eſſe quid ſupernaturale, ut proportionetur debitè formæ, ad quam diſponit: Ergo ad eam ponendam requiritur Gratia Divina; quia ad ponendum ens quodcunque ſupernaturale, requiritur Gratia Divina.

6. Objiciunt Pelagiani *primò*: S. Scriptura dicit, in nobis eſſe initium ſufficiens bonæ voluntatis, per quod homo præparatur ad credendum; & per quod fides petatur, deſideretur,

retur, & obtineatur, ſinè gratia: unde dicitur Iſà. 3. *ad vocem clamoris tui, ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi*: Ergo naturaliter poteſt quis cognoſcere myſteria Fidei, & eiſdem aſſentiri. *Secundò*: quidam Hæretici cognoſcunt, & credunt quædam myſteria Fidei, puta Trinitatis, Incarnationis, & Reſurrectionis Chriſti: ſed hi non habent gratiam actualem ſpecialem ad hoc: Ergo &c,

7. Reſondeo *ad Primum* Neg: Ant. nam ex Scripturis relatis ſuprà *probat. 1.* clarè conſtat, DEUM eſſe qui operatur in nobis velle bonum, & deſiderium Fidei, ac ejus acquiſitionem: Auguſtinus *lib. 2. ad Boniſac. cap. 9.* conferens illa verba Proverb. *hominis eſt præparare cor*, cum his verbis 2. ad Cor. 3. *non quòd ſimus ſufficientes cogitare* &c. dicit, *homo præparat cor; non tamen ſinè adjutorio DEI, qui ſi tangit cor, homo præparat cor.* Et rurſus, *ſi enim ſinè illo nihil poſſumus facere; profectò nec incipere, nec perficere; quia ut incipiamus dictum eſt, miſericordia ejus præveniet me; ut perficiamus, dictum eſt, miſericordia ejus ſubſequetur me. Ad ſecundum* dico; tales Hæreticos credere tantùm Fide humana illa myſteria, per habitum acquiſitum naturalem: unde illa credulitas ſeu fides eorum non eſt quoddam DEI donum (ùt loquitur S. Auguſtinus *lib. de patien. cap. 28.* ſed ex hæreditatorum. Unde.

8. Dico ſecundò: ad initium quoque Fidei ſupernaturalis, & ad pium credulitatis affectum neceſſaria eſt Gratia actualis ſpecialis. Ita communis Catholicorum; contra Semipelagianos, aliàs Maſſilienſes, ſeu reliquias Pelagianorum vocatos. Per *initium fidei*, intellige ipſum primum, & ſupernaturalem actum Fidei; per *pium affectum* verò *credulitatis*, efficacem voluntatis affectum.

9. Probatur prima pars *primò* illis authoritatibus Scripturæ, quæ allegatæ ſunt pro *priori concl.* quæ, cùm ſimpliciter, & univerſaliter loquantur, Gratiam eſſe neceſſariam ad Fidem, ſeu credendum, ut oportet; etiam de Fide initiali, intelligendæ ſunt. His adde ſequentes; ad Philip. 1. *qui cæpit in vobis opus bonum*, (ſcilicet Fidei, ut patet ibidem) *perficiet.* Et iterum, *vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm, ut in eum credatis &c.* Et ad Epheſ. 2. *Gratiâ ſalvati eſtis per fidem: donum enim DEI eſt*: Ergo ad initium Fidei quoque neceſſaria eſt Gratia actualis ſpecialis.

10. Probatur *ſecundò* authoritate CC. & PP. nam Arauſicanum II. *can. 5.* tum augmentum, tum initium Fidei referet in DEI Gratiam ſpecialem. ſimiliter Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* dicens; *moventur autem ad Juſtitiam, dum Divinâ Gratiâ excitati, & adjuti liberè moventur in DEUM credendo*; quibus verbis etiam primus motus Fidei, & credulitas in DEUM Gratiæ excitanti adſcribitur. Idem docent PP. citati, ſignanter D. Auguſtinus, qui *lib. de prædeſt. SS.* pluribus oſtendit, initium Fidei eſſe ex Gratia: Ergo &c.

11. Probatur *tertiò* ratione ſi initium non eſſet ex Gratia DEI ſpeciali, id eſſet ex nobis: ſi autem eſſet ex nobis, initium ſalutis eſſet ſimpliciter ex nobis; quia mediante tali Fide poſſemus mereri ſalutem, imò & ipſam Gratiam; atque ita Gratia non eſſet gratia, ſed ex meritis: quod argumentum inſigniter urget Auguſtinus *q. 2. ad Simplic.* & *lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 8.* Item Proſper, Fulgentius, & alii veteres PP. Ergo &c.

12. Probatur ſecunda pars: Tum ratione Theologicâ mox adductâ: Tum authoritate Concilii Arauſicani *cit.* definientis, *ſi quis ſicut augmentum, ita etiam initium, pium credulitatis affectum, non per Gratiæ donum, id eſt per inſpirationem Spiritûs S. & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur*: Ergo etiam ad pium credulitatis affectum eſt neceſſaria Gratia actualis ſpecialis.

13. Objiciunt Semipelagiani: quid quid exigitur ab homine, id in illius eſt poteſtate: ſed initium Fidei exigitur ab homine, ut quis ſalvetur, juxta illud Marci 16. *ſi credideris, ſalvus eris*: Ergo eſt in ejus poteſtate; ſed quod eſt in poteſtate hominis non eſt gratia ſpecialis actualis: Ergo &c. Reſpondeo diſtinguendo Maj. quid quid exigitur ab homine, id in illius eſt poteſtate, vel per DEI gratiam; vel per naturam Conc. Maj. per naturam ſemper Neg. Maj. nunc autem Fides eſt tantum per gratiam in noſtra poteſtate: nam *utrumque* (inquit Auguſtinus *lib. de prædeſt. SS. cap. 11.*) *DEI eſt, & quod jubetur, & quod offertur; rogatur enim ut det, quod jubet, rogant credentes, ut ſibi augeatur Fides: rogant pro non credentibus, ut eis donetur Fides, ut & in ſuis incrementis, & in ſuis initiis DEI donum ſit Fides.* Alias Objectiones Semipelaganorum vide ſolutas apud S. Proſperum *cap. 7. & 8. 23. & 25.*

ARTI-

ARTICULUS V.

An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad quoscunque actus ordinis ſupernaturalis ad ſalutem neceſſarios; & omnes morales bonos ordinis naturalis?

1. Dico primò: ad quodlibet opus ſalutare ordinis ſupernaturalis, & conducens ad ſalutem neceſſaria eſt Gratia actualis ſpecialis: Ita Catholici; contra Pelagianos.

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; nam de volentibus operari ſalutariter, & meritoriè intelligitur illud Joann. 10. *ſinè me nihil poteſtis facere* Et 2. Cor. 3. *non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis? ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.* Item Jerem. 10. *Scio Domine, quia non eſt hominis via ejus, neque viri eſt, ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos*; quibus textibus apertè neceſſitas Gratiæ actualis ad opera ſalutaria, & conducentia ad ſalutem exprimitur pro ſtatu naturæ lapſæ.

3. Probatur *ſecundò* authoritate CC. Concluſionem definientium; ſignanter Arauſicani *can. 2. ſi quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ cogitare, aut eligere, ſive ſalutari prædicationi conſentire poſſe confirmat, abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritûs S.* (nota Gratiam actualem neceſſariam) *qui dat omnibus ſuavitatem in conſentiendo, & credendo veritati, hæretico fallitur ſpiritu.* Et *can. 9. Divini eſt muneris, cùm & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitia tenemus Quoties enim bona agimus, DEUS in nobis atque nobiſcum, ut operemur, operatur*: Ergo ad opus quodcunque ſalutare, ſeu ad ſalutem pertinens eliciendum, neceſſaria eſt Gratia actualis.

4. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. eandem doctrinam confirmantium; unde S. Auguſtinus *lib. de præd. SS. cap. 2. quod ad Religionem pietatémque pertinet, non ſumus nos ſufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, quaſi ex nobis*: Ergo &c.

5. Probatur *quartò* ratione: quia opus ſalutare, aut eſt diſpoſitio ad juſtificationem obtinendam; aut conducit ad eam augendam, & beatitudinem conſequendam; quocunque autem modô ſe habeat, eſt actus ſupernaturalis: Ergo ad eum eſt neceſſaria Gratia actualis.

6. Objiciunt Pelagiani *primò*: Cornelii Centurionis ante converſionem religio, timor, eleēmoſynæ, & orationes, de quibus fit mentio Act. 10. fuerunt DEO acceptæ, ac proinde conducebant tanquam opera ſalutaria ad ſalutem: ſed is non habuit ullam gratiam actualem prævìam ad eorum exercitium; quia adhuc erat infidelis: Ergo &c. *Secundò*; opus, quô quis ſe præparat ad juſtificationem, & ſalutem conſequendam, eſt opus ſalutare: ſed hoc quiſque elicit abſque Gratia actuali ſpeciali ſolis ſuis viribus naturæ: Ergo &c. Prob. Min. quia Proverb. 16. dicitur, *hominis eſt animam præparare, & Domini gubernare linguam*: Ergo &c. *Tertiò*; non eſſet liberum arbitrium, ſi DEI indigeat Gratiâ actuali ſpeciali, pro ponendo opere ſalutari: Ergo &c. *Quartò*; ſequeretur, quòd Gratia illa ſpecialis eſſet aliquid fortuitum, & caſuale; quia conferreretur homini nihil tale merenti; imò ſæpe etiam reluctanti; quæ ſequela eſt falſa: Ergo &c.

7. Reſpondeo ad Primum Neg. Min. quamvis enim, ut *art. 1. object. 1.* dictum eſt, Cornelius Centurio exercens illa opera necdum crederet explicitè, ac diſtinctè omnia myſteria Fidei, defectu ſufficientis inſtructionis; non tamen omni Fide carebat, ùt teſtatur D. Auguſtinus *lib. de prædeſt. SS. cap. 7.* ac proinde jam habuit Gratiam actualem, concurrentem neceſſariò ad illa opera ſalutaria. *Ad ſecundum* Neg. Min. & ad authoritatem Scripturæ in Probatione ejus allatam dico; ùt ſupra *art. 1. object. 2.* etiam illam præparationem animæ ab homine fieri non poſſe abſque ſpeciali Gratia actuali; utì patet ex 2. ad Cor. 3. *Ad Tertium* Neg. Ant. Gratia enim quantumvis efficax non deſtruit liberum arbitrium; ſed illud adſtruit, utì oſtendit D. Auguſtinus *lib. 2. de nupt. & concup. cap. 3.* *Ad Quartum* Nego ſequelam: nam cùm tale donum à DEO proficiſcatur; ideo cum ſumma prudentia, provisione, & ex intentione liberaliter tribuitur.

8. Dico ſecundò: ad aliqua opera moraliter bona non requiritur neceſſariò Gratia ſpecialis actualis. Ita Catholici; contra Luther. Calvin. Confeſſ. Anglican. nuperam, & alios docentes naturam ita eſſe debilitatam per peccatum, ut nil poſſit rectè moraliter agere.

9. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ; quæ tam juſtos, quàm fideles peccatores quà tales adhortatur, ut ponant actum eleēmoſynæ tanquam bonum moraliter, ſupponens eum eſſe in naturali eorum poteſtate, cùm Luc. 11. dicat, *date eleēmoſynam, & omnia munda ſunt vobis.* Et Matth. 6. inſtruuntur

omnes etiam peccatores à Chriſto, ut orent, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus;* ſupponendo quòd etiam peccator poſſit naturaliter ponere bonum opus dimiſſionis debiti. Et Matth. 4. dicitur ad fideles peccatores, *ſi ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona dare filiis veſtris; quantò magis Pater veſter, qui in cœlis eſt:* Ergo fidelis etſi peccator poteſt ſinè Gratia ſpeciali ponere aliqua opera bona moraliter, quæ ſunt ordinis naturalis.

10. Probatur *ſecundò* authoritate Eccleſiæ; damnantis illam doctrinam Joannis Huſſii, *omnia opera impiorum ſunt peccata:* & illam, *omnia opera, quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, verè ſunt peccata,* quam Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 7.* anathematizat: & illam Bay: *cum Pelagio ſapit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex natura viribus ſolis ortum ducit, agnoſcit,* quam damnat Gregorius XIII. Ergo oppoſitæ propoſitiones ſunt veræ: & conſequenter impii fideles poſſunt naturaliter ponere aliqua opera moraliter bona ordinis naturalis.

11. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. doctrinam concluſionis admittentium; ùt videre eſt apud Chryſoſtomum *hom. 67. ad pop.* Et *26. in Matth.* Et Damuſcenum *lib. 3. de Fide cap. 14.* Et Hieronymum *lib. 3. contra Pelag. in fine.* Et Auguſtinum *lib. de ſpirit. & litt. cap. 28.* Ubi in impio agnoſcit aliqua opera moraliter bona, etſi inutilia ad ſalutem dicens, *ad ſalutem nil proſunt impio aliqua bona opera, ſinè quibus difficillimè vita cujuscunque peſſimi hominis invenitur:* Ergo peccator poteſt aliqua bona opera moraliter ponere ſinè Gratia.

12. Probatur *quartò* ratione: Tum quia, ùt bene diſcurrit S. Bonaventura, experimur in nobis, quòd multa bona opera moralia cum quadam facilitate facere poſſimus, ac proinde ſinè Gratia ſpeciali; cujusmodi eſt diligere eos, qui nos diligunt; colere parentes; honorare eos, qui nos honorant; ut idcirco poſitio ſimilium operum ſit omnibus communis; unde Salvator Matth. 5. *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis; nonnè & publicani hoc faciunt? Et ſi ſalutaveritis Fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis; nonnè & Ethnici hoc faciunt?* Tum quia ſi homo liberi arbitrii non eſſet naturaliter aptus alicui bono morali proportionato eliciendo, eſſet infelicior brutis, quorum unum alteri obſequitur, auxiliatur, coöperatur, & ex naturali inſtinctu compatitur: Ergo dicendum eſt, quòd homo ſit aptus ad eliciendа aliqua bona moralia, v. g. ſubventionis eleëmoſynæ, &c. Tum quia natura, etſi ratione peccati originalis ſit vulnerata, non eſt tamen penitùs corrupta in naturalibus: Ergo adhuc retinet dictamen congenitum rationis, dictans naturaliter hoc, vel illud honeſtum eſſe operandum, v. g. proximo egeno ſuccurrendum: ſtante autem tali dictamine naturali, quòd eſt legis naturæ, non videtur quoq; aliqua difficultas, quò minùs voluntas non exerceat naturaliter actum moraliter bonum ſubventionis circa proximum egenum. Unde rectè Auguſtinus *lib. de ſpirit. & litt. cap. 28.* non uſque adeò in anima humana imago DEI terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta externa remanſerint, unde meritò dici poſſint homines facere aliqua legis, vel ſapere.

13. Objiciunt Hæretici contra ſecundam Concluſionem *primò*: Salvator dicit Matth. 17. *non poteſt arbor mala bonos fructus facere*; id eſt malus homo bona opera ponere: Ergo &c. *Secundò*; SS. Litteræ, CC. & PP. clamant; nos nil poſſe ſinè DEO; id eſt, ſinè Gratiæ Divinæ auxilio; unde dicit Arauſicanum *can. 9. nulla facere hominem bona, quæ non DEUS præſtat, ut faciat homo:* Ergo &c. *Tertiò*; Concil. Arauſicanum II. dicit *can. 22. nemo habet de ſuo, niſi mendacium, & peccatum:* Ergo non habet per vires ſuæ naturæ ulla opera bona moraliter. *Quartò*; Auguſtinus *lib. de ſpirit. & litt. cap. 3.* dicit, neque liberum arbitrium quidquam niſi ad peccandum valet, ſi lateat veritatis via: Ergo non valet ad ponenda opera bona moraliter.

14. Reſpondeo *ad Primum* gloſſando Scripturam, & dico; eam dirigi ad falſos Prophetas, qui cùm ſint arbores malæ, id eſt, progerminantes falſas doctrinas, ex ſimilibus arboribus utique non poſſunt naſci boni fructus veræ fidei, & doctrinæ. Poſſet etiam dici; quòd textus ille ſit intelligendus ùt plurimùm; quaſi diceret, peccator ùt plurimùm ponit fructus, ſeu opera mala moraliter; cum quo tamen ſtat potentia ad poſſe, ſi vellet, ponere moraliter bonos fructus. *Ad ſecundum* quoque gloſſo SS. litteras, CC. & PP. & dico; eos ſolùm velle, quòd nos nil meritorii, & conducentis ad vitam æternam poſſimus ponere ſinè DEO, id eſt, Divinâ Gratiâ. *Ad Tertium, & Quartum* dico; Concilium, & Auguſtinum loqui ùt plurimùm; eo quòd homo, & liberum arbitrium ejus ùt plurimùm peccatum, & mendacium operetur, ac ad ea propendeat in natura corrupta; atque adeò, quòd ex naturalibus non poſſit ponere actum aliquem meritorium, ſicut oportet, & bonum reſpectu vitæ æternæ. Hâc viâ ſolvuntur plura argumenta, ſolita hìc objici.

ARTI-

ARTICULUS VI.

An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad obſervantiam Divinorum præceptorum; & eliciendos actus ſupernaturales Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ?

1. DIco primò: ad debitè, & diu obſervanda Divina præcepta; ac ad eliciendos actus ſupernaturales Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ ùt oportet, ac ad juſtificationem conſequendam, eſt neceſſaria Gratia actualis ſpecialis. Ita Catholici; contra Pelagianos.

2. Probatur prima pars: etiam debita, & continuata, ac diuturna Obſervantia Divinorum præceptorum comprehenditur ſub illis paſſibus S. Scripturæ, Conciliorum, & SS. PP. quos *priori art.* retuli, & qui inſinuant Gratiæ actualis ſpecialis neceſſitatem; cùm ejuſmodi obſervantia ſit opus quoddam ſalutare, ad ſalutem pertinens: Ergo ad hanc quoque neceſſaria eſt Gratia actualis ſpecialis.

3. Probatur ſecunda pars *primò*: ad actus ſupernaturales Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, ùt oportet, & ad juſtificationem conſequendam eſſe neceſſariam Gratiam actualem ſpecialem, docet Concilium priſcum Arauſicanum *can. 25.* Et Concilium Milevitanum *cap. 14.* Item idem conſtat ex textibus S. Scipturæ, & SS. PP. *prior. art.* relatis: Ergo &c. *Secundò*; etiam actus ſupernaturales Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ ſunt opera quædam ſalutaria, pertinentia ad ſalutem: Ergo &c.

4. Objiciunt Pelagiani contra 1. partem Concluſ. ad Rom. 2. dicitur, *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt faciunt:* Ergo ad debitè obſervanda præcepta Divina, ſeu Legem DEI non eſt neceſſaria aliqua Gratia ſpecialis; ſed naturaliter, id eſt ſolis naturæ viribus ea obſervari poteſt. *Secundò*; Deut. 5. dicitur, *mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non eſt ſupra te:* Ergo ejus obſervantia ſolis naturæ viribus abſque gratia actuali adimpleri poteſt. *Tertiò*; plures ſinè Gratia actuali ſpeciali in S. Scriptura leguntur præcepta DEI obſervâſſe: Ergo &c. Prob. Ant. ſic Cyrus carens fide, & conſequenter Gratiâ actuali, ſervabat legem naturalem; unde dixit ei DEUS Iſa. 44. *omnem voluntatem meam complebis.* Item quidam Princeps Matth. 19. dixit; *omnia hæc* (ſcilicet mandata DEI) *cuſtodivi à juventute mea.* Et Apoſtolus Paulus teſtatur ad Philip. 6. quòd ante ſuam converſionem, & Gratiæ adeptionem, ſecundùm juſtitiam, quæ ex lege eſt, converſatus fuerit, ſinè querela in lege; hoc eſt ex integro, & ſinè ulla reprehenſione: Ergo &c.

5. Reſpondeo *ad Primum*: illum textum ad Rom. 2. probare tantùm, quod Gentes legem DEI aliquomodo, & ad breve tempus, & quouſque graves occaſiones ab ejus obſervantia avertentes occurrant, obſervare poſſint: non autem debitè, & longo tempore: ad hoc enim Gratiâ ſpeciali DEI opus eſt. *Ad ſecundum* Neg. Conſeq. & ſenſus verus illius textûs Deut. 5. eſt, quòd Lex DEI non ſit ſupra hominis captum ratione cognitionis; eò quòd ejus notitiam non ſit opus petere à longinquis regionibus; ſed ſit nota, clara, & manifeſta omnibus. *Ad Tertium* Neg. Ant. & ad primum exemplum in Probat. allatum dico; illo textu *Iſa. 44.* ſolùm inſinuati, quòd Cyrus voluntatem DEI ſecundùm quid compleverit; quatenus ſcilicet populum Iſraël ex captivitate juxta DEI juſſum dimiſerat, & civitatem Jeruſalem, & ejus templum reſtauraverat: nam cæteroquin Cyrus fuit ſanguinarius, & alienorum regnorum deprædatot, ac invaſor; utì conſtat ex ejus hiſtoria; & rectè advertit D. Hieronymus *in cap. 1. Zachar.* Ad ſecundum exemplum dico; illum Principem tantùm larvatô, & hypocriticô animô obſervâſſe Legem; unde quando Chriſtus ipſi ſuaſit, ut venderet omnia ſua, & daret pauperibus, contriſtatus fuit, quia dives erat valde, utì narratur Luc. *cap. 18.* Ad tertium exemplum dico; Apoſtolum Paulum dicere, ſe ideo duntaxat vixiſſe ſecundùm juſtitiam, quæ ex lege eſt, & ſine querela; quia probè more Judaico vixerat ante converſionem, abſtinendo ſcilicet ab actionibus continentibus manifeſtam DEI, & proximi injuriam; quales ſunt, perjuria, homicidia, adulteria, & cætera aperta crimina, quæ lex prohibet: non autem vult dicere, ſe ſervaſſe perfectè præcepta Legis Divinæ; nam 1. ad Tim. 1. fatetur, ſe fuiſſe blaſphemum, & contumelioſum. Et ad Tit. 3. ſe fuiſſe incredulum, errantem, ſervientem deſideriis, & voluptatibus variis.

ARTICULUS VII.

An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad dilectionem DEI?

1. DIco primò: DEUS ùt author naturæ poteſt diligi amore naturali imperfecto

fecto benevolentiæ, absque omni Gratia actuali ſpeciali. Ita Catholici; contra Baiſtas &c.

2. Probatur *primò*: S. Scriptura indicat, hominem ex creaturis poſſe cognoſcere DEUM naturaliter, & exinde eundem diligere; unde dicitur ad Rom. 1. *inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea, quæ facta ſunt conſpiciuntur &c.* Et Act. 17. *definiens ſtatuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, ſi fortè attrectent eum, aut inveniant*: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò*: Summi Pontifices damnarunt ad propoſitum ſequentes propoſitiones Bay, *diſtinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quò DEUS diligitur ùt Author naturæ; & gratuiti, quò DEUS amatur, ùt beatificator, vana eſt, & commentitia.* Et iſtam aliam, *amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ cum injuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Authoribus*: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò*: SS. PP. docent, hominem poſſe DEUM, ùt authorem naturæ naturaliter diligere amore imperfecto benevolentiæ; præſertim D. Auguſtinus; qui propterea docet, homini inditam eſſe naturalem inclinationem, & innatum appetitum ad amorem DEI; unde dicit *lib. 1. Confeſſ. cap. 1. feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te*: Ergo &c. Idem habet S. Proſper *lib 2. de vocat. gent. cap. 4.* Et S. Anſelmus *in Monolog. cap. 66.* Ergo &c.

5. Probatur *quartò*: proſequimur naturali amore benevolentiæ Parentes, & amicos: Ergo & DEUM ſic proſequi poſſumus, absque Gratia ſpeciali. Præterea ratio naturalis oſtendit nobis in DEO quà authore naturæ ſummam bonitatem propter ſe diligendam: Ergo in eam naturali amore benevolentiæ tendere poſſumus.

6. Objiciunt Baiſtæ *primò*: in S. Litteris non fit mentio de alio amore DEI, quàm illo, qui oritur ex charitate; quíque ad æternam vitam perducit: ſed ille non eſt amor natnralis benevolentiæ: Ergo &c. *Secundò*; S. Auguſtinus in variis locis loquens de amore DEI, loquitur ſemper de amore tali, qui non eſt naturalis, ſeu naturæ viribus producibilis; ita conſtat ex *com. in Pſalm. 118.* Et *lib. de cor. & grat.* Et *lib. de ſpirit. & lit.* Et *lib. 2. de peccat. mer. cap. 18.* Et *lib. de grat. & lib. arb. cap. 18.* Ergo &c.

7. Reſondeo *ad Primum* Neg. Maj. & contrarium patet ex *probat. 1.* Deinde quamvis S. Litteræ non faciant explicitam, & expreſſam mentionem de amore imperfecto particulari DEI; implicitam tamen, & virtualem faciunt; Quòd autem S. Litteræ plerumque explicitis terminis amoris illius meminerint, qui ex charitate oritur; hoc ideo fit; quia præcipuus ſcopus eſt Scripturæ, amorem ſupernaturalem DEI commendare nobis, propterea quòd ille ſolus ſit dignus, ſolúsque ad ejus poſſeſſionem perducat, & propterea illius ſolius apertiùs meminit. *Ad ſecundum* dico; D. Auguſtinum in citatis locis loqui de amore conducente ad ſalutem, qui utique naturalis non eſt; & quia Pelagiani (contra quos *cit. locis* plerumque agebat) docebant idem de amore ſalutari, ſeu conducente ad vitam æternam, quod de actibus aliarum virtutum ſalutarium, & meritoriarum; quòd videlicet naturales ſint, & abſque Gratia fieri poſſint: propterea differens de amore DEI, continuata dictione loquebatur tantùm de amore DEI ſalutari, & conducente ad vitam æternam, quòd ad eum DEI Gratia neceſſaria ſit, & non ſufficiant vires naturæ. Cum quo ſtat, quòd etiam agnoſcat amorem naturalem DEI, non ſalutarem, & non meritorium vitæ æternæ.

8. Dico ſecundò: DEUS ùt author gratiæ, & gloriæ nequit amore perfecto benevolentiæ diligi, absque Gratia actuali ſpeciali. Ita Catholici; contra Pelagianos.

9. Probatur *primò* omnibus illis S. Scripturæ locis, quibus perfectus DEI amor reputatur beneficium Divinum, & conſequenter non acquiſibile citra Gratiam actualem ſpecialem; ut 1. Joan. 4. *charitas ex DEO eſt.* Et ad Epheſ. 6. *pax Fratribus, & charitas cum Fide à DEO Patre.* Et ad Rom. 5. *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*: Ergo &c. *Secundò*; Concilia pariter dogmatizant amorem DEI quà authoris gratiæ, & gloriæ eſſe donum DEI, ſícque ad eum requiri Gratiam actualem ſpecialem; ſic facit Concilium Milevitanum *can. 4.* Et Arauſicanum *can. 25.* ubi ait, *prorſus donum DEI eſt diligere DEUM.* Et Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 6.* Ergo &c.

10. Probatur *tertiò*: SS. PP. quoque ad dilectionem DEI conducentem ad vitam æternam poſtulant prævium auxilium Gratiæ DEI; unde Auguſtinus *lib. de grat. & lib. arbit. cap. 16.* dicit; *ſi non ex DEO, ſed hominibus eſt dilectio DEI & proximi, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex DEO, vicimus Pelagianos.*

11. Probatur *Quartò*; Tum quia perfectus amor amicitiæ DEI, maximè ùt finis ſupernaturalis, affert omnium præceptorum obſervationem; nam qui DEUM ſupet omnia diligit, vult in omnibus ejus implere voluntatem mandantem, & præcipientem: unde re-

ctè

ait Apoſtolus ad Rom. 13. *cap. plenitudo legis eſt dilectio*; ſed obſervatio omnium præceptorum haberi nequit ſinè Gratia actuali: Ergo neque amor perfectus amicitiæ DEI. Tum quia amor perfectus amicitiæ DEI, ſeu ſuper omnia appretiativè eſt opus valdè arduum; nam cum eo pugnat natura, corruptus amor objectorum terrenorum, delectabilium, & ſenſibilium, quæ ſunt contrariæ objecto Divino dilectionis ſuper omnia; & proclivitas voluntatis ad commoda naturæ incompatibilia cum honeſtate objecti dilectionis DEI ſuper omnia, magno pondere trahens: Ergo ut voluntas perfectum amorem DEI, excuſſo amore terrenorum, ponat, roborari debet neceſſariò Gratiâ actuali.

12. Objectiones Pelagianorum hìc coincidunt cum jam ſolutis ſupra *art. 1. object. contra* 1. quæ tentant excludere neceſſitatem Gratiæ actualis ſpecialis DEI ab exercitio omnis operis ſalutaris; cujusmodi etiam eſt dilectio ſeu amor perfectus DEI ùt authoris gratiæ, & gloriæ, conducens ad vitam æternam.

ARTICULUS VIII.

An Gratia actualis ſpecialis ſit neceſſaria ad perſeverantiam juſtorum in accepta juſtificatione?

1. DIco primò: ad perſeverandum, maximè usque in finem vitæ in accepta juſtificatione, neceſſaria eſt Gratia actualis ſpecialis DEI. Ita Catholici; contra Pelagianos.

2. Probatur *primò* authoritate S. Scripturæ, Gratiæ Divinæ perſeverantiam adſcribentis; ut pſalm. 17. *niſi quia Dominus adjuvit me* (donando ſcilicet perſeverantiæ donum) *paulò minus habitâſſet in inferno anima mea.* Et pſalm. 126. *niſi Dominus ædificaverit domum,* eam fulciendo Gratiâ perſeverantiæ, *in vanum laboraverunt, qui ædificant eam.* Et ad Philipp. 2. *DEUS eſt enim, qui operatur in nobis velle, & perficere* (cum finali ſcilicet perſeverantia) *pro bona voluntate.* Et propterea ipſemet Salvatur ad Patrem cæleſtem oravit pro obtinenda Gratia perſeverantiæ Diſcipulorum dicens Joan. 17. *Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, ut ſint unum, ſicut & nos.* Et ſpecialiter pro perſeverantia fidei Petri ſupplicuit ad Patrem dicens Luc. 22. *ſimon ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: Ergo &c.

3. Probatur *ſecundò* authoritate Conciliorum, doctrinam concluſionis aſſerentium: unde Tridentinum *ſeſſ. 6. can. 22. ſi quis dixerit juſtificatum, vel ſinè ſpeciali auxilio DEI in accepta Juſtitia perſeverare poſſe; vel cum eo non poſſe, anathema ſit.* Et Arauſicanum *can. 10.* ait, *adjutorium DEI, etiam ſanctis, eſſe ſemper implorandum, ut ad bonum finem pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare*: Ergo neceſſaria eſt Gratia actualis ad perſeverandum diu, & maximè usque in finem vitæ.

4. Probatur *tertiò* authoritate SS. PP. neceſſitatem Gratiæ ad perſeverandum conſtanti calculô affirmantium; ùt videre eſt apud S. Bernardum *ſerm. 3. in Cant.* Et S. Gregorium *lib. 1. Moral. cap. 10.* Et *lib. 23. cap. 28.* Et Hieronymum *lib. 2. contra Pelag.* Et Auguſtinum pluries, maximè *lib. de bono perſever. cap. 17.* Et *lib. de nat. & grat. cap. 6.* dicentem; *ſicut oculus corporis, etiam pleniſſimè ſanus, niſi candore lucis adjutus, non poteſt cernere; ſic homo etiam perfectiſſimè juſtificatus, niſi æternâ luce Juſtitiæ divinitùs adjuvetur, rectè non poteſt vivere*: Ergo &c.

5. Probatur *quartò* ratione: Vita etiam juſtorum eſt perpetua lucta cum Diabolo, carne, & mundo, infeſtantibus variis modis: aliunde natura etiam juſtorum eſt de corrupta traduce, propenſa ad malum, ſubjecta defectibilitati: Ergo ut perſeverare valeant diu, & maximè usque in finem vitæ, neceſſe habent continuò roborari à Gratia actuali.

6. Objiciunt Pelagiani *primò*: in S. Scriptura dicitur, quòd *apud DEUM copioſa ſit redemptio.* Et quòd *ubi abundat delictum, abundet & gratia*: Ergo detacto nullus juſtus eget ampliùs ullâ Gratiâ ſpeciali ad perſeverandum. *Secundò*: homo ſemel juſtificatus poteſt ſemper vitare omnia peccata, vi gratiæ ſanctificantis acceptæ, quæ ſufficit ad hoc: Ergo talis poterit perſeverare usque ad finem in accepta juſtificatione. *Tertiò*; DEUS ſuos juſtos non deſerit priùs, quàm ab ipſis deſeratur: ſed ſi juſti non poſſent perſeverare in juſtitia, DEUS deſereret aliquos juſtos, priusquam ab ipſis deſereretur: Ergo &c.

7. Reſpondeo *ad primum* Neg. Conſequ. nam ex his textibus Scripturæ S. tantùm habetur, quòd Chriſtus copioſè ſatisfecerit pro peccatis noſtris & ſit cauſa meritoria noſtræ juſtificationis, ſeu gratiæ ſanctificantis. Cum quo ſtat, quòd homo nihilominus adhuc ege-

at aliis ejus gratiis actualibus; unde præter gratiam Redemptionis, & Juſtificationis, quô delicta peccatoris commiſſa tolluntur, adhuc requiritur alia Gratia, quâ in occaſione proxima peccatorum, & tempore tentationis roboretur, ne ſuccumbat, committendo nova peccata; ſed perſeveret in ſtatu juſtitiæ acceptæ; ùt conſtat ex S. Scripturæ textibus allatis *pro Conclus.* *Ad ſecundum* Neg. Ant. nam licèt Gratia ſanctificans expellat peccatum ab homine; non tamen ſufficiens eſt, ut tempore gravis tentationis præſervet à lapſu; ſed tunc requiritur auxilium ſpeciale Gratiæ; de quo proinde procedit illud dictum Joan. 15. *ſinè me nihil poteſtis facere*; id eſt ſinè gratia mea ſpeciali. *Ad Tertium* Neg. Min. nam DEUS non removet ab anima hominis gratiam ſanctificantem, quamdiu non committit peccatum mortale; nec denegat ulli auxilum ſpeciale gratiæ actualis, quô perſeverare poſſit; niſi priùs homo deſerat DEUM, vel ipſum non orando, vel de ſe præſumendo: Ordo námque Divinæ Providentiæ eſt, ut homo conſequatur perſeverantiam per orationem, & aſſiduam bonorum operum productionem; unde qui non perſeverat in bono usque in finem, ideo non perſeverat, quia deficit ab oratione, & humilitate; ſicque DEUS priùs deſeritur ab homine, quàm DEUS deſerat hominem.

CAPUT VI.

De Sacramentis in genere.

ARTICULUS I.

De quidditate, exiſtentia, & numero Sacramentorum novæ Legis.

1. DIco primò: Catholicè & rectè definitur Sacramentum in genere, quòd *ſit ſignum ſenſibile, gratiam vel effectum DEI gratuitum ex inſtitutione Divina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.* Ita Catholici DD. contra Lutheri, Melanthonis, Herbrandi, Calvini, & Zwinglii definitiones falſas.

2. Probatur: hæc definitio ritè exprimit eſſentiam veram Sacramenti ùt ſic: Ergo &c. Prob. Ant. dicitur *ſignum ſenſibile*; ad differentiam ſignorum ſpiritualium: & ad oſtendendum Sacramenta eſſe hominibus tanquam corporeis viatricibus creaturis data, quæ non niſi per ſenſus in cognitionem ducuntur; unde dicit S. Chryſoſtomus *hom. 60. ſi tu incorporeus eſſes, nuda ipſa tibi dediſſet dona: nunc autem quia conjuncta eſt corpori anima tua, in ſenſibilibus intelligenda tibi traduntur.* Additur *gratiam*; intellige ſanctificantem primariò, quæ eſt ſignatum hujus ſigni primarium; & etiam actualem, niſi obex ponatur. Ponitur ly *vel effectum DEI gratuitum*: propter Euchariſtiæ Sacramentum, cujus ſignatum primarium in Ciborio Conſervati, non eſt gratia habitualis; ſed *gratia ſubſiſtens per ſe*, ſcilicet Chriſtus; qui eſt effectus gratuitus; id eſt, ex gratuita DEI Voluntate procedens, Ly *ex inſtitutione Divina*, denotat Sacramenta non procedere ex humana inventione; ſed eſſe ſigna divinitùs inſtituta. Ly *efficaciter ſignificans*; docet Sacramenta noſtra per modum ſignorum practicorum, & quidem ex opere operato ſignare, & afferre gratiam Divinam. Tandem illæ notulæ *ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*, demonſtrant *cauſam finalem*, ob quam inſtitutum eſt Sacramentum, videlicet ſalutem; & *ſubjectum*, quod cenſetur capax receptionis Sacramenti, ſcilicet homo in via conſtitutus.

3. Objicit Lutherus *lib. de capt. Babyl. cap. ult.* aptiùs ſic definitur Sacramentum in genere, quòd *ſit promiſſio ſigno externo annexa*: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam iſta Lutheri definitio non explicat, cujus rei Sacramentum ſit promiſſio. Deinde Sacramenta quædam, puta Baptiſmus, & Euchariſtia non ſunt formaliter promiſſio; ſed annexam tantùm habent promiſſionem; Baptiſmus quidem hanc, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*: Euchariſtia verò hanc, *ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.*

4. Dico ſecundò: dantur in Lege nova aliqua vera Sacramenta, à Chriſto inſtituta, & ordinata ad ſalutem hominum. Ita Catholici; contra priſcos hæreticos Archonticos, & Meſſalianos.

5. Probatur *primò*: S. Scriptura novi Teſtamenti recenſet Sacramenta, aſſignando eorum inſtitutionem, ritum, effectum &c. ut patebit *ſequenti concluſione*: Ergo &c. *Secundò*; Concilia Oecumenica, ùt Nicænum, & alia: SS. quoque PP. *conclus. ſequenti* referendi eorundem exiſtentiam dogmatizant. *Tertiò*; in Lege veteri erat aliquod Sacramentum, peccati originalis deletivum; unde dicit S. Au-

guſtinus

guſtinus *lib. 5. contra Julian. cap. 21. non ideo tamen credendum eſt, & ante datam Circumciſionem, famulos DEI, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides, nullô Sacramentô eis opitulatos eſſe parvulis ſuis; quamvis quid illud eſſet, aliquâ neceſſariâ causâ Scriptura latere voluit*: Ergo à fortiori in Lege nova ſunt aliqua Sacramenta vera, à Chriſto inſtituta, & ordinata ad ſalutem hominum. *Quartò*; in Lege nova quivis homo naſcitur cum Originali peccato: Ergo ad ejus deletionem aliquod remedium efficax requiritur: tale autem eſt Sacramentum: Ergo &c. Concluſio firmatur tandem per argumenta ſequentis concluſionis. Unde

6. Dico tertiò: ſeptem ſunt vera Sacramenta novæ Legis, videlicet Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Ita Catholici; contra Seleucianos, Novatianos, Armenos, Arianos, Schwenckſeldianos, Lutheranos, Calviniſtas, Zwinglianos &c. qui omnes aliqua ex præfatis 7. Sacramentis negant.

7. Probatur *primò*: univerſa Eccleſia tam Latina, quàm Græca jam ante tempora Magiſtri ſentent. (cui Hæretici perperam adſcribunt inventionem ſeptenarii numeri Sacramentorum) dogmatizavit, præfata ſeptem Sacramenta eſſe vera Sacramenta: & deinde expreſſis terminis idem tradidit Concilium OEcumenicum Florentinum *in Decreto Eugenii* & noviſſimè Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 1.* Ergo &c.

8. Probatur *ſecundò*: ex S. Scriptura conſtat præfata ſeptem Sacramenta eſſe vera Sacramenta novæ Legis: Ergo &c. Prob. Ant. Sacramenta etiam ſecundùm Hæreticos ſunt quædam ſigna ſenſibilia, & ritus, qui ſunt à DEO inſtituti, & habent annexam promiſſionem gratiæ ſanctificantis, & mandatum Chriſti de eorum applicatione: ſed hæc omnia reperiuntur in S. Scriptura de præfatis ſeptem Sacramentis: Ergo &c. Prob. Min. de *Baptiſmo*, ejus ſenſibilis ritus exprimitur ad Epheſ. 5. *mundans eam lavacro aquæ in verbo*: præceptum de ejus uſu, quod neceſſariò præſupponit inſtitutionem Matth. ult. *euntes in mundum &c. Baptizantes omnes gentes in nomine Patris &c.* Promiſſio ibidem; *qui crediderit & baptizatus fuerit &c.* De *Confirmatione* patet ritus Joann. 20. ubi Chriſtus mittens Apoſtolos in mundum, tanquam agnos contra lupos, confortans eos, & confirmans, *inſufflavit, & dixit eis; accipite Spiritum S.* Promulgatio, & gratiæ promiſſio in Actibus Apoſtolorum multis in locis, & ſpecialiter *cap. 2.* ubi Petrus poſtquam dixit; *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrûm in remiſſionem peccatorum*; ſubjungit; *& accipietis donum Spiritûs S. Vobis enim eſt promiſſio &c.* Et *act. 8.* ubi fidelibus jam baptizatis, & nondum Spiritum Sanctum accipientibus Apoſtoli imponebant manus, & accipiebant Spiritum Sanctum, utique confirmantem illos in gratia, per Baptiſmum recepta. De *Euchariſtia* habetur ejus inſtitutio Matth. 26. *Accepit Jeſus panem, & benedixit, ac fregit*: præceptum, ac poteſtas conficiendi Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*: promiſſio gratiæ Joan. 6. *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* *De Pœnitentia*, habetur inſtitutio, ſimul & gratiæ promiſſio Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Habetur etiam poteſtas, & mandatum ibidem, *ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos*, utique in miniſterium reconciliationis, ùt loquitur Apoſtolus 2. Cor. 5. *DEUS dedit nobis miniſterium reconciliationis.* De *Extrema Unctione*, habetur ritus Jacobi 5. *infirmatur quis in vobis inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei.* Quod certè tam fideliter non promitteret S. Jacobus, niſi Chriſti inſtitutionem, ac promiſſionem in hoc exploratam haberet. De inſtitutione *Ordinis*, patet Luc. 22. & Joan. 20. in quorum primò datur poteſtas reſpectu Corporis Chriſti veri, dum dicitur; *hoc facite in meam commemorationem*: in ſecundo reſpectu corporis myſtici, quod conflatur ex Fidelibus, dum dicitur; *quorum remiſeritis peccata*: in quibus duobus conſiſtit poteſtas Ordinis. De qua etiam loquitur Apoſtolus 1. ad Tim. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyteri.* De *Matrimonio*, habetur inſtitutio, vel ſaltèm approbatio, Matth. 19. *quod DEUS conjunxit, homo non ſeparet*: promiſſio gratiæ colligitur ex Epiſtola ad Eph. 5. ubi habetur, quòd conjunctio viri, & fœminæ ſignificet conjunctionem Chriſti, & Eccleſiæ. Unde & ibidem de eo dicitur, *Sacramentum hoc magnum eſt.* Ex quibus omnibus habetur, quòd illa ſigna ſeptem, quæ ab Eccleſia proponuntur, ſint vera Sacramenta; & nec plura, nec pauciora, quàm ſeptem.

9. Probatur *tertiò*: ſeptenarium numerum verorum Sacramentorum teſtantur SS. PP. primitivæ Eccleſiæ: Et quia ipſimet Hæretici Baptiſmum, & Euchariſtiam agnoſcunt pro veris Sacramentis, ideo pro his omitto

Patrum teſtimonia: & pro reliquis quinque eorum proferam atteſtationes. Et primò *Confirmationem* eſſe verum novæ Legis Sacramentum tenent, Clemens Rom. *Epiſt.* 4. Et *Conſt. Apoſt. lib.* 3. *c.* 13. Dionyſ. Areopagita *Eccl. Hierarch. p.* 3. Hyginus *apud Ivonem lib.* 1. *Tertull. de reſurrect. carnis, c.* 8. Origenes *Homil.* 8. *in Levit.* Urbanus 1. *Epiſt. ad Univerſos.* Fabianus *Epiſt.* 2. Cyprianus *Epiſt.* 72. Item *de unctione Chriſmatis.* Euſebius Papa *Epiſt.* 3. Melchiades *ad Epiſc, Hiſp.* Conſtantinus A. *in privilegio Roman. Eccl.* Item diverſa Concilia, ut Concilium Elibertinum, Arelatenſe, I. Synodus Nicæna, Arelatenſe II. Laodicenſe *can.* 48. Item Pacianus *ſerm. de Bapt.* Optatus Milevitanus *lib.* 7. *contra Donatyſtas.* Ambroſius *lib. de Sacramentis.* Cyrillus Hieroſol. *Catacheſi* 3. *Myſtagogica.* Gregor. Nazianz. Epiphan. Prudentius, Damaſus, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & alii ſequentium ſæculorum innumerabiles. *Pœnitentiam* ùt Sacramentum agnoverunt, Clemens Rom. *Conſtit. Apoſtol. lib.* 2. *c.* 13. 14. Ignatius *Epiſt. ad Philadelph.* Dionyſius Areop. *Epiſt.* 8. *ad Demophil.* Hermas *ſimilitud.* 8. Juſtinus *dialogo cum Tryphone.* Irenæus *lib* 3. *c.* 37. Clemens Alexand. *de Adoleſ. lapſo.* Tertull. *lib. de pœnit. c.* 2. 4. 7. Calixtus *Epiſt.* 2. Origenes *Homil.* 1. *in Hieremiam.* Cyprianus *Ep.* 52. *ad Antonian.* & *Ep.* 54. *de lapſis.* Ambroſius ſæpiſſimè. Baſilius Magnus *Sermone de Pœnit.* Pacianus *Ep.* 1. *ad Sympronsam.* Hieronymus *in locis.* Auguſtinus *de Adulterinis conjugiis lib.* 1. *cap.* 26. *eadem,* inquit, *eſt cauſa Baptiſmi, & reconciliationis, ſinè quibus Sacramentis homines credunt, ſe non exire de corpore. Extremam Unctionem* Sacramentum eſſe profitentur Patres Concilii Nicæni *can.* 69. *Arabico.* Ambroſius *in Miſſali,* ubi formulam hoc Sacramentum adminiſtrandi deſcribit. Hieronymus *in vita Hilarion.* & *in c.* 14. *Oſea.* Chryſoſtomus *lib.* 3. *Sacerdotio.* Auguſtinus *ſerm.* 215. Innoc. I. *Epiſt.* 1. *Ordinem* inter Sacramenta numerant Dionyſius Areopag. *Ecclеſ. Hier. c.* 5. Cyprianus *de Cardinalibus Chriſti operibus.* Leo Magnus *Epiſt.* 81. *ad Dioſcorum c.* 1. & *Epiſt.* 87. *ad Epiſ. Mauritaniæ c.* 1. Gregorius 1. *lib.* 4. *Commentar. in lib. Reg. c.* 5. Auguſtinus *lib.* 2. *contra Parmenianum,* ubi ſic ait; *ipſi explicent, quomodo Sacramentum baptizati non poſſit amitti, & Sacramentum Ordinati poſſit amitti. Si enim utrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur?* Neutri Sacramento injuria facienda eſt; ſi nemo in Eccleſia Apoſtolica dubitaverit, quin Ordo Sacramentum ſit (ur hìc affirmat Anguſtinus) diſſentiunt profectò ab Eccleſia Apoſtolica Lutherani, qui non tantummodò dubitant, ſed Sacramentum penitùs eſſe negant. *Matrimonium* affirmant eſſe Sacramentum Tertullianus *adversùs Valentinian. c.* 30. & *de anima c.* 21. Lactantius *in Epiſt. divinarum Inſtit. c.* 8. Ambroſius *lib.* 6. *in Luc. c.* 8. Auguſtinus *de Nuptiis & Concupiſc. lib.* 1. *c.* 10. Item *de fide & operib. lib.* 1. *c.* 7. Leo primus *Epiſt.* 92. *ad Inquiſitionem Ruſtici c.* 4. Theodoricus Rex apud Caſſiodor. *lib.* 2. *Ep.* 10. & alii.

Probatur *quartò*: ipſa etiam ratio congruentialis ſuadet, præfata ſeptem Sacramenta eſſe meritò quà talia inſtituta pro hominibus: nam (ùt diſcurrit ſubtilis Doctor Scotus) ſicut in vita hac corporali quædam requiruntur ad ſingulas perſonas in particulari; quædam ad communitatem; ſic & in vita ſpirituali: & quidem in vita corporali in particulari requiritur primò generatio ſinè qua nemo eſſe poteſt; cui in vita ſpirituali correſpondet *Baptiſmus*, per quem regeneramur, vel potiùs primò generamur in Chriſto. Secundò requiritur in vita corporali nutritio; cui correſpondet in vita ſpirituali *Euchariſtia*, quæ eſt nutrimentum animæ. *Tertiò* corroboratio, ſeu confortatio corporis; cui correſpondet *Confirmatio*, per quam in Fide roboramur. Quartò infirmo eſt neceſſaria medicina corporalis; cui correſpondet in propoſito *Pœnitentia* contra morbum peccati. Quintò agonizanti neceſſarium eſt ſubſidium, quô placidè moriatur; cui correſpondet *Extrema Unctio*, per quam in mortis articulo juvamur contra moleſtias inimici. Pro communitate autem in vita corpotali conſervanda neceſſaria eſt propagatio naturalis, tam quoad populum, quàm quoad regentes; cui in vita ſpirituali correſpondet *Matrimonium*, & *Ordo*; Matrimonium quidem ad multiplicationem ſubditorum in Eccleſia; Ordo verò ad habendos legitimos Prælatos.

10. Objiciunt Hæretici *primò*: in nullo S. Scripturæ paſſu reperitur expreſſus numerus ſeptenarius Sacramentorum: Ergo &c. *Secundò*; numerus ſeptenarius (inquit Kemnitius hæret.) pertinet ad Anti-Chriſtum; nam Apocal. 17. Angelus vocat Sacramentum beſtiam illam, quæ ſeptem capita habebat, id eſt Anti-Chriſtum ſepticipitem: Ergo &c.

11. Reſpondeo *ad Primum*; etiam binarius, vel ternarius numerus Sacramentorum, quem Hæretici aſſignant, non teperitur in ullo S. Scripturæ paſſu expreſſus: ſufficit itaque quòd res ipſæ, ſeu ſigna illa ſenſibilia, quæ numerô ſeptem ſunt, in S. Litteris exprimantur, cum ſua legitima inſtitutione, & effectu Sacramentali; utì revera expreſſa eſſe

patet

patet *in probat. 2.* Tandem per traditionem legitimam conſtat, ſeptem eſſe Eccleſiæ Sacramenta, quod ſufficit. *Ad Secundum* dico; ſi ſeptem Sacramenta ſunt ſeptem capita Anti-Chriſti, profectò etiam illa duo Sacramenta, Baptiſmus & Euchariſtia, quæ Kemnitius ponit eſſe Sacramenta vera, erunt ex illis ſeptem capitibus Anti-Chriſti; quod eſt blaſphemum. Deinde S. Joannes *loc. cit.* non dicit ſeptem capita beſtiæ eſſe ſeptem Sacramenta, ſeu Sacramentum; ſed per ea intelligit ſeptem Reges, adhærentes Anti-Chriſto; uti gloſſant SS. PP

Objiciunt præterea *primò*: Confirmatio eſt inventum humanum; Ergo non Sacramentum. *Secundò*: Extrema Unctio non eſt Sacramentum; nam Jacobus *cap. 5.* tantùm vult, extraordinariam & miraculoſam ſanationem unctione tali aliquando fieri; loquitur enim ad homines illius temporis, quô gratia ſanitatum vigebat: Ergo &c. *Tertiò*: Ordo in Lege veteri non erat Sacramentum: Ergo neque in Lege nova. *Quartò*: Conjugium fuit inſtitutum ſtatim à Creatione mundi: Ergo non eſt Sacramentum. Præterea ſi Matrimoium eſſet Sacramentum, non poſſent rectè ab eo arceri Sacerdotes; quod tamen fit in Eccleſia Catholica: Ergo &c.

12. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Ant. nam S. 'Apoſtoli jam uſi fuêre unctione, & chriſmatione; utì fit in Confirmatione; quemadmodum teſtantur SS. PP. primitivi Clemens, Dionyſius, Theophylactus, Cyprianus, Tertullianus, Cornelius, Origenes &c. adeóque talis unctio ſeu Confirmatio non eſt cenſendum eſſe inventum humanum; ſed Divinum Inſtitutum à Chriſto, & Apoſtolis traditum. *Ad Secundum*: Nego quoque Ant. nam D. Jacobus jubet per Presbyteros ſolos fieri unctionem; gratia autem ſanitatis olim non erat alligata ad ſolos Presbyteros. Deinde curatio ſanitatis pertinet potiùs ad corporalem ſauitatem; hæc unctio autem ad animam præcipuè fertur, utì patet ex illis verbis, *ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Tandem inconcuſſa Traditio Eccleſiæ tenet, Extremam Unctionem eſſe Sacramentum. *Ad Tertium* Neg. Conſeq. nam etiam Baptiſmus non erat Sacramentum in Lege veteri; & tamen in Lege nova tale eſt, etiam ſecundùm Hæreticos. *Ad Quartum* Neg. Conſeq. nam Matrimonium à principio creationis mundi, & uſque ad tempus Legis novæ fuit tantùm contractus civilis, qualis nunc eſt inter Gentiles; poſtea tamen à Chriſto fuit elevatum ad rationem Sacramenti; utì patet ex *probat. 2.* & 3. ſupra. *Ad Ultimum* dico, Sacerdotibus non ideo in Eccleſia vera Catholica prohiberi Matrimonium, quia Sacramentum eſt; ſed quia impedit ab exacto ſervitio Sacerdotali & ob alias cauſas, ſupra *lib. 2. cap. 8. art. 2.* relatas.

ARTICULUS II.

De cauſatione Sacramentorum novæ Legis.

1. Dico primò: Sacramenta novæ Legis non ſunt inſtituta, ut tantùm excitent Fidem in nobis, per quam juſtificemur; ſed principaliter ut conferant Gratiam ex opeie operato. Ita Catholici; contra Armenos; & contra Lutherum, Calvinum, ac alios Novatores.

2. Probatur *primò*: Sacramenta novæ Legis eſſe principaliter inſtituta, ut conferant Gratiam ex opere operato, dogmatizarunt S. Concilia Oecumenica; & quidem de Baptiſmo id docuêre Concilium Nicænum I. Et Conſtantinopolitanum I. Et Arauſicanum I. Et Milevitanum &c. De omnibus verò Sacramentis idem definivit Concilium Florentinum *in inſtruct. Armen.* & Tridentinum *ſeſſ. 7. can. 5. 6. & 8.*

3. Probatur *ſecundò*: Scriptura docet, Sacramentum Baptiſmi (& idem à pari dici debet de aliis Sacramentis) conferre Gratiam Spiritûs S. unde dicitur Luc. 3. *ipſe vos baptizabit in Spiritu S.* Et Joan. 1. *hic eſt qui baptizat in Spiritu S.* id eſt, confert Gratiam Spiritûs S. per ſuum Baptiſma. Et Marc. *ult.* attribuitur Baptiſmo ſalus, & conſequentur gratia ex opere operato; unde dicitur, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Item Joan. 3. eidem Baptiſmo adſcribitur regeneratio, & introitus ad Regnum DEI; ibi, *amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*: quæ omnia cauſalitatem gratiæ ex parte Baptiſmi adſtruunt: Ergo &c.

4. Probatur *tertiò*: omnes priſci SS. PP. agnoſcunt in Sacramentis principaliter cauſationem Gratiæ ex opere operato: Sic de Sacramento Baptiſmi (& idem eſt de aliis Sacramentis) docet Clemens Rom. an 80. *epiſt. 4.* Et Juſtinus Martyr *apologia 2.* Et Dionyſius Areopag. *Eccleſ. Hierar. cap. 3.* Et Clemens Alexand. *lib. 1. Pædag. cap. 6.* Et Cyrillus Hieroſolymitanus *in præfat. Catechi.* Et Baſilius *in exhort. ad Bapt.* Et Gregorius Nazianz. *Orat. in S. Bapt.* Et Epiphanius *in Ancorato.* Et Cyrillus Alexand. *in Apolog. ad Theodoſ.* ubi ait; *juſtificamur* (no-

ta gratiam ſanctificantem) *per S. Baptiſma &c.* Et Chryſoſtomus *homil. ad Neoph.* ait, *hac de cauſa etiam infantulos baptizamus, ut non ſint coinquinati peccato; ut iis addatur juſtitia* (en Gratiam ſanctificantem) *adoptio, hæreditas &c.* Et Auguſtinus *lib. 1. retract. c. 7.* ait, *lavacrum regenerationis purgat à reatu omnium peccatorum*, quod fit per gratiæ ſanctificantis infuſionem lavacrô Baptiſmi cauſatam: Ergo &c.

5. Probatur *quartò*: Si Sacramentum Baptiſmi (idem eſt de aliis Sacramentis) nihil aliud præſtet, quàm excitare fidem ad fidem Miniſtri; quare adhibetur infantibus ſurdis, & amentibus, in quibus nulla talis fides excitari poteſt? Item, cur Hæretici admittunt Baptiſmum adminiſtratum linguâ latinâ, etjam non intelligentibus illam linguam valere? cùm tamen hoc modo nullam Fidem, vel in ſe, vel in Baptiſmo non intelligente excitare poſſit. Deinde ſi Sacramenta ſint nuda ſigna ad excitandam Fidem per modum Concionis, ùt ipſi loquuntur; quomodo baptizato magìs, quàm reliquis omnibus aſſiſtentibus prodeſt Baptiſmus? utpote in quibus æquè bene poteſt excitari Fides per miniſterium Sacramenti. Præterea, ſi à Fide Miniſtri, vel ſuſcipientis excitatâ per Baptiſmum pendeat totus valor Sacramenti; quomodo Novatores non dogmatizant, rebaptizandos eſſe eos, quia à Miniſtro Catholico ſunt baptizati? Denique ſi Sacramenta non aliter cauſant Fidem, & Juſtificationem; quàm more Concionis, excitando Fidem; ut quid ipſam Concionem majori jure non appellant Sacramentum? utpote cui maximè proprium eſt, extrinſecè pulſando excitare intùs Fidem.

6. Probatur *quintò*: Fides nequit per Sacramentum Baptiſmi excitari; cùm ſit quædam prævia diſpoſitio ad ipſum, & præcedens ipſum, uti patet ex illo Marc. 16. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et ex eo, quòd Philippus noluerit baptizare Eunuchum, niſi priùs crederet in Chriſtum; unde Act. 8. ait Eunuchus; *ecce aqua, quis prohibet me baptizari? dixit autem Philippus; ſi credis ex toto corde, licet.* Et propterea etiam S. Petrus in Concione, quam habuit Act. 2. ad Judæos in die Pentecoſtes, priùs excitavit illos ad Fidem in Chriſtum; ac deinde hortatus eſt ad Baptiſma ſuſcipiendum: Ergo Sacramenta novæ Legis non ſunt inſtituta, ut tantùm excitent Fidem in nobis.

7. Objicit *primò* Lutherus: in S. Scriptura dicitur, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur;* & non addit, (inquit Lutherus;) qui non baptizatus fuerit: Ergo ſola Fides, & non Baptiſmus ſalvat. Reſpondeo; quamvis ibi non addiderit Scriptura, bene tamen alibi, dum dixit; *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum DEI.* Et quid ſi ſimili argumentandi genere contra Lutherum quis argueret ex Apoſtolo 1. Cor. 13. ubi dicit, *Fidem ſine charitate nil prodeſſe*: Ergo Fides nihil prodeſt. Neg. ergo Con. Lutheri; ſed ſolùm ſequitur; Baptiſmum ſinè Fide non juſtificare.

8. Objicit Calvinus *ſecundò*: qui dicunt Sacramenta juſtificare ex opere operato, abſtrahunt homines à DEO, & faciunt, ut in ſpectaculo rei corporeæ, non in ipſo DEO, quieſcant: hoc autem eſt illicitum: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Maj. nam ſicut non abſtrahebatur populus Iſrael à DEO, quando DEUS ipſe propoſuit illi ſerpentem æneum, ut aſpiciendo eum ſanarentur; & quando verbum aſſumpſit carnem viſibilem, quæ velabat Divinitatem; ita non cenſentur abſtrahi homines per applicationem Sacramentorum corporeorum, per quæ DEUS operatur; ſed potiùs ad DEI amorem, & cognitionem magis accenduntur; ſecundùm quod dicit Scriptura; *inviſibilia per ea, quæ facta ſunt, conſpiciuntur.*

9. Objicit Kemnitius *tertiò*: ad Epheſ. 5. dicitur, *mundans eam lavacrô aquæ in verbo vitæ;* ubi inquit, totam vim Baptiſmi tribuit Paulus verbo; verbum autem operatur excitando Fidem; nam *Fides ex auditu*: Ergo &c. Reſpondeo per verbum vitæ, ibi omnes Interpretes intelligere, non verbum Concionatorium, ùt vult Kemnitius; ſed Conſecratorium, & practicum, formámque Baptiſmi.

10. Objicit Zwinglius *quartò*: Sacramenta ſunt res materiales; juſtificatio eſt ſpiritualis; inter quæ nulla eſt proportio: Ergo nequeunt Juſtificationem cauſare ex opere operato. Reſpondeo primò: non eſſe neceſſe, quòd inter ſignum, & ſignatum, ſicut ſe habet Sacramentum, & Juſtificatio, ſit proportio in eſſendo; maximè in ſignis ad placitum; quæ enim eſt proportio inter hæderam, & vinum venale? Reſpondeo ſecundò: in Sacramentis adeſſe proportionem in repræſentando, quæ deſumitur ex beneplacito DEI inſtituentis Sacramenta ad talem effectum cauſandum ſupernaturalem. Addo in Sacramentis etiam in eſſendo adeſſe quandam proportionem; puta in externa ablutione aquæ, ad internam animæ ablutionem à peccato. In externa Euchariſtiæ refectione, ad internam animæ refectionem; & ſic de aliis diſcurrendum eſt.

AR-

ARTICULUS III.

De forma, & Miniſtro Sacramentorum novæ Legis.

1. DIco primò: verba ſolita adhiberi in confectione Sacramentorum non ſunt concionatoria: ſed convectiva, expreſſiva, & conſecratoria. Ita Catholici; contra Calvinum, Brentium &c.

2. Probatur *primò*: ex tenore ipſarum formarum Sacramentalium, quæ in Scriptura referuntur, patet, earum verba non eſſe concionatoria, ſeu inſtructoria; ſed effectiva Sacramenti, ſeu expreſſiva, & conſecratoria: Ergo &c. *Secundo*; D. Paulus loquens de Sacramento Baptiſmi 1. ad Cor. 1. ait, *non miſit me Chriſtus baptizare*; quibus verbis diſtinguit verbum Sacramentale à Concionatorio: Ergo &c. *Tertiò*: Baptiſmus Catholicorum datur ſinè ulla concione; & tamen eſt verus Baptiſmus; ùt fatetur ipſemet Calvinus *lib. 4. Inſtit. cap. 15.* Et parvulis, qui planè incapaces Concionum ſunt, confertur Baptiſmus: Ergo &c. *Quartò*: verba formæ Sacramenti Euchariſtiæ ſunt conſecratoria; nam Chriſtus ea ùt conſecratoria adhibuit; non autem ùt inſtructoria: Ergo verba ſolita adhiberi in confectione Sacramentorum non ſunt concionatoria; ſed expreſſa, & conſecratoria.

3. Objectiones Calviniſtarum conſiſtunt in mero eorum voluntario erroneo ſentimine: unde nullâ egent ſolutione; & ſoluta manent per probationes concluſionis præmiſſæ.

4. Dico ſecundò: Sacramentorum Miniſter defactò eſt ſolus homo, uſum rationis habens. Ita Catholici; contra Lutherum, qui vult etiam Angelos eſſe Miniſtros Sacramentorum.

5. Probatur Chriſtus, qui eſt Sacramentorum novæ Legis author, loquens de Sacramentorum Inſtitutione & Miniſterio, non Angelis, ſed hominibus ſolis dixit Matth. *ult. euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Et Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem.* Et Joan. 20. *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Et Jac. 5. ubi publicatur Extremæ Unctionis ritus, dicitur, *orent* (ſcilicet Presbyteri) *ſuper eum, ungentes eum oleô in nomine Domini*: Ergo &c. Lutherus pro ſuo errore nullum habet aliud fundamentum, quàm voluntariam aſſertionem, ſinè proba, quæ refutata manet per probationes concluſionis.

6. Dico tertiò: improbitas Miniſtri aliàs legitimi, non impedit efficaciam Sacramenti; modò debita adhibeatur materia, forma, & intentio. Ita Catholici; contra Agrippinum Epiſc. Cartha. quem deinde ſecuti ſunt Donatiſtæ, Begardi, & Beguini; & nuper Anabaptiſtæ.

7. Probatur *primò*: DEUS propter iniquitates Superiorum non aufert poteſtatem juriſdictionis; ùt conſtat ex 1. Petr. 2. ver. 13. ubi jubet Chriſtianos obedire Dominis ſuis, non tantùm bonis & modeſtis; ſed etiam diſcolis, & Magiſtratibus gentium, qui erant infideles: Ergo ſimiliter ob improbitatem DEUS Miniſtris legitimis Sacramentorum non aufert poteſtatem Ordinis; & conſequenter per eandem improbitatem non impeditur efficacia Sacramenti, ſi cætera adſint. *Secundò*; Miniſter Sacramenta conficit virtute Divina; unde dicitur Joan. *1. hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Et 1. ad Cor. 3. *neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat; ſed qui incrementum dat DEUS*: Ergo improbitas Miniſtri non impedit efficaciam Sacramenti.

8. Objiciunt Hæretici *primò*: Cyprianus docuit, infidelitatem Miniſtri, obſtare confectioni Sacramenti: Ergo &c. *Secundò*; quidam alii PP. quoq; docent contrarium Concluſioni: Ergo &c. Reſpondeo *ad Primum*: S. Cyprianum fuiſſe quidem primitùs in illo errore; ſed teſte D. Auguſtino *lib. 1. contra Donatiſtas* eundem ante ſuam mortem revocavit. *Ad ſecundum*; illi alii PP. tantùm volunt, quòd Hæretici, qui ſunt improbi, non validè adminiſtrent Sacramenta, ſi non applicent debitam intentionem, aut debitam materiam, & formam.

CAPUT VII.

De Sacramentalibus, ſeu Cæremoniis Sacramentorum.

1\. NOta primò: per *Sacramentalia*, ſeu *Cæremonias Sacramentorum* hic intelliguntur aliqui ritus, ſeu actus externi, ordinati ab Apoſtolis, & Eccleſia, qui adhibentur in Sacramentorum adminiſtratione; cujuſmodi ſunt benedictio, & exorciſmus aquæ baptiſmalis, adhibitio patrinorum in Baptiſmo, inſufflatio, porrectio Cerei, renunciatio Sathanæ, unctio Chriſmatis, & alia in ejuſdem adminiſtratione ſolita adhiberi.

2\. Dico primò: meritò, & laudabiliter in Sacramentorum adminiſtratione adhibentur Cæremoniæ Sacramentales, ab Apoſtolis, & Eccleſia conſtitutæ, atque præſcriptæ; & Fideles eaſdem obſervare tenentur. Ita Catholici; contra Donatiſtas, Waldenſes, Lutheranos, Magdeburg. Calviniſtas, &c.

3\. Probatur prima pars *primò*: SS. Apoſtoli, & univerſalis Eccleſia habet poteſtatem ferendi leges, & conſequenter conſtituendi laudabiles ritus, ut Sacramenta cum majori devotione, emolumento ſpirituali, & decore adminiſtrentur; quod patet ex poteſtate D. Pauli, quam ſe aſſerit habere 2. ad Cor. 13. *ideo hæc abſens ſcribo, ut non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam Dominus mihi dedit in ædificationem, & non in deſtructionem.* Item ex illo 2. ad Cor. 14. *Omnia autem honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant*: Ergo ritus Sacramentales, & Cæremoniæ ab iiſdem conſtitutæ & præſcriptæ in Sacramentorum adminiſtratione meritò & laudabiliter adhibentur.

4\. Probatur *ſecundò*: perpetua praxis, & uſus Eccleſiæ etiam primitivæ obtinuit, ut quarumdam Cæremoniarum uſus fiat in Sacramentorum adminiſtratione; uti patet ex SS. PP. præſertim ex Clemente Rom. *lib. 7. Conſtit. Apoſtol. cap. 44.* Et Dionyſio Areopagita *lib. Eccleſ. Hierar.* Et Cyrillo Hieroſolym: *Catech. 3.* Et Ambroſio *lib. 1. de Sacrament. cap. 5.* dicente; *nam ubi primùm ingreditur Sacerdos exorciſmum facit; ſecundò ſuper creaturam aquæ invocationem, poſtea & precem defert, ut ſanctificetur fons &c. adſit præſentia Trinitatis æternæ &c.* Et ex Auguſtino *ſerm. 206. de tempore* dicente, *denique omnes, qui ad ſalutarem baptiſmum conſequendum Eccleſiæ offeruntur, & chriſma, & oleum benedictionis accipiunt &c.* Ergo &c.

5\. Probatur ſecunda pars Concluſionis: Fideles tenentur ſæcularibus Dominis ferentibus leges rationabiles obedire, ac eaſdem obſervare; uti conſtat ex illo ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt enim poteſtas niſi à DEO &c.* Ergo etiam Apoſtolis, & Eccleſiæ ferenti leges Eccleſiaſticas, & præcipienti ritus, ſeu Cæremonias pro adminiſtratione decoroſa, ac utili Sacramentorum. Præterea idem conſtat ex illo ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis &c.* Ergo &c.

6\. Objicit Calvinis *primò*: ex Epiſtola Pauli ad Coloſſ. conſtat, omnes Conſtitutiones eſſe impias, in quibus cultus DEI ſitus fingitur; & per quas Fideles à grege Chriſti abducuntur, tanquam per inanem Philoſophiam; ſed hoc fit per Cæremonias Sacramentales: Ergo &c. *Secundò*; ex Cæremoniis omnibus Eccleſiæ, & conſequenter Sacramentalibus ſequitur pravitas, quam Chriſtus exprobravit Phariſæis, *ut irritum fiat præceptum DEI propter hominum traditiones*: Ergo &c. *Tertiò*: Iſai. 55. dicitur, *fruſtra me colunt præceptis hominum*; quod quadrat Catholicis, Cæremonias admiſcentibus Sacramentorum adminiſtrationi: Ergo &c. *Quartò* ait, idem Hæreticus: *Cæremoniæ Catholicorum ſunt mera ludibria, quæ Romanenſes Magiſtri partim ex Gentilium deliriis exemplar ſibi ſumpſerunt; partim Simiarum more temerè imitati ſunt veteres Moſaicæ Legis ritus*: Ergo &c.

7\. Reſpondeo *ad Primum* Neg. Min. nam cùm Cæremoniæ Sacramentales ab Apoſtolis, & Eccleſia DEI inſtinctu, & facta ad hoc facultate (uti patet ex *probat. 1. primæ partis Concluſionis*) conſtitutæ ſint; inſuper cum Fideles excitent ad devotionem & reverentiam in uſu Sacramentorum; aliunde autem intrinſecè eſſentiam Sacramentorum non immutent, ſequitur eas non eſſe aliquas conſtitutiones impias, de quibus loquitur Apoſtolus ad Coloſſ. Nam *cit. loc.* loquitur duntaxat, de Conſtitutionibus, & inani Philoſophia Philoſophorum Gentilium, quam

aliqui

aliqui Pſeudo-Apoſtoli volebant tradere Fidelibus ſecundùm elementa hujus mundi; & non ſecundùm Chriſtum, ac ſic à Chriſto ipſos avertere; uti patet *cap. 2. cit. epiſt.* ad Coloſſ. Et quia aliqui volebant, ut Circumciſionem, & alia Judaica ſervarent, quæ tantùm umbræ erant futurorum, ùt dicitur ibidem *verſ. 16.* Alii docebant, ut neceſſariò per ſpecialem Angelorum cultum, vel Religionem ad DEUM accederent; quaſi Chriſtus non eſſet ſufficiens; nec Caput ex quo totum corpus Eccleſiæ creſcit *verſ. 10.* *Ad Secundùm* Neg. Ant. nam latiſſima eſt diſparitas inter ordinationes & operationes Phariſæorum; ac inter Eccleſiæ inſtituentis Cæremonias baptiſmales: nam Phariſæi ordinabant quædam à filiis obſervanda contra mandata DEI de honorandis parentibus, &c. quod non apparet in ordinatione Cæremoniarum baptiſmalium. Item Phariſæi multas habebant traditiones inutiles; ùt lotiones manuum ſæpiùs repetitas &c. de quibus eos corripit Chriſtus Marc. 7. & interea præcepta DEI negligebant; quod non facit Eccleſia, conſtituendo Cæremonias Sacramentales. *Ad Tertium* dico; illum textum Iſaiæ pariter agere contra traditiones inutiles Phariſæorum, & earum obſervantiam, contemptâ obſervantiâ mandatorum DEI; quod non fit in adhibitione Cæremoniarum Sacramentalium. *Ad Quartum* dico; Calvinum meram proferre calumniam in ejus Ant. quam mutuavit à priſcis Hæreticis, maximè Manichæis, uti patet ex S. Auguſtino *lib. 20. contra Fauſt. cap. 4.* ubi recenſet hæc verba Fauſti non diſparia Calvinianæ calumniæ, *ſolemnes Gentium dies cum ipſis celebratis, ùt calendas, Solſtitia &c. quare conſtat vos atque Judæos Schiſmata eſſe gentilitatis, cujus Fidem tenetis, & ritus &c.* Deinde quomodo ludibria, & deliria Gentium dici poſſunt Cæremoniæ Sacramentales, cùm vel ab ipſis Apoſtolis, vel à Conciliis, vel ſummis primis Pontificibus ordinatæ ſint, vi Divinæ Conceſſionis, quâ Apoſtoli, & Eccleſia poteſt diſponere de iis, quæ ad decorem, & devotionem Sacramentorum conducunt, juxta illud 1. ad Cor. *11. cætera, cùm venero, diſponam.* Demum inquit Auguſtinus *cit. lib. cap. 23. etſi uſus quarundam rerum ſimilis videtur nobis eſſe in Gentibus, ſicut cibi, & potûs, tectorum, veſtimentorum, lavacrorum &c. longè tamen aliter his rebus utitur, qui ad alium finem earum uſum refert: & aliter ex his DEO gratias agit, de quo prava, & falſa non credit, &c.*

CAPUT VIII.

De aliis Cæremoniis Eccleſiæ approbatis; ſignanter Benedictione aquæ, & ejus virtute.

ARTICULUS I.

An licitæ, & laudabiles ſint Cæremoniæ aliæ, præter Sacramentales?

1. NOta alias varias præterea in Eccleſia Catholica vigere Cæremonias, ſeu ritus, quos inſectantur priſci, & novi Hæretici; cujuſmodi ſunt omnes benedictiones ſuper vinum, panem, aquam, Sal, ceram, incenſum, arbores olivarum, & palmarum, veſtes, calices, ac alias res ad uſum Eccleſiaſticarum rerum neceſſarias. Item ſignationes S. Crucis, celebrationes feſtorum Paſchatis, Pentecoſtes &c. genuflexiones, vel ſtationes in publicis orationibus, unctiones altarium, exorciſmi Dœmonum; ſubmiſſa prolatio quorundam verborum in Miſſa, & aliorum clara; thurificatio, luminarium uſus in Miſſa, jejunia &c.

2. Dico primò: licitæ, & laudabiles ſunt quoque Cæremoniæ illæ, quæ vel in S. Scripturis, vel in Traditionibus Apoſtolicis continentur, vel in Conciliis Generalibus Eccleſiæ, aut Provincialibus Epiſcoporum, vel Ordinum ſanctè ſtatutæ ſunt, vel conſuetudine univerſæ Eccleſiæ roboratæ, vel à Summis Pontificibus præſcriptæ ſunt. Ita Catholici; contra Aërianos, Jovinianos, Manichæos, Vigilantianos, Waldenſes, Wiclephiſtas, Lutheranos, Calviniſtas, & alios Novatores.

3. Probatur *primò*: S. Litteræ, Traditiones Apoſtolicæ, Concilia tam Generalia, quàm Provincialia, & Pontifices pollent poteſtate conſtituendi Cæremonias Eccleſiaſticas pro Miſſæ Sacrificio, & functionibus

Eccleſiaſticis, atque aliis operibus piis; ſicut poteſtas ſæcularis habet authoritatem conſtituendi ritus, & Cæremonias politicas: Ergo &c. *Secundò*: SS. PP. priſci, & Concilia priſca paſſim approbant uſum Cæremoniarum ab Eccleſia approbatarum, & retinendum ſuadent; unde dicit Auguſtinus *epiſt. 119. ritus, qui non ſunt contra Fidem, aut bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognovimus, laudando & imitando ſectemur*. Et propterea S. Damaſus Papa in *epiſt. de Coepiſcopis*. & Concilium Hiſpalenſe II. *cap. 7.* & Agathenſe *cap. 14.* demandant altarium unctiones &c. *Tertiò*; quia per Cæremonias ab Eccleſia approbatas, v. g. varios ritus Miſſæ, *Divina Majeſtas tantò ferventiùs commendatur* (ùt loquitur Tridentinum *ſeſſ. 22. cap. 5.*) *& mentes Fidelium per hæc viſibilia Religionis, & pietatis ſigna ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitantur*. Item per eaſdem Cæremonias varia myſteria Divina, & facta Chriſti, ac SS. recoluntur; utì fit in celebratione Feſtorum Paſchatis, Pentecoſtes, Corporis Domini, Omnium Sanctorum &c. Item varia beneficia Fidelibus per eaſdem impertiuntur, v. g. variis benedictionibus ſuper diverſas creaturas prolatis. *Quartò*; nullibi in S. Litteris Catholicarum Cæremoniarum uſus inhibetur; & aliunde hic nil contra Fidem, aut bonos mores continet: Ergo licitæ, & laudabiles ſunt Cæremoniæ ab Eccleſia approbatæ.

4. Objiciunt Hæretici: tot Catholicorum Cæremoniæ, & benedictiones ſapiunt quandam ſuperſtitionem: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. loquendo de veris Cæremoniis, ſeu ritibus examinatis, & approbatis per Concilia ſaltèm Provincialia; & quæ Fidei, aut bonis moribus non adverſantur, ùt loquitur Auguſtinus *cit. Epiſt. 119.* Sed inſtitutæ ſunt ob cauſas, *probat. 3.* tactas.

5. Dico ſecundò: Aquæ benedictio in ſpecie eſt laudabilis, & ſancta Cæremonia, ejúſque uſus licitus. Ita Catholici; contra Flagellantes, Lollardos &c.

6. Probatur: Aquæ benedictio, ac ejus uſus eſt antiquiſſimus in Eccleſia; nec ab ullo Concilio reprobatus: imò per traditionem ab Apoſtolis deſcendens; unde & pro aqua baptiſmali adhibetur; eandem quoque approbant SS. PP. Auguſtinus *lib. 50. homil. hom. 27.* Et Cyprianus *lib. 1. epiſt. 12.* Et Dionyſius Areopagita *lib. Eccleſ. Hierar. cap. 2. par. 2.* Ergo ejuſmodi benedictio aquæ eſt laudabilis, & ejus uſus licitus.

7. Objectiones Lollardorum conſiſtunt in meris calumniis; dum dicunt, benedictiones aquæ eſſe meras Dæmonum maledictiones, aut Nigromantiæ incantationes: cùm tamen, ùt patet intuenti Ordinem & Ritualia Eccleſiæ approbata, hujuſmodi benedictiones contineant mera ſancta verba, exorciſmos, invocationes Divinæ virtutis, ac cœleſtis benedictionis implorationes.

8. Dico tertiò: Aqua benedicta habet plus virtutis, & efficaciæ, quàm non benedicta. Ita Catholici; contra præfatos Hæreticos, & Joannem de Veſtphalia.

9. Probatur *primò*: jam in veteri Teſtamento certæ aquæ certô modô à Sacerdote benedictæ virtutem majorem, quàm non benedictæ, habebant; utì conſtat ex *cap. 5.* Numeri de aquis amariſſimis Zelotypiæ: Ergo à fortiori aquæ benedictæ in Novo Teſtamento. *Secundò*; aquæ benedictæ efficacia ſpecialis, & virtus patet ex forma benedictionis ejusdem, relata *in Ritnali*, quæ jam ab Apoſtolorum temporibus in uſu Eccleſiæ eſt; & propterea jam olim Papa Alexander *de Conſec. diſt. 3. cap. aquam*, qui quartus poſt S. Petrum Eccleſiam rexit, ejus benedictionem præcepit. Hæc autem ejus virtus non oritur ab ipſa aqua; ſed ex ſpeciali DEI aſſiſtentia, qui operatur in ea poſt formam præfatam piiſſimam deprecatoriam prolatam: Ergo &c. *Tertiò*; SS. PP. paſſim aquæ ritè benedictæ majorem virtutem adſcribunt, quàm non benedictæ; narrántque ad ejus aſperſionem DEUM quædam mirabilia operatum fuiſſe; de quibus videri poteſt Theodoretus *lib. 9. hiſtor. tripart. cap. 33.* Quæ credibilia omnino ſunt; nam ſi jam olim *4. Reg. cap. 2*, cinis vitulæ aſperſus ſanguine populum ſanctificabat, & emundabat; multò magìs aqua ſale aſperſa, & divinis precibus ſacrata ſanctificationem, mundationem, Dæmonum fugam, ac alios effectus præſtare poterit: Et ſi tactu fimbriæ veſtimenti Salvatoris infirmi ſunt ſanati Matth. 9. quantò magìs virtute Sacrorum ejus verborum divinitùs ſacrantur elementa, quibus ſanitatem corporis, & animæ humana percipit fragilitas, ùt diſcurrit *cit.* Pontifex Rom. Alexander. Non eſt ergo clava infernalis aſperſorium aquæ benedictæ, ùt Flagellantes mentiuntur: nec nigromantiæ incantationes, aut maledictiones Dæmonum, ùt effutiunt Lollardi.

AR-

ARTICULUS II.

De Exorciſmo ſuper Energumenos prolato.

1. NOta primò: Inter Cæremonias approbatas Eccleſiæ, tanquam inſignis numeratur ille *Exorciſmus* ſpecialis, qui eſt invocatio illa Nominis Divini, quæ fit ſuper Energumenos, id eſt habentes ſpiritum immundum, adjurando eundem per Divinam virtutem, ut ab eis egrediatur; ùt habet D. Auguſtinus *lib. 1. de vita beata*. Quamvis etiam dentur alii Exorciſmi, quibus aquam, ſal, pſalmos, candelas &c. benedicimus, & precamur DEUM, ut auxilium nobis præbeat adversùs inſultus; qui ad ptiorem Articulum pertinent.

2. Dico primò: licitus, & utilis eſt ille ſpecialis Exorciſmus ſuper Energumenos, quô malignus ſpiritus inſidens eorum corpora conjuratur, & abigitur. Ita Catholici; contra Waldenſes, Wiclephiſtas, Calviniſtas, &c.

3. Probatur *primò*: hujusmodi Exorciſmum jam ipſemet Apoſtoli exercuerunt in ſuis Prædicationibus; unde redeuntes dicunt Luc. 10. *Domine etiam Dæmonia ſubjiciuntur nobis in Nomine tuo*; hoc eſt in Nominis tui invocatione, quô concinnatur Exorciſmus ſuper Energumenos. *Secundò*; SS. PP. hujusmodi Exorciſmum tanquam licitum, & utilem aſſerunt; unde Auguſtinus *lib. 10. de Civitate DEI cap. 22.* ait, *verâ pietate homines DEI aëream poteſtatem inimicam, contrariámque pietati exorcizando ejiciunt, non placendo; omnes tentationes, adverſitatéſque ejus vincunt, orando non ipſam; ſed DEUM ſuum adversùs ipſam, &c. in ejus ergo Nomine vincitur, qui hominem aſſumpſit &c.* Eundem approbat, & refert Juſtinus Martyr. *dial. cum Tryphon.* Et Tertullianus *lib. de præſcript. cap. 4.* Et Cyprianus *epiſt. ad demet.* Et Lanctantius *lib. 4. de vera ſapien. &c.*

4. Probatur *tertiò*: ipſemet etiam Chriſtus uſus eſt Exorciſmô præfatô in ejiciendis Dæmoniis; unde de hoc dicitur Marc 1. *quem increpavit JESUS, & exivit ab illo Dæmonium.* Et Luc. 4. *& colloquebantur ad invicem dicentes, quod eſt hoc verbum, quia in poteſtate & virtute imperat immundis ſpiritibus, & exeunt*: Ergo &c.

5. Objectiones Hæreticorum conſiſtunt in meris irriſionibus, & calumniis, quibus proſequuntur Exorciſmos: quibus proinde non eſt reſpondendum aliter, quàm conſtanti contemptu ſimilium Sarcaſmorum.

CAPUT IX.

De Oratione.

ARTICULUS I.

An Oratio ſit utilis, ac neceſſaria; & qualiter profit?

1. DIco primò: utile ſanè, virtuoſum, & neceſſarium eſt facere Orationes. Ita Catholici; contra Pelagianos, Wiclephiſtas, Huſſitas, & ex parte Lutherum.

2. Probatur *primò*: ex S. Scriptura conſtat utilitas, & neceſſitas Orationis faciendæ: unde Luc. 21. dicitur, *vigilate, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere iſta omnia.* Et rurſus Luc. 18. *oportet ſemper orare, & non deficere.* Et 1. ad Theſſal. *cap. ult. ſine intermiſſione orate.* Et Jac. 5. *Orate pro invicem, ut ſalvemini; multum enim valet deprecatio juſti aſſidua*: Ergo &c. *Secundò*; Salvator ipſe docuit nos ſpecificam Orationem Dominicam Matth. 6. Et ipſemet ſæpiſſimè oravit, & ſuô exemplô incitavit nos ad Orationem, quando aſſumptis Petrô, Jacobô, & Joanne aſcendit in montem, ut oraret Luc. 9. Et Matth. 17. Ergo &c. *Tertiò*; SS. Apoſtoli orârunt; unde Act. 6. dicitur, quòd Paulus, & Silas in carcere adorantes laudabant DEUM. Et D. Jacobus *cap. 5.* ſuæ Epiſtolæ Canonicæ ſuadet orationem diceus, *triſtatur aliquis veſtrûm, oret; æquo animo eſt, pſallat*: Ergo &c. *Quartò*; SS. Prophetæ veteris Teſtamenti orârunt; unde 3. Reg. *cap. 17.* dicitur, quòd *Elias oratione oravit, ut non plueret ſuper terram; & non pluit annos tres, & menſes ſex*: en effectum, & utilitatem Orationis: Ergo &c.

3. Probatur *quintò*: SS. Concilia priſca ordinârunt fieri orationes, & earum neceſſitatem, ac effectum atteſtantur: unde Toletanum IV. *cap. 9.* præcipit, ut Oratio Dominica *Pater noſter &c.* ſingulis diebus à Sacerdote recitetur: *delet enim* (inquit idem Concilium) *hæc quotidiana Oratio minima quotidiana peccata; delet illa, à quibus vita Fidelium etiam ſceleratè geſta, pœnitudo in melius diſcedit mutata &c.* Et Concilium Milevitanum *cap. 1.* contra

8. contra Pelagium ſic ait; *item placuit, ut quicunque verba ipſa Dominicæ Orationis, ubi dicimus, dimitte nobis debita noſtra, ita volunt à Sanctis dici, ut humiliter, & non veraciter dicatur, anathema ſit.* *Sextò*; SS. PP. pariter Orationis utilitatem, & neceſſitatem aſſerunt; unde Auguſtinus *ſerm. 1. de S. Steph.* ait, *ſi S. Stephanus non ſic oraſſet, Eccleſia Paulum non haberet.* Et *2. de bono perſever.* dicit, *conſtat DEUM alia danda non orantibus, ſicut initium Fidei; alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam*: Ergo &c. *Septimò*; ad plura requiritur in nobis ſpeciale DEI auxilium, puta ad bene vivere, perſeverare, & ad ſalvari: ſed hæc mediante Oratione impetrare debemus, ſecundùm illud Matth. 26. *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*: Ergo &c.

4. Objicit Pelagius: Orationes omnes fruſtra fiunt; nam omnia illa, pro quibus adhibentur Orationes, obtineri poſſunt per ipſam liberam arbitrii poteſtatem: Ergo &c. Reſpondeo Neg. Ant. nam imbecillitas liberi arbitrii ad plura; & gratiæ ſpecialis actualis neceſſitas ad eadem operanda, ſatis oſtenſa eſt ſuprà *cap. 5. De Gratia actuali*: Et patet etiam ex illo Eſa. 10. *nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur?* quibus verbis DEUS ſe comparat artifici, nos autem ſecuri & ſerræ, quæ mediante artifice operantur: quare ſicut ſecuris, & ſerra non ſcindit lignum, niſi trahatur ab artifice; ſic & noſtrum liberum arbitrium nunquam bonum aliquod operari poterit, niſi à DEO moveatur per gratiam ſpecialem; ad quam obtinendam proſunt, & neceſſariæ ſunt Orationes.

5. Objiciunt alii Hæretici: omnia in iſto mundo neceſſitate abſoluta fiunt: Ergo inanes ſunt Orationes, quæ ad DEUM mittuntur. Reſpondeo Neg. Ant. quod ſi verum eſſet, gratìs ipſemet Salvator noſter nos docuiſſet Orationem Dominicam Matt. 6. Gratìs etiam dixiſſet Matth. 17. quod illud Dæmonium à ſe ejectum, & non ab Apoſtolis, *non ejiciatur niſi in Oratione, & jejunio.* Deinde falſitas hujus Ant. patet ex dicendis *2. tom. lib. 3. cap. de Fato.*

6. Dico ſecundò: Orationes particulares proſunt plus illis, pro quibus in particulari fiunt, quàm ſi generaliter pro omnibus fierent. Ita Catholici; contra Wiclephum, &c.

7. Probatur *primò*: S. Scriptura aſſerit Orationes pro particulari perſona factas, pariter prodeſſe; quàm ſi generaliter fierent: unde Job. 42. dicitur, quòd *Dominus converſus eſt ad pœnitentiam Job, cùm oraret ille pro amicis ſuis.* Et dum S. Petrus Apoſtolus Act. 12. incarceratus eſſet, fiebat Oratio ab Eccleſia pro eo in particulari; quæ & exaudita fuit, *quoniam miſit Dominus Angelum & liberavit eum de carcere, & de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum*; quod non contigit aliis cum Petro incarceratis. Unde etiam S. Paulus 1. ad Theſſal. 1. dicit, ſe ſe pro Theſſalonicenſibus Orationes particulares facere, inquiens, *gratias agimus DEO ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in Orationibus noſtris ſinè intermiſſione*: Ergo &c.

8. Objectiones Wiclephi non reperio alias, quàm proprium voluntarium aſſertum, quô Orationum particularium effectum impugnat; ſed meritò à Concilio Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* hic ejus articulus, in ordine decimus nonus, fuit damnatus.

ARTICULUS II.

An ſinè ulla phyſica ceſſatione continuandæ ſint Orationes; & ſolæ proſint ad ſalutem?

1. DIco primò: Ab Orationibus licitè poſſunt Fideles ceſſare ſuo tempore; unde non ſunt obligati ad orandum abſque omni interruptione phyſica. Ita Catholici; contra Meſſalianos, ſeu Pſallianos, qui Græcè *Enchitæ*, id eſt *orantes* dicuntur.

2. Probatur *primò*: S. Litteræ obligant Fideles ad alia quædam opera, cum quibus incompatibilis eſt continuata Oratio: nam oportet Fideles habere curam rei familiaris; quare D. Paulus 1. ad Tim. 5. de viduis loquens ait, *ſi quæ vidua filios, aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus; hoc enim acceptum eſt coram DEO.* Et de Epiſcopo dicit 1. ad Tim. 3. ut ſit domui ſuæ bene præpoſitus; *ſi quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ DEI diligentiam habebit?* Ergo &c. *Secundò*; cibus, & potus à Fidelibus ſuo tempore aſſumendus eſt; opera aliqua miſericordiæ ſunt exercenda; de rebus Fidei aliquando differendum; neceſſariò eſt ſcribendum ex cauſa publica, aut privata; bellandum contra Infideles; prædicandum; opera aliqua Mechanica exercenda pro vitæ conſervatione &c. cum quibus recta Oratio non cohæret: Ergo &c. *Tertiò*; S. Apoſtoli, aliique ſancti viri in Eccleſia non leguntur ſemper, & ubique oraſſe; ùt Paulus, qui occupabatur aliquando in arte

ſceno-

ſcenofactoria, & alii in agricultura, & OEconomia, ut SS. Patriarchæ &c. Ergo ab Orationibus licitè aliquando Fideles ceſſant.

3. Objiciunt Pſalliani: 2. ad Theſſal. 3. dicitur, *ſinè intermiſſione orate.* Et Luc. 18. *Oportet ſemper orare, & non deficere*: Ergo &c. Reſpondeo; his & ſimilibus textibus S. Scripturæ nobis tantùm recommendari diligentiam in faciendis Orationibus, ita ſcilicet ut nulla dies ſinè Oratione tranſeat, utì exponit D. Auguſtinus *lib. de hæreſ. cap. 57.* Vel ùt vult Venerabilis Beda, admonentur Fideles, ut omnia opera ſua cum recta intentione faciant ad DEI ſcilicet gloriam; quo ſenſu procedit illud D. Pauli 1. ad Cor. 10. *cap. Sive ergo manducatis, ſive bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam DEI facite.* Et illud ad Theſſal. 3. *omnia quæcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in Nomine Domini noſtri JESU Chriſti facite, gratias agentes DEO, & Patri per ipſum.*

Finit Tomus I.

Cuncta dicta in eo ſuppono alto Judicio S. Matris Eccleſiæ.

Digitized by Google

INDEX
VERBORUM, ET RERUM PRÆCIPUARUM IN HOC TOMO I. CONTENTARUM.

***P.** paginam, **A.** articulum, **N.** numerum ſignificat.*

A.

Abailardus quis, ejúſque errores. p. 26. art. 22. n. 12.

Abyſſini unde dicti, eorúmque errores. p. 5. art. 4. n. 2.

Achiletæ unde appellati, eorúmque errores. p. 14. art. 12. n. 8.

Aëriani unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 3.

Aëſiani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 8.

Æternitas Dei tota ſimul exiſtit. p. 51. art. 7. n. 1. & 2.

Agnoitæ unde dicti. p. 14. art. 12. n. 8.

Albanenſes ſeu Albigenſes unde dicti eorúmque errores. p. 15. art. 14. n. 1.

Almeriani quid aſſeruerint. p. 14. art. 12. n. 8.

Almarici errores qui. p. 18. art. 15. n. 6.

Alogiani unde dicti eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7. & p. 14. art. 12. n. 8.

Anabaptiſtæ unde ſic dicti, eorum quis author, & qui errores. p. 22. art. 19. n. 3.

Anglicanæ Eccleſiæ author & errores. p. 27. art. 23. n. 1. & 2.

Anonymi unde dicti, eorúmque errores. p. 12. art. 11. n. 5.

Antemarianiſtæ quid docuerint. p. 11. art. 10. n. 8.

Anti-Mariani novi qui? p. 26. art. 22. n. 10.

Anti-Trinitarii qui? p. 25. art. 22. n. 4.

Antropomorphytæ quos errores docuerint. p. 11. art. 10. n. 8.

Apollinariſtæ unde vocati, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 8.

Apoſtolici unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 4.

Apoſtatæ à fide non ſpectant ad Eccleſiam veram. p. 81. art. 1. n. 4.

Appellitæ unde nominati & eorum errores. p. 9. art. 8. n. 2.

Aquarii unde appellati. p. 12. art. 11. n. 6.

Aqua benedictio eſt ſancta & ejus uſus licitus. p. 186. n. 5. & 6.

Aqua benedicta eſt efficacior non benedictâ. ibid. n. 8. & 9.

Ariani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 1.

Ariſtocratia quid. p. 110. n. 1.

Armachani errores qui p. 19. art. 16. n. 2.

Armeni unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 6. art. 5. n. 1.

Arnalditæ unde dicti, & quid doceant. p. 26. art. 22. n. 12.

Arnoldi de Villa nova errores qui? p. 17. art. 15. n. 2.

Artolyritæ unde ſic vocati. p. 9. art. 8. n. 7.

Attributa Divina non diſtinguuntur realiter ab Eſſentia. p. 47. art. 5. n. 1. & 2.

Auguſtiniani hæretici unde dicti, eorúmque errores. p. 26. art. 22. n. 6.

B.

Bajus quis & qui Pontifices damnârint ejus propoſitiones. p. 40. n. 1.

Balthaſar Hubmar quis, & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 8.

Baroli unde ſic vocitati eorúmque errores. p. 7. art. 5. n. 3.

Baſilidiani unde ſic dicti, & eorum errores. p. 8. art. 7. n. 4.

Baſſius quid docuerit. p. 26. art. 22. n. 12.

Beguardi & *Beguini* qui? eorúmque errores. p. 17. art. 15. n. 5.

Berengariſtæ unde appellati, eorúmque errores. p. 14. art. 13. n. 4.

Bernardinus Ochinus quis, & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 2.

Bertholdus Hallerus, quis & quæ ejus dogmata. p. 23. art. 20. n. 4.

Beza quis & quæ ejus dogmata. p. 23. art. 20. n. 9.

Biblia nuper à Lutheranis & Calviniſtis edita juxta Hebraicum fontem, ſunt depravata. p. 145. art. 5. n. 1. & 2. item edita juxta textum Græcum non correctum. p. 146. n. 3. & 4. pariter Biblia nuper à diverſis hæreticis juxta eorum particularem mentem verſa, ſunt depravata. p. 146. n. 5. & 6.

Bocquinus quis & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 6.

Bruoniſtæ unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 27. art. 23. n. 4.

Bucerus quis & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 5.

C.

Cælibatus Miniſtrorum Eccleſiæ probatur. p. 131. art. 2. n. 2. & 3. & p. 132. n. 4. Cælibatum illis præcipiendi habuit Eccleſia rationabiles cauſas. p. 132. n. 6. 7. 8. 9. & 10. objectis ſatisfit. p. 133. n. 12.

Cæremoniæ quæ ſint laudabiles, & licitæ. p. 185 art. 1. n. 2. & 3. benedictio aquæ eſt ſancta, & ejus uſus licitus. p. 186. n. 5. & 6. aqua benedicta eſt efficacior non benedictâ. ibid. n. 8. & 9. inſignis illa Cæremonia, quæ eſt *Exorciſmus* Energumenorum eſt licita, & utilis. p. 187. art. 2. n. 2. 3. & 4. *Cæremoniæ Sacramentales*, vide *Sacramentalia.*

Calviniſtarum origo & errores. p. 24. art. 21. n. 3.

Carpocratitæ unde ſic dicti, & eorum errores. p. 8. art. 7. n. 6.

Cataphrygæ unde appellati, eorúmque errores. p. 8. art. 8. n. 1.

Catechumeni non ſpectant ad Eccleſiam Dei. p. 81. art. 1. n. 5.

Cerdoniani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 8. art. 7. n. 2.

Cerinthiani unde dicti, & qui eorum errores. p. 7. art. 6. n. 2.

Charitas habitualis eſt eadem entitas cum gratia juſtificante. p. 157. n. 3.

Chriſtus eſt verus Meſſias, qui jam venit. p. 61. n. 4. 5. 6. & 7. & p. 62. n. 8. 9. 10. & 11. & p. 63. n. 12. & 14. Chriſtus eſt verus Deus. p. 64. art. 4. n. 1. 2. 4. & 5. objectis ſatisfit. p. 65. n. 6. & 7. Chriſtus eſt verus homo. p. 65. art. 5. n. 1. & 2. objectis reſpondetur. ibid. n. 3. Chriſti Anima fuit ejuſdem ſpeciei cum noſtra. p. 66. n. 4. & 5. objectiones diluuntur. ibid. n. 6. Chriſti Corpus fuit verum phyſicum ejuſdem ſpeciei cum noſtro. ibid. n. 7. & 8. Hæreticis reſpondetur. p. 67. n. 9. Natura Humana Chriſti manſit impermixta. p. 67. n. 10. & 11. Chriſtus ſecundùm quam Naturam fuerit paſſus, crucifixus, & mortuus. ibid. n. 12. & 13. una tantùm Perſona eſt in Chriſto. p. 67. art. 6. n. 1. & p. 68. n. 2. objectis ſatisfit. p. 68. n. 4. Chriſtus habet duplicem Intellectum. p. 69. art. 7. n. 1. & 2. non laborat ullâ ignorantiâ. ibid. n. 4. & 5. Chriſtus habet duplicem Voluntatem. ibid. n. 7. & p. 70. n. 8. Monothelitis reſpondetur. p. 70. n. 9. Chriſtus non meruit ſubſtantiam Incarnationis per ulla merita naturæ humanæ præexiſtentis. p. 70. art. 8. n. 1. & 2. Chriſtus quid ſibi meruerit. p. 71. n. 4. 5. 6. & 7. ſatisfecit, & mortuus eſt pro omnibus etiam reprobis. ibid. n. 9. & 10. ſatisfit objectis. ibid. n. 11. Chriſtus ſua morte verè redemit genus humanum. p. 72. n. 12. & 13. objectionibus reſpondetur ibid. n. 15. Chriſtus fuit verus Pontifex, & Sacerdos. p. 73. art. 9. n. 1. 2. & 3. Chriſtus in cruce non deſperavit. p. 73. art. 10. n. 1. & 2. Calvino blaſphemo ſatisfit. ibid. n. 3. Chriſtus reali præſentiâ deſcendit ad inferos. p. 74. n. 4. & 5. Calvinus adverſans refellitur. ibid. n. 6. in Chriſto fuit timor. p. 74. art. 11. n. 1. & 2. non ſervilis, ſed filialis. ibid. n. 3. Chriſtus verè ſurrexit à mortuis. p. 75. n. 5. & aſcendit Cœlos in carne humana. ibid. n. 7. & 8. Chriſtus ſecundùm naturam humanam non eſt ubique. p. 75. art. 12. n. 1. & 2. objectis reſpondetur. p. 76. n. 5. Chriſtus etiam ùt homo eſt Caput Eccleſiæ. p. 112. art. 1. n. 2. & 3. etiam in vita exiſtens fuit Caput viſibile Eccleſiæ. p. 113. n. 4. & 5. objectis ſatisfit. ibid. n. 7. Chriſtus defacto eſt Caput Eccleſiæ, ſed inviſibile. p. 114. n. 8. & 9.

Circumcelliones unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 14. art. 12. n. 2.

Clancularii unde ſic dicti. p. 25. art. 22. n. 2.

Clementus hæretici errores qui. p. 18. art. 15. n. 8.

Cœleſtiniani unde appellati, eorúmque errores. p. 14. art. 12. n. 8.

Concilium Generale indicere poteſt Pontifex Romanus, eique præſidere p. 123. art. 1. n. 2. & p. 124. n. 3. nullus verò Laicus, nec Rex, nec Imperator. p. 124. art. 2. n. 1. 2. & 3. & p. 125. n. 4. & 5. & p. 126. n. 6. 7. & 8. objectis ſatisfit. p. 129. n. 10. & 12. Concilium Generale legitimum nequit errare in materia fidei, & morum. p. 128. art. 3. n. 1. 2. 3. & 4. objectis reſpondetur ibid. n. 6.

Confeſſioniſtæ unde ſic appellati. p. 21. art. 18. n. 2.

Cornelius Janſenius. Vide *Janſenius.*

Correrii unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 7. art. 5. n. 2.

Creſconiani unde vocati, eorúmque errores. p. 14. art. 12. n. 8.

Cumaniani unde dicti, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 8.

D.

Dadeſiani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 14. art. 12. n. 8.

Davidiſtæ unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 25. art. 22. n. 3.

Decreta Dei. Vide *Deus.*

Democratia quid? p. 110. n. 1.

Deſiderii hæretici errores qui? p. 18. art. 15. n. 9.

Deus quid ſit. p. 41. art. 1. n. 1. Deus verus exiſtit. ibid. n. 2. Dei exiſtentia demonſtratur metaphyſicè ibid. n. 3. & p. 42. n. 5. 6. & 7. Item phyſicè.. p. 42. n. 8. & p. 43. n. 9. & 10. Item oſtenditur moraliter. p. 43. n. 11. & p. 44. n. 14. 15. & 16. Deus non eſt corporeus. p. 44. art. 2. n. 1. & 2 eſt ſummè Verax. ibid. n. 4. & 5. eſt ſummè bonus, adeóque non eſt author malorum moralium. p. 45. n. 7. & 8. objectis ſatisfit. ibid. n. 10. unum tantùm eſſe Deum evincitur. p. 45. n. 2. & 3. & p. 46. n. 4. 5. & 6. Manichæis reſpondetur. p. 46. n. 7. nec Sol, Luna &c. nec Jupiter, Mars &c nec ulla Creatura eſt Deus. p. 46. n. 1. & 2. Divina Attributa, & Eſſentia non differunt realiter. p. 47. art. 5. n. 1. & 2. Deus eſt ens ſimpliciſſimum. ibid. n. 3. & 4. item ens æternum. ibid. n. 5. & 6. Deus eſt ubique & immenſus. p. 48. n. 7. & 8. objectiones diluuntur. ibid n. 9. Deus eſt inviſibilis oculô corporeô. ibid. n. 10. & 11. Deus cognoſcit Scientiâ Viſionis futura libera abſoluta. p. 48. art. 6. n. 1. & 2. objectis ſatisfit. p. 49. n. 4. & 5. Deus exercet ſinceram providentiam circa ſalutem omnium hominum. p. 49. n. 6. & 7. objectionibus reſpondetur. p. 50. n. 9. in Deo eſt Omnipotentia. p. 50. n. 10. & 11. ad quæ ſe extendat. ibid. n. 10. & 12. Dei æternitas tota ſimul exiſtit. p. 51. art. 7. n. 1. & 2. Calviniſtis ſatisfit. ibid. n. 4. Dei decreta non diſtinguuntur realiter ab ejus ſubſtantia. ibid. n. 5. & 6. Calviniſtis reſpondetur. ibid. n. 7. Dei decreta circa prædeſtinationem ſunt ab æterno. ibid. n. 8. & 9. Calviniſtarum objectiones evacuantur ibid. n. 10. Deus ùt author naturæ poteſt diligi amore naturali imperfecto benevolentiæ ſinè gratia ſpeciali actuali. p. 175. art. 7. n. 1. & p. 176. n. 2. 3. 4. & 5. non tamen ùt author gratiæ amore perfecto. p. 176. n. 8. 9. 10. & 11.

Dioſcoriani unde appellati, eorúmque errores. p. 14. art. 12. n. 8.

Donatiſtæ unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 12. art. 11. n. 3.

E.

Ebionitæ unde ſic appellati eorúmque errores. p. 7. art. 6. n. 5.

Eccleſia quid nominis? p. 81. art. 1. n. 1. & quid rei? ibid. n. 3. Judæi, Pagani, & Apoſtatæ à Fide non pertinent ad Eccleſiam. ibid. n. 4. nec Catechumeni, Excommunicati, & Hæretici. ibid. n. 5. nec Schiſmatici. p. 82. n. 6. peccatores etiam graviſſimi, occulti, & manifeſti, ac reprobi ſpectant ad Eccleſiam. p. 82. n. 7. Eccleſiæ veræ notas quas afferat Calvinus? p. 82. art. 2. n. 2. & quas Lutherus? ibid. notæ à Sectariis aſſignatæ non ſunt ſufficientes p. 83. n. 3. & 4. Eccleſiæ veræ Nota eſt, quòd ſit unica. p. 83. art. 3. n. 1. & 2. in quo hæc unitas conſiſtat. p. 84. n. 3. Item quòd ſit ſancta p. 84. n. 4. & 5. in quo hæc ſanctitas conſiſtat. ibid. n. 6. Item quòd ſit Catholica. p. 84. art. 4. n. 1. & 2. & p. 85. n. 3. Item quòd ſit Apoſtolica. p. 85. n. 4. & 5. Eccleſiæ veræ Dei Nota etiam eſt antiquitas. p. 85. art. 5. n. 1. & 2. Item duratio non interrupta. p. 86. n. 3. & 4. Item amplitudo & varietas credentium. ibid. n. 5. & 6. Item conſpiratio in doctrinam veterum Patrum. p. 86. art. 6. n. 1. & 2. Item concordia membrorum. p. 87. n. 3. & 4. Item patratio verorum miraculorum. ibid. n. 5. & 6. Eccleſia Romana quæ? p. 87. art. 7. n. 1. cur nominetur Pontificia, Romana, & Papiſtica? p. 93. n. 3. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota Unitatis. p. 88. n. 3. & 4. non autem aliis Eccleſiis. ibid. n. 6. 7. & 8. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota Sanctitatis. p. 89. art. 8. n. 1. 2. & 3. non verò aliis falſis Eccleſiis. p. 90. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & p. 91. n. 10. 11. & 12. & p. 92. n. 13. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota Catholicæ. p. 92. art. 9. n. 1. & 2. & p. 93. n. 4. non autem ulli alteri. p. 94. n. 5. 6. & 7. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota Apoſtolicæ. p. 94. art. 10. n. 1. 2. & 3. ordo Succeſſionis Romanorum Pontificum refertur. p. 95. & 96. Nota Apoſtolicæ nulli alteri Eccleſiæ convenit. p. 96. n. 4. 5. & 6. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota Antiquitatis. p. 97. art. 11. n. 1. & 2. non verò alteri. p. 98. n. 3. & 4. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota durationis. ibid. n. 5. & 6. nulli autem alteri. p. 99. n. 8. & 9. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota Conſpirationis in doctrinam SS. PP. p. 99. art. 12. n. 1. & p. 100. n. 2. nulli verò alteri. p. 100. n. 3. & 4. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota Concordiæ. ibid. n. 5. & 6. non autem ulli alteri. p. 101. n. 7. 8. & 9. Eccleſiæ Romanæ convenit Nota miraculorum. p. 101. art. 13. n. 1. 2. & 3. & p. 102. n. 5. & 6. nulli verò alteri Eccleſiæ. p. 103. n. 7. & 8. Eccleſia vera eſt viſibilis. p. 104. n. 1. 2. 3. & 4. talis eſt Romana. p. 105. n. 7. & 8. Eccleſia vera eſt indefectibilis & infallibilis in fide. p. 106. n. 1. 2. 3. 4. & 5. objectis ſatisfit. p. 107. n. 6. & 8. & p. 108. n. 10. Eccleſia Romana eſt indefectibilis & infallibilis

p. 108. n. 11. & 12. nulla verò alia. p. 109. n. 13. & 14. extra Eccleſiam Romanam nemo poteſt ſalvari. p. 109. n. 1. & 2. Ecelеſiæ veræ Regimen eſt principaliter Monarchicum. p. 110. n. 2. 3. 4. & p. 111. n. 9. 10. & 11. objectis reſpondetur p. 112. n. 14. Eccleſiæ veræ Caput eſt Chriſtus etiam ùt homo. p. 112. art. 1. n. 2. & 3. adhuc vivens fuit Caput viſibile. p. 113. n. 4. & 5. & defacto eſt Caput, ſed inviſibile. p. 114. n. 8. & 9. in Eccleſia vera Chriſti ſemper debet eſſe Caput viſibile, & Vicariale. p. 114. art. 2. n. 1. & 2. tale Caput fuit D. Petrus. p. 115. art. 3. n. 1. 2. 3. & 4. & p. 116. n. 5. objectis ſatisfit. p. 116. n. 7. & p. 117. n. 8. quivis Romanus Pontifex legitimè electus obtinet primatum Eccleſiæ, éſtque Succeſſor D. Petri. p. 118. art. 4. n. 1. 2. & 3. & p. 119. n. 4. 5. & 6. objectis reſpondetur. p. 120. n. 8. & 10. Immunitas Eccleſiæ quid ſit. p. 137. n. 1. ad quæ extendatur. ibid. n. 2. 3. 4. & 5. & p. 138. n. 6. objectis reſpondetur. p. 138. n. 8. *Eccleſiæ Miniſtri.* Vide *Miniſtri.*

Elceſes unde dicti, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Enthuſiaſtæ qui, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 5.

Eraſmus Roteradamus quis. p. 23. art. 20. n. 9.

Eremitica vita eſt laudabilis, & ſancta. p. 136. art. 5. n. 1. & 2.

Eunomiani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 2.

Euſtachiani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 7.

Eutychiani unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 4.

Exorciſmus ſuper Energumenos eſt licitus, & utilis. p. 187. art. 2. n. 2. 3. & 4.

F.

Familiares hæretici Anglicani qui. p. 28. art. 23. n. 5.

Fides vera eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medii, & præcepti p. 150. art. 1. n. 1. 2. & 3. Fides vera Theologica actualis quid ſit. ibid. n. 4. 5. & 6. non eſt fiducia voluntatis, ſed aſſenſus intellectûs. p. 151. art. 2. n. 1. 2. & 3. Fides vera Salutaris eſt unica tantùm. ibid. art. 3. n. 1. & 2. in ſola Fide Catholica, non verò Sectarii uniuscujuſque fide, eſt ſalus. ibid. n. 3. & 4. objectis ſatisfit. p. 152. n. 6. Fides Theologica non amittitur quovis peccato. p. 152. art. 4. n. 1. 2. & 3. objectiones ſolvuntur. p. 153. n. 5. Fidem negare non licet nec ob metum tormentorum, nec ob mortem. p. 153. art. 5. n. 1. & 2. nec licet negare fidem indirectè, negando ſe eſſe Chriſtianum, vel Papiſtam &c. ibid. n. 3. & 4. nec licet uti verbis ambiguis, aut reſtrictione mentali, dum urget Confeſſio fidei. ibid. n. 3. & p. 154. n. 5. non licet ſimulare fidem utendo Cæremoniis falſæ Religionis. p. 154. art. 6. n. 1. & 2. objectis reſpondetur. ibid. n. 4. ad Fidem Theologicam non pertinet, ut adultus certâ ſpeciali fide teneat peccata ſibi eſſe certò remiſſa &c. p. 155. art. 7. n. 1. & 2. hæreticis reſpondetur. ibid. n. 4. Fides vera Theologica nullis eſt permixta erroribus. ibid. art. 8. n. 1. & 2. reddit fideles infallibiliter certos de articulis quos dogmatizat. p. 156. n. 3. & 4. Fides vera unde naſcatur? ibid. n. 5. & 6. Fides hiſtorica miraculorum & promiſſionum quid ſit. p. 160. art. 3. n. 2. *Fides juſtificans.* Vide *Gratia juſtificans.*

Filius Divinus eſt Patri Conſubſtantialis, non eſt creatura, nec purus homo. p. 58. art. 1. n. 1. 2. 3. 4. objectis ſatisfit. p. 59. n. 6. & 8.

Flagellantes unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 16. art. 14. n. 4.

Floriani unde appellati, eorúmque error. p. 12. art. 11. n. 6.

Floriniſtæ unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 14. art. 13. n. 3.

Fontaniani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 6.

Fortunatiſtæ quid docuerint. p. 14. art. 12. n. 8.

G.

Georgiani qui, & unde ſic dicantur. p. 6. n. 6.

Gilbertus Porretanus in quo erraverit. p. 17. art. 15. n. 1.

Gnoſtici unde ſic vocati, & eorum errores. p. 8. art. 7. n. 3.

Græcorum Schiſmata, eorúmque errores. p. 4. art. 3. n. 1. & ſeqq.

Gratia juſtificans quid ſit? p. 156. art. 1. n. 1. varia ſortitur nomina ibid. n. 2. entitativè eſt ipſa Charitas habitualis. p. 157. n. 3. exiſtit in juſtis intrinſecè & permanenter. ibid. n. 4. & 5. eſt diſtincta à Juſtitia Chriſti. ibid. n. 4. & 7. Juſtificatio peccatoris formaliter non fit per Juſtitiam Chriſti illi imputatam, ſed per gratiam habitualem à Deo creatam & infuſam. p. 158. art. 2. n. 1. & 2. & p. 159. n. 3. 4. 5. & 6. objectis ſatisfit. p. 160. n. 8. Fides aliqua neceſſaria eſt ad Juſtificationem. ibid. art. 3. n. 1. Fides hiſtorica, Fides miraculorum & promiſſionum quid ſit: ibid. n. 2. ad Juſtificationem concurrit Fides dogmatica ſeu hiſtorica, & miraculorum. p. 161. n. 3. 4. & 5. non verò fides ſpecialis promiſſionum ſeu fiducia ſpecialis. ibid. n. 3. & 6. objectis reſpondetur. ibid. n. 8. ſola Fides non juſtificat formaliter. p. 162. n. 9. 10.

n. 9. 10. 11. & 12. objectiones ſolvuntur. ibid. n. 14. quæ diſpoſitiones ad Juſtificationem concurrant? p. 163. art. 4. n. 1. qualis fides ùt diſpoſitio prævia ſit neceſſaria. ibid. n. 2. quæ ſint cauſæ Juſtificationis. ibid. n. 3. in Juſtificatione non tantùm teguntur peccata, ſed verè tolluntur. p. 164. art. 5. n. 1. 2. 3. & 4. objectis ſatisfit. ibid. n. 6. juſtificatus regulariter non habet certitudinem Fidei de ſua Juſtificatione. p. 165. art. 6. n. 1. 2. 3. & 4. objectionibus reſpondetur. p. 166. n. 7. poteſt tamen habere certitudinem moralem. p. 166. n. 8.

Gratia actualis quid ſit. p. 167. art. 1. n. 1. alia eſt efficax, alia inefficax. ibid. n. 2. Gratiæ actualis exiſtentia probatur. ibid. n. 4. 5. 6. & 7. Pelagianis opponentibus reſpondetur. p. 168. n. 9. quibuſdam datur tantùm gratia inefficax, ſufficiens tamen. p. 168. art. 2. n. 1. 2. 3. & 4. & p. 169. n. 5. ſinè gratia poteſt quis cognoſcere exiſtentiam Dei. ibid. n. 1. & 2. ac aliquas veritates ſpeculativas. ibid. n. 3. item aliquas practicas. ibid. n. 4. objectiones ſolvuntur. p. 170. n. 5. 7. & 8. nec omnes veritates ſpeculativæ, nec omnes practicæ morales ſinè gratia actuali attingi poſſunt ibid. n. 9. & p. 171. n. 10. gratia actualis eſt neceſſaria ad cognoſcenda Myſteria fidei, & eis aſſentiendum, ùt oportet. p. 171. art. 4. n. 1. 2. 3. 4. & 5. objectis ſatisfit. p. 172. n. 7. ad initium fidei, & pium credulitatis affectum neceſſaria quoque eſt gratia actualis. ibid. n. 8. 9. 10. & 11. Semipelagianis reſpondetur. ibid. n. 13. ad quodvis opus ſalutare ſupernaturale neceſſaria eſt gratia actualis. p. 173. art. 5. n. 1. 2. 3. 4. & 5. objectiones ſolvuntur. ibid. n. 7. ad aliqua opera moraliter bona non requiritur gratia actualis. ibid. n. 8. & 9. & p. 174. n. 11. & 12. objectis ſatisfit. p. 174. n. 14. gratia actualis eſt neceſſaria ad debitè & diu obſervanda præcepta Divina. p. 175. art. 6. n. 1. & 2. item ad actus Spei, Charitatis, & Pœnitentiæ, ùt oportet eliciendos. ibid. n. 1. & 3. Pelagianis reſpondetur. ibid. n. 5. ſinè actuali gratia poteſt diligi Deus, ùt author naturæ amore naturali imperfecto. p. 175. art. 7. n. 1. & p. 176. n. 2. 3. & 4. Baiſtis opponentibus ſatisfit. p. 176. n. 7. nequit tamen Deus ùt author gratiæ diligi amore perfecto benevolentiæ ſinè gratia ſpeciali. p. 176. n. 8. 9. 10. & 11. neceſſaria eſt gratia actualis ad perſeverandum in Juſtificatione maximè uſque in finem vitæ. p. 177. art. 8. n. 1. 2. 3. 4. & 5. objectiones ſolvuntur. ibid. n. 7.

Gribaldus quis, & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 9.

Gulielmus de S. amore errores qui. p. 17. art. 15. n. 4.

H.

Hæreſiarcharum pœnæ variæ recenſetur. p. 29. art. 24. n. 1. & p. 30. n. 2. 3. & 4.

Hæreſum Cauſæ principales quæ. p. 30. art. 25. n. 1. & p. 31. n. 2. 3. 4. & 5. & p. 32. n. 6. 7. 8. 9. & 10. Hæreſum veterum & novarum diſconvenientia & convenientia refertur. p. 39. art 30. n. 1. & 2. item principalium hæreſum interna diviſio. p. 40. n. 3.

Hæretici celebriores in quibus Conciliis damnati. p. 37. art. 28. n. 1. 2. & 3. & p. 38. n. 8. & 5. quomodo cum ſingulis hæreticis procedendum. p. 38. art. 29. n. 1. 2. & 3. & p. 39. n. 4. & 5. Hæretici non ſpectant ad Eccleſiam veram Dei. p. 81. art. 1. n. 5. Hæreticorum à Catholicis ſigna diſtinctiva quæ. p. 33. art. 26. n. 1. 2. & 3. & p. 34. n. 4. 5. 6. 7. & 8.

Helvidiani unde dicti, & quid docuerint. p. 11. art. 10. n. 8.

Henrici VIII. Regis Angliæ errores. p. 27. art. 23. n. 1.

Hermannus Rosuk quis, & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 9.

Hermias Galata quid docuerit. p. 26. art. 22. n. 12.

Huſſitæ unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 19. art. 17. n. 1. qui eorum propagatores. ibid. n. 2.

I.

Jacobitæ unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 6. n. 5.

Janſenius quis, & quæ propoſitiones ejus damnatæ. p. 40. n. 2.

Iconomachi ſeu *Iconoclaſtæ* qui, & qui eorum fautores. p. 14. art. 13. n. 1.

Illyrici errores qui. p. 23. art. 20. n. 9.

Immunitas Eccleſiæ quid ſit. p. 137. n. 1. ad quæ ſe extendat. ibid. n. 2. 3. 4. & 5. & p. 138. n. 6. objectis ſatisfit. p. 138. n. 8.

Independentes hæretici unde dicti, quis eorum author, & qui errores. p. 28. art. 23. n. 7.

Joachimi Abbatis errores qui. p. 17. art. 15. n. 3.

Joannes à Poliaco errores qui. p. 19. art. 16. n. 2.

Joviniani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 12. art. 11. n. 2.

Judæorum errores. p. 2. art. 1. n. 3. & 5. inter eos variæ Sectæ. ibid. n. 4. non ſpectant ad Eccleſiam Dei. p. 81. art. 1. n. 4.

Judex ultimatus Controverſiarum Fidei quis ſit. p. 35. art. 27. n. 3. & 4. & p. 36. n. 5. 6. & 7. hæreticorum objectis ſatisfit. p. 37. n. 8. 9. 10. 11. & 12.

Juſtificatio. Vide *Gratia Juſtificans.*

L.

Lamperiani unde, ſic dicti, eorúmque errores. p. 26. art. 22. n. 12.

Liber Canonicus quid ſit. p. 140. art. 1. n. 1. qui ſint Libri Canonici S. Scripturæ ibid. n. 4. & p. 141. n. 5. & 6. omnes illos prout in vulgata editione continentur, tenentur recipere fideles. p. 142. art. 2. n. 2. 3. 4. & 5.

Libertini qui, eorúmque errores. p. 26. art. 22. n. 11. *Libertinorum novorum* errores. p. 29. art. 23. n. 9.

Lollardi quos errores docuerint. p. 19. art. 16. n. 2.

Lucas Sternbergenſis quis, & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 5.

Luciferiani unde ſic dicti, & eorum errores. p. 12. art. 11. n. 6.

Lutherani unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 20. art. 18. n. 1.

M.

Macedoniani unde dicti, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 4.

Mahomet ex quibus Sectariis prodierit. p. 3. art. 2. n. 1. vitæ ejuſdem brevis deſcriptio. ibid. errores. principales Sectæ Mahometanæ qui. ibid. n. 2.

Manichæi unde originem ducant, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 5.

Marcioniſtæ unde ſic dicti, & eorum errores. p. 8. art. 7. n. 1.

Marcitæ unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 8. art. 7. n. 1.

Maria cur ſit vera Mater Chriſti. p. 68. n. 4. item cur *Theotocon*, ſeu vera Mater Dei. ibid.

Maronitæ unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 5. art. 4. n. 3.

Marſilii errores qui. p. 18. art. 15. n. 7.

Martinus Bucerus quis, & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 5.

Martinus Kemnitius quis. p. 23. art. 20. n. 7.

Melchiſedechiani qui, eorúmque error. p. 9. art. 8. n. 7.

Memnoniſtæ unde ſic vocati, & qui eorum errores. p. 26. art. 22. n. 7.

Menandrini unde ſic nominati, eorúmque errores. p. 7. art. 6. n. 3.

Mendicitas Religioſorum mendicantium eſt meritoria. p. 134. art. 4. n. 1. & p. 135. n. 2. & 3. objectis reſpondetur. p. 135. n. 5.

Meſſalini qui, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 5.

Meſſias jam venit. p. 61. n. 4. 5. 6. & 7. & p. 62. n. 8. 9. 10. & 11. & p. 63. n. 12. & 14.

Metangiſmonitæ qui, & quid ſentiant. p. 11. art. 10. n. 8.

Miniſtri Eccleſiæ qui? p. 129. art. 1. n. 1. variæ eorum ſpecies recenſetur. ibid. Miniſtrorum Eccleſiæ alia vocatio ordinaria, alia extraordinaria eſt. ibid. n. 2. nemo poteſt ſeipſum vocare & mittere Legitimum Miniſtrum. ibid. n. 3. 4. & 5. & p. 130. n. 6. vocatio, electio, miſſio, & ordinatio Miniſtrorum Eccleſiæ nequit fieri ab ullo Laico. p. 130. n. 7. 8. & 9. mox à primitiva Eccleſia omnes Miniſtri vocati, miſſi, & ordinati fuerunt à Prælatis Eccleſiæ & uſque modò id ſervandum eſt. p. 130. n. 10. & 11. objectis ſatisfit. p. 131. n. 12. & 15. Miniſtri Eccleſiæ ab antiquo obligantur ad Cælibatum. p. 131. art. 1. n. 1. 2. & 3. & p. 132. n. 4. non tamen Jure Divino, ſed Eccleſiaſtico. p. 132. n. 5. Miniſtris Eccleſiæ fuit præceptus cælibatus ex cauſis valdè rationabilibus. ibid. n. 6. 7. 8. 9. & 10. objectionibus reſpondetur. p. 133. n. 12. Miniſter Sacramentorum quis? p. 183. art. 3. n. 4. & 5. ejus improbitas non obſtat Sacramenti efficaciæ. ibid. n. 6. & 7.

Monarchia quid? p. 110. n. 1. in Eccleſia vera viget principaliter Monarchia. ibid. n. 2. 3. & 4. & p. 111. n. 9. 10. & 11.

Monothelitæ unde dicti, p. 15. art. 13. n. 5.

Montaniſtæ qui, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 1.

Muſculani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 26. art. 22. n. 8.

N.

Nazarei qui? eorúmque errores. p. 7. art. 6. n. 4.

Nazaræi unde ſic vocati eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Neſtoriani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 3.

Nicolaitæ unde ſic appellati & eorum errores. p. 7. art. 6. n. 6.

Nicolai Calabri, errores qui. p. 10. art. 16. n. 2.

Noëtiani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Novatiani unde appellati, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 6.

Novi-Ariani qui. p. 25. art. 22. n. 4.

Notæ Eccleſiæ veræ Dei, quæ ſint? Vide *Eccleſia*.

O.

Ochinus quis & qui ejus errores. p. 23. art. 20. n. 2.

Oecolampadius, quis, & quæ ejus dogmata. p. 22. art. 20. n. 1.

Omni-

Omnipotentia ineſt Deo, & ad quæ ſe extendat. p. 50. n. 10. 11. & 12.

Ophitæ unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 4.

Oratio eſt utilis & neceſſaria. p. 187. art. 1. n. 1. 2. & 3. objectis reſpondetur. p. 188. n. 4. & 5 orationes particulares plus proſunt illis, pro quibus in particulari fiunt, quàm ſi generaliter fierent. p. 188. n. 6. & 7. non eſt obligatio orandi ſinè phyſica interruptione. ibid. art. 2. n. 1. & 2.

Ordo ſucceſſionis ſummorum Pontificum refertur. p. 95. & 96.

Originiſtæ unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 1.

P.

Paganorum ſecta quando, & à quo incepta. p. 2. art. 1. n. 1. horum ſequaces qui? ibid. & qui eorum errores. ibid. non ſpectant ad Eccleſiam Dei. p. 81. art. 1. n. 4.

Pataloringhitæ unde ſic vocati, eorúmque error. p. 12. art. 11. n. 6.

Paterniani quid docuerint. p. 12. art. 11. n. 6.

Pater Divinus non eſt miſſus. p. 57. art. un. n. 2. nec incarnatus. ib. n. 3. nec paſſus. ib. n. 4.

Patri-Paſſiani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Patritiani unde dicti, eorúmque error. p. 12. art. 11. n. 6.

Paulinistæ unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 5.

Pelagiani unde appellati, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 1.

Pepuſiani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 6.

Perdaſanitæ qui, & eorum error. p. 9. art. 8. n. 7.

Perſonæ Divinæ. Vide *Trinitas.*

Petrus Abailardus quis, ejúſque errores. p. 26. art. 22. n. 12.

D. Petrus fuit Caput Eccleſiæ, & Vicarius Chriſti. p. 115. art. 3. n. 1. 2. 3. & 4. & p. 116. n. 5. objectis ſatisfit. p. 116. n. 7. & p. 117. n. 8.

Petrus Martyr quis & quæ ejus dogmata. p. 23. art. 20. n. 3.

Photiniani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 3.

Picarditæ unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 20. art. 17. n. 5.

Pœnæ variæ Hæreſiarcharum recenſentur. p. 29. art. 24. n. 1. & p. 30. n. 2. 3. & 4.

Politicorum Secta quæ, & quæ eorum dogmata. p. 2. art. 1. n. 2.

Pontifex Romanus legitimè electus eſt verus Succeſſor D. Petri. p. 118. art. 4. n. 1. 2. & 3. & p. 119. n. 4. 5. & 6. objectis ſatisfit. p. 120. n. 8. & 10. Pontifex Romanus habet infallibilem authoritatem in definiendis articulis Fidei, & moribus rectificandis. p. 121. art. 5. n. 1. 2. 3. & 4. objectis reſpondetur. p. 122. n. 6. & 8. ſolus Pontifex Romanus poteſt indicere Concilium Generale, eidémque præſidere. p. 123. art. 1. n. 2. & p. 124. n. 3.

Porphyriani unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 7.

Prædeſtinati ſeu *Prædeſtinatiani* unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 26. art. 22. n. 12.

Presbyteriani unde appellati, eorúmque errores. p. 28. art. 23. n. 6.

Priſcillianiſtæ unde vocati, eorúmque errores. p. 12. art. 11. n. 4.

Proclianitæ ubi orti, eorúmque errores. p. 12. art. 11. n. 6.

Proteſtantes unde ſic appellati. p. 21. art. 18. n. 3. Sub quo in Angliam introducti. p. 27. art. 23. n. 2.

Providentia ſincera circa ſalutem hominum eſt in Deo. p. 49. n. 6. & 7. objectis ſatisfit. p. 50. n. 9.

Pſeudo-Apoſtoli à quo prodierint, eorúmq; errores. p. 16. art. 14. n. 3.

Puritani unde dicti, eorúmque errores. p. 27. art. 23. n. 3.

Q.

Quakerorum origo & errores. p. 29. art. 23. n. 8.

Quintiniſtæ à quo ſic dicti, eorúmque errores. p. 26. art. 22. n. 11.

R.

Religioſorum vota ſunt ſancta, & meritoria. p. 133. art. 3. n. 1. & 2. objectis ſatisfit. p. 134. n. 4. Religioſorum mendicantium mendicitas eſt meritoria. p. 134. art. 4. n. 1. & p. 135. n. 2. & 3. reſpondetur objectis. p. 135. n. 5. Religioſis convenit labor manualis honeſtus. p. 136. n. 6.

Rutheni unde dicti? eorúmque errores. p. 5. art. 4. n. 1.

Rogatiani unde appellati, eorúmque error. p. 26. art. 22. n. 12.

S.

Sabbathini unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 25. art. 22. n. 1.

Sabelliani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 2.

Sacramentum definitur. p. 178. art. 1. n. 1. eadem definitio explicatur. ibid. n. 2. dantur in Lege nova vera Sacramenta à Chriſto inſtituta. ibid. n. 4. & 5. Súntque ſeptem. p. 179. n. 6, 7, 8. & 9. Hæreticis reſpondetur. p.

180. n. 11. & p. 181. n. 12. Sacramenta novæ Legis non ſunt inſtituta, ut tantùm excitent Fidem juſtificantem, ſed ut conferant gratiam ex opere operato. p. 181. art. 2. n. 1. 2. 3. & 4. & p. 182. n. 5. & 6. objectis ſatisfit. p. 182. n. 7. 8. & 9. Verba formarum Sacramentalium non ſunt concionatoria, ſed effectiva, expreſſiva, & conſecratoria. p. 183. art. 3. n. 1. & 2. Sacramentorum Miniſter defacto eſt ſolus homo uſum rationis habens. ibid. n. 4. & 5. improbitas legitimi aliàs Miniſtri non impedit efficaciam Sacramenti. ibid. n. 6. & 7. objectiones ſolvuntur. ibid. n. 8.

Sacramentalia quid ſint. p. 184. Cæremoniæ Sacramentales laudabiliter adhibentur in adminiſtratione Sacramentorum. ibid. n. 2. 3. & 4. & fideles eaſdem obſervare tenentur. ibid. n. 5. Calvino opponenti ſatisfit. ibid. n. 7.

Sacramentarii unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 21. art. 19. n. 2.

Samoſateniani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 5.

Samſei qui, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Sarabaitæ quid docuerint. p. 14. art. 12. n. 8.

Saracens unde dicti. p. 3. art. 2. n. 1.

Saturniani unde dicti, eorúmque error. p. 26. art. 22. n. 12.

Scientiâ Viſionis cognoſcit Deus futura libera abſoluta. p. 48. art. 6. n. 1. & 2.

Scriptura Sacra quid ſit? p. 140. art. 1. n. 1. quos libros Canonicos comprehendat. ibid. n. 4. & p. 141. n. 5. & 6. omnes libros S Scripturæ, prout in vulgata editione continentur, fideles recipere tenentur. p. 142. art. 2. n. 2. 3. 4. & 5. non expedit cuivis permittere liberam S. Scripturæ lectionem ad interpretandum. 143. art. 3. n. 1. 2. 3. & 4. objectis ſatisfit. ibid. n. 6. S. Scriptura in quibusdam textibus eſt obſcura, & difficilis, indigétque legitima interpretatione. p. 144. art. 4. n. 1. 2. 3. & 4. quæ ſint cauſæ obſcuritatis? ibid. n. 5. & 6. & p. 145. n. 7. reſpondetur hæreticis. p. 145. n. 9. Scriptura nuper à Lutheranis, & Calviniſtis edita eſt depravata & inſufficiens ad probandos omnes articulos fidei. p. 145. art. 5. n. 1. & 2. Scriptura juxta textum Græcum incorrectum edita eſt corrupta & depravata. p. 146. n. 3. & 4. Scriptura nuper à diverſis hæreticis juxta particularem eorum mentem verſa, eſt quoque depravata. ibid. n. 5. 6. & 7.

Schiſmatici non ſpectant ad Eccleſiam veram. p. 82. n. 6.

Schwenckfeldiani unde appellati, eorúmque errores. p. 24. art. 21. n. 1.

Seleuſiani unde appellati, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 8.

Semi-Pelagiani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 2.

Severiani unde appellati, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 5.

Simoniaci unde dicti, & qui eorum errores. p. 7. art. 6. n. 1.

Spiritus Sanctus à Patre Filióque procedit. p. 76. art. 1. n. 1. & 2. & p. 77. n. 3. 4. & 5. Græcorum objectiones ſolvuntur. ibid. n. 6. & p. 78. n. 7. & 9. Spiritus S. eſt Patri, Filióque conſubſtantialis, adeóque non eſt creatura. p. 79. art. 2. n. 1. 2. 3. & 4. Macedonianis opponentibus ſatisfit. ibid. n. 6. Spiritus S. non eſt anima Mundi. p. 80. art. 3. n. 1. & 2.

Stancariani unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 25. art. 22. n. 5.

Suriani unde ſic vocati. p. 6. n. 4.

T.

Tatiani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 3.

Templarii unde dicti, eorúmque errores. p. 15. art. 14. n. 2. & p. 26. art. 22. n. 9.

Tertullianiſtæ unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 12. art. 11. n. 1.

Teſſeradecaitæ qui? p. 9. art. 8. n. 7.

Thaboritæ unde ſic appellati, dicti quoque *orbitæ*. p. 20. art. 17. n. 3.

Thalmud Judæorum duplex eſt. p. 3. art. 1. n. 5. quid in iis contineatur ibid.

Theodoriſtæ unde appellati, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 6.

Theodoſiani unde vocati, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Theodotiani unde appellati, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Theſſalitæ qui, & quid doceant. p. 26. art. 22. n. 12.

Thritheitæ unde dicti. p. 14. art. 12. n. 8.

Traditiones quotuplices ſint. p. 146. art. 1. n. 1. extant in Eccleſia Traditiones Divinæ, & Apoſtolicæ. p. 147. n. 2. 3. 4. 5. & 6. objectiones ſolvuntur. p. 148. n. 8. harum traditionum neceſſitas oſtenditur. p. 148. art. 2. n. 2. 3. & 4. obſervantia traditionum Divinarum & Apoſtolicarum eſt ſub gravi obligatione. p. 149. n. 5. 6. 7. 8. & 9. objectis ſatisfit. ibid. n. 11.

Trementes hæretici. Vide *Quackeri*.

Trinitas quid ſit. p. 52. art. 1. n. 1. Trinitatis exiſtentia oſtenditur ex Vet. Teſtament. ibid. n. 3. 4. 5. 6. 7. & p. 53. n. 8. & 9. item ex Novo Teſtament. p. 53. n. 11. itẽ probabilibus & congruentialibus rationibus ſuadetur. ib. n. 14. & p. 54. n. 15. & 16. in Trinitate tres ſunt Perſonæ. p. 54. art. 2. n. 2. & 3. inter ſe realiter diſtinctæ. p. 55. n. 5. & 6. omnes tres ſunt pares, & formaliter Deus, p. 55. art. 3. n. 1. & 2. & p. 56. n. 3. & 4.

unicus

unicus tamen numerô Deus eſt. p. 56. n. 5. 6. 7. 8. & 9. Pater ſeu prima Perſona Trinitatis non eſt miſſa. p. 57. art. un. n. 1. & 2. nec incarnata. ibid. n. 3. nec paſſa. ibid. n. 4. ſecunda Perſona Trinitatis, ſeu Filius eſt conſubſtantialis Patri, non eſt creatura, nec purus homo. p. 58. art. 1. n. 1. 2. 3. 4. objectis ſatisfit. p. 59. n. 6. & 8. eademPerſona eſt propriè Verbum. p. 60. art. 2. n. 1. 2. & 3. objectionibus reſpondetur. ibid. n. 5. ſecunda Perſona eſt incarnata. p. 60. art. 3. n. 1. & p. 61. n. 2. éſtque verus Meſſias, qui jam venit. p. 61. n. 4. 5. 6. 7. & p. 62. n. 8. 9. 10. & 11. & p. 63. n. 12. & 14. *Tertia Perſona Trinitatis.* Vide *Spiritus Sanctus.*

Turrelupini unde dicti, eorúmque erroneum dogma. p. 26. art. 22. n. 12.

V.

Vadiani quid docuerint. p. 11. art. 10. n. 5.

Valentiniani unde appellati, eorúmque errores. p. 8. art. 7. n. 5.

Ubiquiſtæ unde ſic dicti. p. 24. art. 21. n. 2.

Venuſtiani quid docuerint. p. 12. art. 11. n. 6.

Verbum Dei traditum. Vide *Traditio. Verbum Dei ſcriptum.* Vide *Scriptura.*

Verbum Divinum datur, éſtque ſecunda Trinitatis Perſona. p. 60. art. 2. n. 1. 2. & 3.

Veſſaliani unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 20. art. 17. n. 4.

Vigilantiani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 14. art. 12. n. 7.

Vota tria Religioſorum ac Monialium ſunt Sancta, & meritoria. p. 133. art. 3. n. 1. & 2. objectis reſpondetur. p. 134. n. 4.

W.

Waldenſes unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 15. art. 13. n. 6.

Wiclephiſtarum origo, & errores. p. 18. art. 16. n. 1.

Z.

Zuingliani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 21. art. 19. n. 9.

FINIS.

180. n. 11. & p. 181. n. 12. Sacramenta novæ Legis non ſunt inſtituta, ut tantùm excitent Fidem juſtificantem, ſed ut conferant gratiam ex opere operato. p. 181. art. 2. n. 1. 2. 3. & 4. & p. 182. n. 5. & 6. objectis ſatisfit. p. 182. n. 7. 8. & 9. Verba formarum Sacramentalium non ſunt concionatoria, ſed effectiva, expreſſiva, & conſecratoria. p. 183. art. 3. n. 1. & 2. Sacramentorum Miniſter defacto eſt ſolus homo uſum rationis habens. ibid. n. 4. & 5. improbitas legitimi aliàs Miniſtri non impedit efficaciam Sacramenti. ibid. n. 6. & 7. objectiones ſolvuntur. ibid. n. 8.

Sacramentalia quid ſint. p. 184. Cæremoniæ Sacramentales laudabiliter adhibentur in adminiſtratione Sacramentorum. ibid. n. 2. 3. & 4. & fideles eaſdem obſervare tenentur. ibid. n. 5. Calvino opponenti ſatisfit. ibid. n. 7.

Sacramentaris unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 21. art. 19. n. 2.

Samoſateniani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 10. art. 9. n. 5.

Samſei qui, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Sarabaite quid docuerint. p. 14. art. 12. n. 8.

Saracens unde dicti. p. 3. art. 2. n. 1.

Saturniani unde dicti, eorúmque error. p. 26. art. 22. n. 12.

Scientiâ Viſionis cognoſcit Deus futura libera abſoluta. p. 48. art. 6. n. 1. & 2.

Scriptura Sacra quid ſit? p. 140. art. 1. n. 1. quos libros Canonicos comprehendat. ibid. n. 4. & p. 141. n. 5. & 6. omnes libros S Scripturæ, prout in vulgata editione continentur, fideles recipere tenentur. p. 142. art. 2. n. 2. 3. 4. & 5. non expedit cuivis permittere liberam S. Scripturæ lectionem ad interpretandum. 143. art. 3. n. 1. 2. 3. & 4. objectis ſatisfit. ibid. n. 6. S. Scriptura in quibusdam textibus eſt obſcura, & difficilis, indigétque legitima interpretatione. p. 144. art. 4. n. 1. 2. 3. & 4. quæ ſint cauſæ obſcuritatis? ibid. n. 5. & 6. & p. 145. n. 7. reſpondetur hæreticis. p. 145. n. 9. Scriptura nuper à Lutheranis, & Calviniſtis edita eſt depravata & inſufficiens ad probandos omnes articulos fidei. p. 145. art. 5. n. 1. & 2. Scriptura juxta textum Græcum incorrectum edita eſt corrupta & depravata. p. 146. n. 3. & 4. Scriptura nuper à diverſis hæreticis juxta particularem eorum mentem verſa, eſt quoque depravata. ibid. n. 5. 6. & 7.

Schiſmatici non ſpectant ad Eccleſiam veram. p. 82. n. 6.

Schwenckfeldiani unde appellati, eorúmque errores. p. 24. art. 21. n. 1.

Seleuſiani unde appellati, eorúmque errores. p. 11. art. 10. n. 8.

Semi-Pelagiani unde ſic vocati, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 2.

Severiani unde appellati, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 5.

Simoniaci unde dicti, & qui eorum errores. p. 7. art. 6. n. 1.

Spiritus Sanctus à Patre Filióque procedit. p. 76. art. 1. n. 1. & 2. & p. 77. n. 3. 4. & 5. Græcorum objectiones ſolvuntur. ibid. n. 6. & p. 78. n. 7. & 9. Spiritus S. eſt Patri, Filióque conſubſtantialis, adeóque non eſt creatura. p. 79. art. 2. n. 1. 2. 3. & 4. Macedonianis opponentibus ſatisfit. ibid. n. 6. Spiritus S. non eſt anima Mundi. p. 80. art. 3. n. 1. & 2.

Stancariani unde ſic appellati, eorúmque errores. p. 25. art. 22. n. 5.

Suriani unde ſic vocati. p. 6. n. 4.

T.

Tatiani unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 3.

Templarii unde dicti, eorúmque errores. p. 15. art. 14. n. 2. & p. 26. art. 22. n. 9.

Tertullianiſtæ unde ſic dicti, eorúmque errores. p. 12. art. 11. n. 1.

Teſſeradecaitæ qui? p. 9. art. 8. n. 7.

Thaboritæ unde ſic appellati, dicti quoque *orbitæ*. p. 20. art. 17. n. 3.

Thalmud Judæorum duplex eſt. p. 3. art. 1. n. 5. quid in iis contineatur ibid.

Theodoriſtæ unde appellati, eorúmque errores. p. 13. art. 12. n. 6.

Theodoſiani unde vocati, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Theodotiani unde appellati, eorúmque errores. p. 9. art. 8. n. 7.

Theſſalatæ qui, & quid doceant. p. 26. art. 22. n. 12.

Thritheitæ unde dicti. p. 14. art. 12. n. 8.

Traditiones quotuplices ſint. p. 146. art. 1. n. 1. extant in Eccleſia Traditiones Divinæ, & Apoſtolicæ. p. 147. n. 2. 3. 4. 5. & 6. objectiones ſolvuntur. p. 148. n. 8. harum traditionum neceſſitas oſtenditur. p. 148. art. 2. n. 2. 3. & 4. obſervantia traditionum Divinarum & Apoſtolicarum eſt ſub gravi obligatione. p. 149. n. 5. 6. 7. 8. & 9. objectis ſatisfit. ibid. n. 11.

Trementes hæretici. Vide *Quackeri*.

Trinitas quid ſit. p. 52. art. 1. n. 1. Trinitatis exiſtentia oſtenditur ex Vet. Teſtament. ibid. n. 3. 4. 5. 6. 7. & p. 53. n. 8. & 9. item ex Novo Teſtament. p. 53. n. 11. itē probabilibus & congruentialibus rationibus ſuadetur. ib. n. 14. & p. 54. n. 15. & 16. in Trinitate tres ſunt Perſonæ. p. 54. art. 2. n. 2. & 3. inter ſe realiter diſtinctæ. p. 55. n. 5. & 6. omnes tres ſunt pares, & formaliter Deus. p. 55. art. 3. n. 1. & 2. & p. 56. n. 3. & 4.

unicus